SYSTEMA METAPHYSICUM, OMNIS COGNITIONIS HUMANÆ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
D
57
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. F. F. Q. S.

SYSTEMA METAPHYSICUM,

OMNIS COGNITIONIS HUMANÆ FUNDAMENTA CONTINENS,

METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATUM,

ET

PERPETUIS ILLUSTRATUM COMMENTARIIS HISTORICIS, POLEMICIS, NEC NON AD THEOLOGIAM REVELATAM ADPLICATIS.

AUCTORE

NICOLAO WALLERIO,

LOGICES & METAPHYSICES ad REGIAM Acad. Upſalienſem Profeſſore Regio & Ordinario, nec non REG. Acad. Scient. Stockholmienſis Membro.

Cum Grat. & Priv. S. R. M:tis Svec. & S. R. M:tis Polon. ac Elect. Saxon.

STOCKHOLMIÆ A. O. R. MDCCL.

Literis & impenſis LAURENTII SALVII.

Digitized by Google

B. R.
NEAPOLIS

Digitized by Google

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
ADOLPHO FRIEDERICO,
SUECIÆ, GOTHIÆ, VANDALIÆ-
QUE
ELECTO PRINCIPI
HEREDITARIO:
HEREDI NORVEGIÆ,
EPISCOPO LUBECÆ,
DUCI
SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ,
DITHMARSIÆ:
COMITI OLDENBURGI, DELMENHORSTII
&c. &c. &c.

Digitized by Google

PRINCEPS SERENISSIME.

Dum ad SACRÆ REGIÆ CELSITUDINIS TUÆ thronum, ſplendidiſſimis effulgentem virtutibus, ea, qua par eſt, devotione con-

Digitized by Google

contendit univerſa Patria, ſibi auſpicatius, optatiusque nihil judicans, quam Divinis Tuis curis ſe totam ſingulaque ſua, ſive juvanda, ſive tuenda, ſive amplificanda ſubjectiſſime committere; mea quoque muſa purpuram Tanti Principis ſumma pietate colere & adorare audet. Nam inter tot tantasque, quibus, ſplendidiſſimo lumine clarius, coruſcas, virtutes, & togatas & ſagatas omnes, ea quoque elucet, qua ſcientias, generi humano utiles, & in pretio habeas, & iisdem peregregie inſtructum, diu etiam multumque expolitum teneas a-

Digitized by Google

nimum. Non peregrina ſed domeſtica & gentilitia ſequeris exempla, quæ Tibi, Serenissime Princeps Regie, tum in Sereniſſima Regnatrice Familia Holſatico-Slesvicenſi, tum in Gente Glorioſiſſima Vaſea adfuêre præluſtria, omnique laude majora.

Huic in literas & literatos ſtudio, plane ſingulari, adſcribendum eſt, quod non modo variis, iisdemque maximis & exſtantiſſimis munificentiæ, vere Regiæ, & plus quam Paternæ Documentis Upſalienſem Academiam amplexus fueris, Serenissime Prin-

PRINCEPS REGIÆ, ſed & propiorem Academiæ hujus in TE Gratioſiſſime ſuſcipere curam, ejusdemque CANCELLARIUM agere SERENISSIMUM, vereque AUGUSTUM, dignatus fueris, ſub CUJUS ſplendidiſſimo jubare & dulciſſimo ſimul ac ſapientiſſimo moderamine, coruſcat, floret, viget & æternum vigebit hæc Academia, hæc Muſarum palæſtra, hoc fœcundiſſimum Patriæ ſeminarium.

Sub TANTI CANCELLARII auſpiciis SERENISSIMIS a me elaboratum prodit Metaphyſicum hoc opus, quod TUO CELSISSIMO Nomini ſacrum

Digitized by Google

& dicatum eſſe, ſubjectiſſima pietas, qua TE, ut Numen ſuum Tutelare, univerſa proſequitur Patria, & juſſit & efflagitavit. Non quod putaverat ſe poſſe offerre munus tam AUGUSTO dignum PRINCIPE, quale ne animo fingi, multo minus proponi & dari poſſe facile judicaverat; ſed ut aliquo, etiamſi exiguo, ſubjectionis ſuæ documento ſubjectiſſimum, quo continetur, declararet affectum.

Faciunt plurima & præluſtria Clementiæ TUÆ, SERENISSIME PRINCEPS REGIE, ſpecimina, gratiſſimis, non modo per univerſam Patriam, ſed

&

Digitized by Google

& ubique terrarum, præconiis decantata, ſpem mihi exoptatiſſimam, REGIAM VESTRAM CELSITUDINEM, quæ non excelſos modo & magnos, ſed inferioris quoque ſortis homines, ſubjectiſſimo animi affectu ad SE accedentes, ſuaviſſimo vultu, verbis jucundiſſimis, nunquam non à SE dimittit ornatos; hos quoque Pietatis meæ conatus pari Clementia amplexuram beaturamque eſſe.

Quod reliquum eſt, pro TUA, SERENISSIME PRINCEPS REGIE, & CELSISSIMÆ DOMUS TUÆ perenni & inconcuſſa Salute, qua Totius Patriæ at-

 que

Digitized by Google

que hujus Muſarum palæſtræ felicitas & ſplendor pendet, calidiſſima fundere vota nunquam deſiſtam, ad cineres usque permanſurus.

REGIÆ TUÆ CELSITUDINIS

Servus ſubjectiſſimus
NICOLAUS WALLERIUS.

Digitized by Google

* *

*

PRÆFATIO.

Non dubito fore haud paucos, qui mirentur cur ego, poſt tam multam aliorum, in Metaphyſica pertractanda, collocatam operam, meas qualescunque eidem rei accommodem curas. Putabunt forte totam hanc Diſciplinam, quæ Metaphyſices gerit nomen, vel inutilibus refertam eſſe tricis, terninis ſine reſpondente realitate abundare, nulliquo idcirco uſui, niſi rebus magis intricandis quam extricandis, inſervire, rejiciendam itaque eſſe & è cathedra Academica proſcribendam; vel ab aliis, recentiori hac præſertim ætate, adeo eſſe excultam & perpolitam, ut oleum & operam, quod ajunt, perdere videatur, qui ſuo aliquo

quo adjutorio hanc ulterius evehere & exornare vellet diſciplinam.

Priores an odio in Metaphyſicos aut Metaphyſicam, vel alio animi affectu commoti, vel imaginationis & ſenſuum præjudicio abrepti, noſtram Diſciplinam, ſupra ſenſualia longiſſime poſitam, ut prorſus inutilem damnent, ego non dixerim, dixerim vero eos nullum ſuæ opinionis habere fundamentum. Non nego multos Metaphyſicorum, qui Scholaſtica præprimis ætate claruerunt, perplexis terminis, nihilque haud raro ſignificantibus, diſtinctionibus, vel absque ulla demonſtratione propoſitis, vel nonniſi abſurdis, & contra regulas Logicales exhibitis, axiomatibus quoque vel plane non, vel nonniſi multa cum limitatione admittendis, diviniſſimam hanc Diſciplinam adeo fœde devexaſſe, ut plus ei impedimenti quam adjumenti attulerint.

Simi-

Simile fatum cœca iſta ætate ſubiere reliquæ diſciplinæ omnes. Sed num ideo inutiles & rejiciendæ? Nemo, vel parum attentus, hoc affirmaverit unquam, nemo etiam non dixerit, ex hac ratione virgula cenſoria non digna eſſe genuinos Metaphyſicos, multoque minus aliquod hinc probrum in ipſam Diſciplinam eſſe ingerendum. Cogitent deinde, qui alto ſupercilio noſtram deſpiciunt diſciplinam, eam nullis ſcatere tricis, ſed fundamenta omni ſolidæ & certæ cognitioni tam inconcuſſa ſubſternere, ut ſine illa in toto Diſciplinarum, quæ ratione evolvuntur, campo, nulla vel obtineri vel ſperari poſſit certitudo. Remove, ſi placet, principium contradictionis, nega eſſentiarum & poſſibilitatum abſolutam neceſſitatem, quam, aliaque his ſimilia, proponit & demonſtrat Metaphyſica; an Theologiæ Naturali, Legi Naturæ, immo ipſi

Digitized by Google

ipſi Geometriæ, quæ certiſſima alioquin judicatur diſciplina, ſua unquam conſtet certitudo? Neutiquam. Lubrica, fluxa, vaga & mere arbitraria evadent ſingula. Continet Metaphyſica ultima cognitionis humanæ principia, certiſſima, & firmiſſima, quibus quousque quis innititur, res non intricabit, ſed feliciſſimo ſucceſſu extricabit. Falſum denique immo falſiſſimum eſt, terminis abundare Metaphyſicam ſine reſpondenti realitate, abſtracta, quæ Metaphyſica proponit, nihil reale denotare, mera eſſe nomina, à plenario noſtro arbitrio efficta; falſum, inquam, nam nullus in Metaphyſica occurrit terminus, cui ſua non reſpondet realitas, neque putabis plures in re non dari realitates, quam quas vulgus ſua cognitione adſequitur; pauperrima tunc ſane foret noſtra in omni Diſciplinarum genere cognitio, nullisque

digna

Digitized by Google

digna encomiis. Neque eſt quod exiſtimes nullum conceptum eſſe realem, niſi objectum ejus tale, quale concipitur, re ipſa exiſtat. Nam ſic nullas haberemus ideas reales, niſi ſingulares, &, quoniam ex puris ſingularibus nihil ſequitur, omnia noſtra ratiocinia niterentur ideis irrealibus, arbitrariis, & inutilibus. Quicquid ergo ratiocinando elicimus, ejusdem foret farraginis ac idea univerſalis unde deducitur. Abſurda hæc ſunt, dicis; recte, abſurda quoque eſt, quam de ideis abſtractis Metaphyſicorum formaſti, opinio. Tandem quæro abs te, quo loco habeas ideam v. gr. trianguli, quam Geometria tradit? Eſtne univerſalis? ita quidem: Nam competit omnium triangulorum ſpeciebus & individuis. Eſtne etiam igitur abſtracta? ita omnino. Sed an ideo merum nomen? an plane arbitraria? an inutilis? abſit. Par ratio

tio eſt idearum Metaphyſicarum; quarum multæ ſua univerſalitate Mathematicas comprehendunt. Fateor veritates, quas Metaphyſica revelat & demonſtrat, agricolarum, metalliforſſorum, mercatorum, eorumque, qui artes manuarias tractant, inſtituto & fini, utiliſſimo quidem, ſed ad corporea & ſublunaria unice reſtricto, non adeo neceſſarias eſſe & utiles; quoniam tamen illæ acuunt intellectum, eundemque ad alia diſtinctius capienda præparant, principiis quoque inſtruunt certiſſimis & evidentiſſimis, ſine quibus, ſcientiis, illique, quod ex eis haurit vita civilis, commodo & emolumento indiſpenſabili, non daretur locus, altiori inſervire fini, ſi læva tibi non eſt mens, intelligis. Hanc rem appoſite exprimit *Scaligerus* Exercit. 307. Sect. 3. *Harum indagatio ſubtilitatum etſi non eſt utilis ad machinas farinarias conficiendas;*

ciendas: exuit animum tamen inſcitiæ rubigine, acuitque ad alia. Eo denique ſplendore afficit, ut præluceat ſibi ad nanciſcendum primi Opificis ſimilitudinem. Qui ut omnia plene ac perfecte eſt, ac præter ac ſupra omnia: ita eos, qui ſcientiarum ſtudioſi ſunt, ſuos eſſe voluit, ipſorumque intellectum rerum dominum conſtituit. Plura contra adverſarios in Metaphyſices defenſionem adferre non vacat: ipſa enim omni argumento fortius ſe ipſam defendit, nec unquam niſi ab ignorante contemnitur.

Convitiatoribus itaque abire juſſis ad eos me converto, qui recentiori hac ætate adeo excultam putant Metaphyſicam, ut nihil novi ei addi poſſit. Lubens fateor Illuſtres & Celeberrimos Viros *Wolfium* præcipue, *Bülfingerum* & *Canzium* multum ſplendoris, dignitatis &

 emo-

Digitized by Google

emolumenti multum egregia & nunquam non laudanda ſua opera noſtræ contribuiſſe diſciplinæ; Eam tamen ſibi non tribuunt hi Viri gloriam ipſi, quaſi omne in hac materia tulerint punctum: Nam in ſcriptis eorum deſiderantur multa, quæ aliorum induſtriæ relinquenda voluerunt. Taceo Syſtema Leibnitio-Wolfianum hypotheſibus, de ortu compoſitorum ex monadibus, & harmonia univerſali, ita eſſe accommodatum, ut omnia fere & ſingula vel directe vel indirecte huc tendant effata. Rejectis vero his, uti omnino decet & in ipſa tractatione demonſtrabitur, hypotheſibus, alia facie alioque habitu ut prodiret Metaphyſica neceſſarium eſſe, defectum vero in recentiorum ſcriptis obvium, non melius ſuppleri & tolli, nec hypotheſes quasvis magis exterminari poſſe judicavi, quam ſi

colla-

Digitized by Google

collatis veterum & recentiorum ſcriptis, ipſaque rerum indole & reliquarum diſciplinarum exigentia, inter ſe comparata, digneque examinata, Syſtema componeretur Metaphyſicum, ad præcepta verioris Logicæ adornatum, omnibus reliquis Diſciplinis, ſuperioribus etiam facultatibus, præſertim vero Theologiæ utile & neceſſarium. Hunc in me præſenti opere ſuſcepi laborem, quo autem ſucceſſu aliorum eſto judicium. Non ego ille ſum, qui laudis quid mihi tribuo; non ergo niſi de inſtituto meo pauca commemorare volo. Notiones rerum, quæ in hoc occurrunt opere diſtinctas & completas, immo, quantum a me fieri potuit, adæquatas eſſe volui, uſui communi, ubi ille obtineri potuerit, & Philoſophico conformes: propoſitiones inde deduxi determinatas, juſtaque ſerie inter ſe

connexas, perpetuis & circa definitiones & circa propoſitiones ſubjunctis commentariis, in quibus præter conſenſum veteris & recentioris Philoſophiæ, hiſtoriam propoſitæ materiæ, variasque de illa controverſias, hac præſertim ætate agitatas, proponere & decidere volui, ubique fere additis, quæ foro inſerviant Theologico futurumque exornent Theologum. Si ad completum Metaphyſices Syſtema plura, quam in hoc occurrunt opere, deſiderari contendis, non refragabor, putaverim tamen ea eſſe ejus indolis, ut ex iis, quæ tradidi, non difficili & longa opera deduci queant.

Ipſum hoc Syſtema in binas partes generales diſpeſcitur, quarum prior notionem entis & generales ejus affectiones explanat, poſterior proxima entis inferiora, eorumque

ad

Digitized by Google

ad ſe invicem reſpectus enödat & pertractat. Utramque ergo partem in binas ſectiones dividendam judicavi. Partis prioris ſectio prior notionem entis, poſterior generales entis affectiones evolvit. Partis poſterioris ſectione priori proxima entis inferiora traduntur & enucleantur; poſteriori autem eorum ad ſe invicem reſpectus & relationes, & quæ ſine his digne intelligi & complete tradi nequeunt, excutiuntur & dilucidantur. Quatuor hinc exſurgunt, in quos Syſtema noſtrum diſpeſcitur, Tomi, majoris gratia commoditatis ſeparatim editi, quorum quilibet ſectionem comprehendit.

Habes heic L. B. inſtituti mei rationem, modum pertractandi, ipſiusque tractationis ſummam. Fave, ut cœpiſti, meis laboribus, quos

 poſt

Digitized by Google

poſt Dei Gloriam, quam præprimis promovendam intendo, tuis uſibus volui dicatos. Excitabor ſic, quoad vires vitamque mihi Benigniſſimum Numen conceſſerit, ad reliquas Philoſophiæ Theoreticæ partes, quæ mei ſunt muneris, eadem induſtria evolvendas & edendas.

Dabam Upſaliæ die V. Januarii
A. O. R. MDCCL.
St. V.

Digitized by Google

D. D.

SYSTEMATIS METAPHYSICI

TOMUS PRIMUS,

PARTIS PRIMÆ SECTIONEM PRIOREM,

DE

NOTIONE ENTIS EJUSDEMQUE PRINCIPIIS, COMPREHENDENS.

Digitized by Google

Q. F. F. Q. S.

SYSTEMATIS METAPHYSICI DISCURSUS PRÆLIMINARIS DE NATURA ET CONSTITUTIONE METAPHYSICES.

§. 1.

Quatenus non niſi Singularia in ſenſus incurrunt, hominesque ab ineunte ætate in ſenſibilibus luſtrandis occupari ſolent, admodum probabile eſt antiquiſſimos Philoſophorum in ſingularibus magis quam univerſalibus ſuam cognitionem verſari paſſos fuiſſe, progreſſu tamen temporis ad abſtractam & univerſalem evolvendam ſe contuliſſe. Ante PLATONEM & PYTHAGORAM nemo, quantum conſtat, *Qui primi Univerſalia tradidere.*

 de

de univerſalibus, *Ente*, *Eſſentia*. &c. quicquam monuit explicite, licet quid per ens intellexerint non adeo inter eruditos conveniat.

§. 2.

Primus Vocabuli Metaph. auctor.

ARISTOTELI vero is merito tribuitur honos, quod univerſalium doctrinam primus in ordinem redegit. Quatuordecim conſcripſit ille libros, qui inſcribuntur τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ ſcil. βιβλία. An ipſe ARISTOTELES, vel THEOPHRASTUS ERESIUS, vel ANDRONICUS RHODIUS, vel alius quiſpiam hujus auctor ſit inſcriptionis adhuc ignoratur: Tituli tamen antiquitatem oſtendunt PLUTARCHUS in Alexandro & DAMASCENUS, qui ambo ejus meminerunt. Ex vocibus μετὰ & φυσικὰ, in unam conflatis, originem traxit *Metaphyſica*. Nomen Scholaſticis admodum familiare, uſuque recepto firmatum, licet non æque ſit aptum ad exprimendum hujus diſciplinæ objectum: ſive enim μετὰ explicetur per *trans*, ſive per *poſt* (quam explicationem cum quarto caſu junctum habet μετὰ), non tamen inde determinabitur quid ad Tranſcendentia, vel Poſtnaturalia foret referendum. Accedit nobis ignotum eſſe, quid primus hujus tituli impoſitor in mente habuerit.

§. 3.

Metaphyſicæ Ari-

Nihil ergo relinquitur aliud, quam ut ipſum adeamus ARISTOTELEM,

TELEM, pauciſſimis exhibituri, quid *ſtotelicæ. objectum.* quatuordecim memoratis tentaverit libris, licet fatendum ſit vix talia ad manus noſtras perveniſſe opera hujus Philoſophi, qualia ab ipſo fuêre conſcripta. Non admiſit ARISTOTELES amplum illum Philoſophiæ ſignificatum, qui ambitu ſuo etiam includit habitus, vulgo ſic dictos, inſtrumentales, diſciplinis realibus contradiſtinctos, ſed ſolas diſciplinas reales ſplendido Philoſophiæ nomine dignatus eſt, & quatenus θεωρίαν multo nobiliorem eſſe πράξει cenſuit, ad Philoſophiam nonniſi veritates theoreticas retulit II. Met. cap. 1. Hujus Philoſophiæ, quæ, ſecundum mentem ejus, in ſpeculatione conſiſtit, tot facit partes, quot ſunt ſubſtantiæ IV. Met. cap. 2; Tres autem ipſi numerantur ſubſtantiæ, II. Phyſ. cap. 7. ſecundum quas tres formavit Philoſophiæ partes, *Phyſicam*, *Aſtronomiam*, & *Metaphyſicam*, quarum *illa*, ſive Phyſica, occupata eſt circa ſubſtantiam mobilem corruptibilem; *iſta* verſatur circa ſubſtantiam mobilem æternam, h. e. cœlum & corpora cœleſtia; *hæc* exponit ſubſtantiam cum à materia ſegregatam, tum immobilem, h. e. Deum. Vocat ARISTOTELES hanc Philoſophiæ partem *Philoſophiam Primam*, quam dicit conſiderare ens quatenus ens eſt. Entis vero vocabulum eſt ei ex eorum numero, quæ vocantur τὰ πρὸς ἕν, *communia ad unum*

 vel

vel *ab uno*, & quæ alias dici ſolent *analoga*, quorum ea eſt natura, ut rebus pluribus ſignificandis ſub eadem quidem definitione attribuantur, uni tamen primario, ceteris, propter dependentiam ab ipſo, ſecundario. Quare ne cetera etiam entia ſub objecto Philoſophiæ primæ comprehenderet Ariſtoteles, adjecta reduplicatione limitavit illud ad ens ſimpliciter tale, ſive primum, h. e. Deum: Ea quippe eſt vocabulorum τῶν ἀφ ἑνὸς natura, ut addita reduplicatione ſiſtatur primum analogatum, à ſecundis divulſum, ultra quod ex mente Ariſtotelis non eſt abſtrahendum.

§. 4.

Et diviſio. Hanc Metaphyſicam Ariſtotelis, ſeu potius Theologiam Naturalem, varii varie diſpeſcunt. Nos JACOBUM THOMASIUM in Hiſtoria Metaphyſices pag. 71. 72, ſequentes, illam in tres dividimus partes, Προθεωρίαν, Θεωρίαν & Επιθεωρίαν. Προθεωρία (verbis utor Thomaſii) *partim* generaliſſimos terminos explicat, libro περὶ τῶν ποσαχῶς λεγομένων & alio περὶ ἐναντίων, qui vulgo numerantur ille quintus, hic decimus; *partim* diſputat de ſcientiis, quarum princeps eſt Metaphyſica, libro περὶ ἐπιστημῶν, qui vulgo ſunt duo, ſecundus & quartus. Θεωρία abſolvitur libris, ſed in hanc ſeriem digerendis, ut primum & tertium περὶ ἀρχῶν ſequantur ſextus & ſeptimus περὶ εἰδῶν καὶ γενῶν: inde octavus

περὶ

περὶ ὕλης, nonus περὶ ἐνεργείας: denique decimus tertius, decimus quartus & duodecimus περὶ φιλοσοφίας. Horum omnium pars maxima diſputationem continet adverſus aliorum opiniones de primis rerum principiis, minima ipſius Philoſophi de Deo & intelligentiis doctrinam exhibet. Ἐπιθεωρίαν unicus liber facit, qui vulgo numeratur undecimus. Hunc *Petitus* extra ceterorum ordinem locat, quoniam nullam habet cum ceteris connexionem, niſi quod à prioribus repetat multa. Quamvis hi XIV. Ariſtotelis libri, non refragante ipſo, qui Philoſophiam primam ζητουμένην vocat, non niſi apparatum quendam & prima Syſtematis alicujus rudimenta contineant; fatendum tamen eſt ordinem librorum, ut ex diviſione allata liquet, eſſe admodum confuſum, fortaſſis non culpa ipſius Ariſtotelis, cujus ſcripta, qualia ex ejus prodiêre manu, vix ad nos pervenêre: STRABO enim & PLUTARCHUS narrant libros hos à diverſis poſſeſſoribus ſæpe occultatos, immo aliquamdiu ſub terra defoſſos à blattis & tineis pene corroſos fuiſſe, inventos tandem & ab imperitis interpretibus ſine judicio prope deſcriptos, ANDRONICUM RHODIUM publici feciſſe juris.

§. 5.

Quô habitu eſt affecta tempo-

Scholaſtici, quamvis Ariſtotelem ut Deum ſapientiæ & adeo infallibilem ſint venerati, ut per aliquot ſe-

re Scholaſticorum. cula vel latum unguem ab eo diſcedere ſcelus ac piaculum eis fuerit, diſceſſêre tamen, non intelligentes quæ Ariſtoteli dicuntur communia ad unum, ſed putantes ens denotare ideam communem â Deo & creaturis abſtractam, adeoque univoce poſitum eſſe, & proinde Philoſophiam primam Ariſtotelis, quæ ſpeculatur ens quatenus ens eſt, exhibere tractationem entis in genere exiſtimarunt. προθεωρίαν ergo, utpote quæ eorum fini inſerviebat, à reliquis ſepararunt partibus, illamque ſolam eodem affecerunt nomine, quod omnibus tribus antiquitus fuit tributum. Ab illo igitur tempore Metaphyſica dicta eſt diſciplina, quæ de ente in genere, ejusque proximis inferioribus & generalioribus affectionibus tradit. Ne vero præceptorem ſuum prorſus deſerere viderentur, parti ſpeciali inſeruerunt tractationem de Deo, Angelis & anima humana, quod eo magis tolerandum putarunt, quo certius ipſis conſtabat, hæc objecta eſſe non quidem abſtracta ſecundum indifferentiam, ſecundum eſſentiam tamen à materia eſſe ſeparata, quo novo abſtractionis genere ſuum defendere voluerunt facinus, ſuamque tegere inſcitiam.

§. 6.

Vitium Scholaſticorum e- Aberraverunt itaque Scholaſtici a mente Ariſtotelis, terminisque aut omni notione deſtitutis, aut nonni-

ſi

ſi confuſa vel prorſus obſcura explicatis, propoſitionibus & regulis maximam partem indeterminatis, ſine longa exceptionum ſerie vix intelligendis, multisque quæſtionibus nullius utilitatis hanc involverunt diſciplinam. Pertinent huc myſteria, *ſingulariſationum*, *individuificationum*, *hæcceitatis*, *nuncceitatis*, *formaliſationum* arcana, *potentionabilitudinalitatum* & *aptitudinalitatum*; immenſæ materiæ *dabilium*, *meliorabilium* & *verificabilium*: *Rationalis* & Revelatæ ſapientiæ commixtio. add. *Tribbechovius* de Doct. Scholaſt. Cap. 2. & ſeq. Hanc tamen ob cauſſam cum rerum ignaris non putabimus omnem Scholaſticorum laborem eſſe fruſtraneum, omniaque ab illis prolata eſſe contemnenda, rejicienda, innovanda. Sed notiones confuſas ad diſtinctas, propoſitiones indeterminatas ad determinatas revocare & reducere, tricas autem inutiles, terminosque nihil denotantes vel mente caſſos evitare & proſcribere veri Philoſophi eſt officium. *mendari debet.*

§. 7.

Ex quo incomparabilis Angliæ Cancellarius *Baco de Verulamio* ad varios Scientiarum nævos detegendos ſe contulerit, varia quoque Metaphyſicam emendandi ſubminiſtrata ſunt conſilia. Quantum ſtudii & laboris immo ſucceſſus ſinguli præſtiterint, non eſt præ- *Diſciplinæ Reſtauratores.*

 ſentis

ſentis inſtituti explicare; id vero certum pono, *Metaphyſicam* a ſeculo uſque Scholaſticorum omnibus, pauciſſimis tamen exceptis, denotaſſe *Scientiam, quæ univerſaliſſima principia & univerſaliſſimos conceptus exhibet*; Licet Illuſtris WOLFIUS, & qui eum ſequuntur, ſub Metaphyſices titulo cum Coſmologia etiam Pſychologiam & Theologiam Naturalem comprehendant, noſtramque, a Scholaſticorum ævo Metaphyſices nomine denotatam, ab ipſo objecto, quod tractat, potius *Ontologiam*, vel cum *Claubergio Ontoſophiam*, appellandam eſſe contendant. Sed etſi de vocabulo non litigemus, quum ex arbitrio Philoſophorum dependeat nominum impoſitio, putamus tamen a trito & recepto termini Metaphyſices uſu non eſſe recedendum, præſertim ubi nulla urget neceſſitas.

§. 8.

Neceſſitas Diſciplinæ. *Dari & neceſſariam eſſe diſciplinam, quæ univerſaliſſima tradit principia, conceptusque communiſſimos, & quam Metaphyſicam appellavimus (§. præc.), evincit ipſa Philoſophiæ, ejusque partium conſideratio.* Philoſophiæ objectum res conſtituunt, lumine naturæ cognoſcibiles, proinde, quamvis partes, in quas diſpeſcitur Philoſophia, objecta, circa quæ verſantur, habeant diverſa, in eo tamen conveniunt, quod res ſint vel entia, & quod ex hac dependeat conſideratione.

Qua-

Digitized by Google

Quare, ſi dantur reliquæ partes Philoſophiæ, de hoc vel illo particulari objecto agentes, uti omnino dantur, quia adſunt ipſa objecta, dabitur quoque hæc generalis convenientia, quæ tanquam genus, indolem objecti particularis, tanquam ſpeciei, ingreditur, ſine qua ergo completa & ſufficiens cognitio objecti particularis obtineri haud poterit. Manifeſtum hinc evadit, diſciplinas Philoſophiæ ceteras, de hoc vel illo particulari objecto agentes, indigere principiis univerſalibus, quorum certitudini principia ſingularum propria ſuam debent originem atque virtutem, & in quæ ultimo reſolvuntur. Aut ergo hæc principia in qualibet particulari diſciplina ſunt repetenda, aut in peculiari parte ordine exhibenda: prius & tædioſum foret & ſimul nos cogeret transmigrare limites diſciplinarum, qui ex earum objectis particularibus ſtabiliuntur; poſterius itaque aſſumendum. Scilicet & datur & ſimul neceſſaria eſt diſciplina, quæ communiſſimos rerum conceptus, primasque & univerſaliſſimas tradit veritates. Vocatur hæc Metaphyſica, vel, ſi placet, Ontologia (§. præc.): Metaphyſicam igitur dari & neceſſariam eſſe nemo negabit.

§. 9.

Origo certitudinis. Vidimus modo (§. præc.), quod in ſequentibus demonſtrabitur ulterius, certitudinem reliquarum diſciplina-

Digitized by Google

plinarum tandem reſolvi in certitudinem communiſſimorum conceptuum & principiorum. Actum igitur erit de certitudine omnium diſciplinarum Philoſophicarum, niſi his ipſis conceptibus & principiis ſua ſimul conſtet certitudo, quæ ergo *unde dependeat & originem trahat ſuam?* jure quæritur. Suum robur & certitudinis fundamentum ex aliis iterum veritatibus magis magisque univerſalibus repetere nequeunt communiſſimi, quos loquor, rerum conceptus, primæque & univerſaliſſimæ veritates: Hoc enim poſito, ſequeretur progreſſus rationum & cauſſarum in infinitum, & ſimul deſtrueretur communiſſimarum & primarum veritatum indoles, ſiquidem in alias, ut magis univerſales & ſe priores reſolverentur: Utrumque vero abſurdum & contradictorium eſſe ad rem vel leviter attendens facillime intelligit. In ſe igitur & ſua natura habebunt communiſſimi conceptus & univerſaliſſima principia fundamentum certitudinis ſuæ. Hanc vero haurit mens non ex ſenſatione externa & corporea, ſed intima ſui conſcientia: Quicquid enim in ſenſus incurrit externos, ſingulare eſt & individuum, multisque circumveſtitum circumſtantiis; ad univerſaliſſimum igitur conceptum & univerſaliſſima principia, ope ſenſuum formanda, requiritur omnium omnino ſingularium accurata inſpectio & collectio, quum in-

com-

Digitized by Google

completa alioquin inductio incertitudinem generaret. Eſt vero hoc opus finitas & imbecilles hominis vires longe ſuperans, & nunquam perficiendum. Ope itaque ſenſuum externorum ad certitudinem in idea univerſaliſſima principioque communiſſimo ſtatuendo nunquam pertingere licebit. Non ergo niſi ex intima ſui conſcientia, qua mens, ut ens ſimplex, ſuam activitatem & vitam conſtanter exercet, univerſaliſſimorum conceptuum & principiorum certitudo eſt derivanda: mens enim conſcia eſt ſui aut tanquam nihili aut tanquam alicujus ſive entis: illud quum implicet, quia nihili ſeu non-entis nulla eſt idea, relinquitur per hoc ſui conſciam eſſe mentem, quod ſe eſſe aliquid ſive ens evidenter ſentiat. Involvit igitur conſcientia ſui ideam quidditatis ſive entis, conſequenter adeſt hæc ſimul cum illa, & propterea utraque menti æque eſt naturalis & innata, æque certa & firma. Concipit vero mens juxta hanc entis ideam ſe ut quid, cui exiſtentia non repugnat; eſt itaque illa entis univerſaliſſimi idea, quam proinde innatam eſſe indeque ſuam habere certitudinem perſpicue jam intelligimus, magis vero adhuc intelligetur ubi pleniorem de ideis innatis theoriam in Pſychologia exhibuimus.

§. 10.

Digitized by Google

§. 10.

Objectum Metaphyſices.

Metaphyſicam eſſe univerſaliſſimam diſciplinam, omnibus id confitentibus, ſine ulteriori demonſtratione ex modo dictis elucet (§. 7. 8.). Eſt vero ens, prout ab actuali & potentionali abſtrahitur, univerſaliſſimus conceptus, prout in ipſa tractatione demonſtrabitur. Quare, quum objectum diſciplinæ ipſam adæquet, ſequitur Metaphyſices objectum eſſe ens, univerſaliſſime ſumtum, ſeu ens quatenus ens eſt.

§. 11.

Errores de objecto Metaph. detegit.

Rejicimus ergo 1:mo) *Alpharbii* & *Averrhois* opinionem, qua putarunt Deum eſſe ſolum objectum noſtræ diſciplinæ, vide *Svarezii* Diſp. Met. 1. p. m. 3. Deus enim quamvis ſit ens & univerſaliſſima rerum omnium cauſſa, non tamen eſt ens quatenus ens, ſeu ens univerſaliſſimum, quod qua tale, ut actualibus & potentionalibus commune, non exiſtit; Deus vero neceſſario exiſtit, non ergo eſt Metaphyſices objectum, licet ſub illo comprehendatur, prout ſuo ubertim declarabitur loco. 2:do) *Sententiam eorum*, qui ſolam ſubſtantiam immaterialem, prout ſolum Deum & intelligentias in ſe includat, adæquatum eſſe Metaphyſices objectum ſtatuunt. E Metaphyſices igitur campo expellerentur omnia, quæ

quæ de ente in genere intelliguntur, ipſaque diſciplina cum Pneumatologia coincideret. 3:o) *Eos, qui putant*, ſolum ens creatum eſſe objectum Metaphyſices; nihil ergo ageret Metaphyſica de ente potentionali, nihil de ente in genere, neque eſſet univerſaliſſima diſciplina, quod modo dictis contrariatur. 4:to) *Eos, qui in exceſſu* extendunt Metaphyſicam α) ad entia rationis, quorum tamen nulla datur ſcientia. β) ad πᾶν νοητὸν omne intelligibile; hoc enim poſito, conſtitueretur Metaphyſica complexus omnium diſciplinarum, quod omnino abſurdum: Aliud ſane eſt Metaphyſicam agere de ente, quatenus ens eſt, ſeu de ente univerſali, aliud de quovis ente particulari; prius conſtituit objectum noſtræ diſciplinæ, non autem poſterius.

§. 12.

Principium quid? Eſſendi, Fiendi, cognoſcendi.

Principium in genere eſt id, quod continet in ſe rationem alterius, vel cum Ariſtotele L. V. Met. Cap. 1. Principium eſt id, unde quid eſt, aut fit, aut cognoſcitur. Triplex ergo ſtatui ſolet Principium, aliud *Eſſendi*, aliud *Fiendi*, aliud *Cognoſcendi*; *illud* continet rationem poſſibilitatis alterius, *iſtud* exiſtentiæ, *hoc* cognitionis, ſeu, eſt propoſitio vel notio, per quam intelligitur veritas alterius propoſitionis vel notionis. Eſt ideo vel *Complexum*, integra propoſitio, ex qua dependet

Digitized by Google

pendet veritas alterius, vel *Incomplexum*, notio aliqua ſimplex vel res ſimplici termino denotata, in alterius cognitionem nos deducens.

Pleniorem principii cognitionem in parte Metaphyſices altera expoſiturus ſum, præliminari vero huic diſcurſui ſufficiat breviſſima, quam attulimus, explicatio.

§. 13.

Non agnoſcit ens princip. eſſendi & fiendi;

Entis Metaphyſici principia eſſendi & fiendi non dantur. Si enim darentur, illa quoque entia eſſent, quorum eodem jure darentur alia principia eſſendi & fiendi, idque ſine fine, quod, quum progreſſum cauſſarum abſurde inferat, ſequitur a Metaphyſico ente removenda eſſe principia eſſendi & fiendi. Idem inde quoque liquet, quod Deo & creaturis in abſtractione ſua competat ens Metaphyſicum; eſt enim univerſaliſſimum (§. 10.), Deo autem ob ſummam, qua eminet, independentiam repugnat principium eſſendi & fiendi, ergo idem quoque contrariatur enti Metaphyſico.

§. 14.

Sed cognoſcendi.

Admittit vero principia cognoſcendi ens Metaphyſicum complexa & incomplexa. Ex eſſentia entis dependere ejus attributa, & ex attributis immediatis determinari & intelligi mediata ſuo demon-

monſtrabitur loco; eſſentia igitur eſt principium attributorum, attributa immediata mediatorum (§. 12.), ſed Metaphyſici entis non dantur principia eſſendi & fiendi (§. 13.), nec præter eſſendi, fiendi, & cognoſcendi principia occurrunt alia (§. 12.); eſſentia igitur eſt principium cognoſcendi attributorum, quemadmodum attributa immediata mediatorum. Sunt autem eſſentia æque ac attributa res ſimplicibus terminis expreſſæ; exhibet ergo eſſentia reſpectu attributorum, & attributa immediata reſpectu mediatorum principia cognoſcendi incomplexa (§. 12.).

Niſi in Metaphyſica locum invenirent principia cognoſcendi complexa, nulla quoque in eadem daretur propoſitio, de cujus veritate convicti eſſemus, nulla conſequenter in eadem locum haberet veritas complexa. Sed hac ſublata tolleretur ipſa diſciplina, cujus tamen mox evicimus exiſtentiam & neceſſitatem (§. 8.); admittit igitur Metaphyſica principia cognoſcendi complexa.

Idem ex incomplexorum, quæ in Metaphyſica dari oſtendimus, principiorum collatione haud obſcure colligitur: ſunt enim incomplexa illa principia notiones (§. 12.), quarum, in mente, facta conjunctione vel ſeparatione, oritur judicium, quod verbis expreſſum propoſitionem conſtituit, ex qua, accedente alia, communi copulata termino, elicitur

Digitized by Google

citur tertia, eſt itaque illa hujus principium complexum (§. cit.). Recte igitur ex principiorum incomplexorum præſentia ad complexorum inferimus: illam Metaphyſicæ modo adjudicavimus, ergo & hanc eidem competere jure defendimus.

Ipſa Metaphyſices pertractatio, quam B. C. D. tradere conſtituimus, uberrime docebit in illa locum habere principia complexa certiſſima & evidentiſſima, ut adeo præſentis propoſitionis veritas prolixiori non indigeat illuſtratione.

§. 15.

Demonſtratio quid?

Demonſtratio eſt propoſitionis ex principiis certis & immotis per legitimam conſequentiam illatio. Eſtque vel *Directa* ſeu *Oſtenſiva*, vel *Indirecta* ſeu *Apogogica*. *Illa* ex notionibus ſubjecti & prædicati illi hoc competere vel non competere oſtendit. *Hæc*, ſeu indirecta, ſumto contradictorio ejus, quod probari debet, tanquam vero, adſcitisque aliunde principiis demonſtrandi, colligitur quod notioni ſubjecti veræ vel propoſitioni veræ contradicit, atque inde immediate propoſitio probanda infertur.

§. 16.

Metaphyſicæ conveniunt demonſtrationes directæ & indirectæ.

Dantur in Metaphyſica principia cognoſcendi & complexa & incomplexa (§. 14.), ergo in eadem ſimul dantur demonſtrationes & directæ & indirectæ (§. 15.)

Quam-

Quamvis itaque in Metaphyſicis locum habeant demonſtrationes propoſitionum ibi occurrentium, inde tamen non ſequitur, omne Metaphyſices enunciatum demonſtrationis eſſe capax: hoc enim, quum nihil tanquam primum concederet principium, progreſſum rationum in infinitum abſurde inferret, omnemque in demonſtrando rigorem penitus tolleret. Si autem principium primum & catholicum excipimus, cetera Metaphyſices enunciata omnia, ob eorum cum principio primo, tanquam complexo, certisque ſubjecti & prædicati notionibus, tanquam incomplexis, connexionem, non poſſunt non demonſtrativam admittere rationem.

§. 17.

Demonſtranda eſt omnis propoſitio, excepto principio primo.

Propoſitiones ergo, in Metaphyſica occurrentes, excepto principio primo, ſunt demonſtrandæ. Dantur in Metaphyſica demonſtrationes (§. 16.), quæ circa propoſitiones verſantur (§. 15.); dantur ergo propoſitionum in Metaphyſica occurrentium demonſtrationes, neque præter principium primum heic excipitur ulla propoſitio (§. 16. not.). Philoſophi autem eſt, naturam rei exponendæ ut unicum in ipſa ejus expoſitione ſequi ducem, quod ut conceſſum & cuivis notum ſupponere licebit; quam ob rem, quum propoſitionum Metaphyſicarum, excepto principio primo, ea ſit

 natura

natura & indoles, ut demonſtrationem admittant (per Dem.), Philoſophi eſt, propoſitiones, in Metaphyſica occurrentes, excepto principio primo, demonſtrare, h. e. Propoſitiones Metaphyſicæ ſunt demonſtrandæ.

Ceteras diſciplinas omnes, Philoſophiæ comprehenſas ambitu, principiis indigere communiſſimis, quæ Metaphyſica tradit, modo eſt indicatum (§. 5.). Si ergo reliquæ diſciplinæ particulares ſunt extra omnem dubitationis aleam, rigoroſa demonſtratione, ponendæ, propoſitionibus Metaphyſicis, tanquam principiis communiſſimis, ſua pariter per demonſtrationem legitimam conſtabit certitudo: At prius eſſe verum oſtendit indoles Philoſophiæ, plenariam poſtulans certitudinem, ſine demonſtratione haud obtinendam, infert quoque ejus in uſum communem & civilem applicatio, quæ ſine determinata & certa veritate nunquam obtinebitur. Poſterius ergo concedatur neceſſe eſt, propoſitiones in Metaphyſica occurrentes demonſtrandas eſſe inferens.

§. 16.

Scientia quid?

Scientia, receptiſſimo ab Ariſtotelis usque tempore ſignificatu, nihil denotat aliud quam habitum aſſerta demonſtrandi.

§. 19.

Metaphyſica eſt Scientia.

Facile hinc conficitur Metaphyſicam eſſe ſcientiam. Dantur in Metaphy-

taphyſica demonſtrationes (§. 16.), illasque ad propoſitiones ejus ſtabiliendas adhibere debemus (§. 17.); involvit itaque, ſubjective ſpectata, demonſtrandi aſſerta habitum, & proinde recte ſalutatur ſcientia (§. 18.).

Diſceptationes de genere Metaphyſices.

Omittimus diſceptationes Veterum Metaphyſicorum de genere hujus diſciplinæ ſtatuendo, quod quidam eorum in prudentia, quidam in arte, quidam in ſapientia, quidam nobiſcum in ſcientia collocant: Certum quippe eſt, neque prudentiam neque artem de Metaphyſica, ut ſcientia ſpeculativa, recte dici. Sapientia vero, quia eſt ſcientia ſubordinandi media finibus, ſcientiæ non opponitur, ſed eidem ſubordinatur. Et præterea, proprie loquendo, verſatur ſapientia circa determinationes liberarum actionum Entis Intelligentis, & ideo potius pertinebit ad Philoſophiam Practicam, quam Theoreticam, cujus partem eſſe Metaphyſicam, docet diſcurſus de Philoſophia præliminaris.

§. 20.

Modus tractandi Metaphyſicam ſcientifice.

Res ipſa loquitur & Logica docet, omnem ſcientiam methodo ſcientifica eſſe pertractandam; poſtulat vero hæc methodus, ut nihil in terminis ambiguum relinquatur, ſed ſingula per ſuas definitiones apte & rigoroſe determinentur, nec non ut omnes

concluſiones ex certis principiis legitime deducantur: Quam ob rem, quum Metaphyſica ſcientia ſit (§. 19.), in ejus tractatione hæc duo ſolicite ſunt obſervanda.

Non ergo mirum Scholaſticos, qui methodi ſcientificæ vel demonſtrativæ non erant gnari, notionibus confuſis & obſcuris contentos, propoſitiones plures admodum indeterminatas condidiſſe, circa quas tamen quomodo ſit verſandum & ex methodi ſcientificæ indole pateſcit, & mox expreſſe indicavimus (§. 6.).

§. 21.

Definitio Metaphyſices.

METAPHYSICA EST SCIENTIA ENTIS IN GENERE, SEU, QUATENUS ENS EST. Eſt enim Metaphyſica ſcientia (§. 19.), cujus objectum eſt ens, quatenus ens eſt (§. 10.), eoque à reliquis diſciplinis omnibus recte diſtinguitur (§. 11. n. 3. lit. β.). Legitime igitur definitur Metaphyſica per ſcientiam entis, quatenus ens eſt.

Ab objecto, circa quod verſatur Metaphyſica, vocari etiam ſolet *Ontoſophia*, & *Ontologia*. Et quia tradit primas & communiſſimas veritates, appellatur quoque *Philoſophia Prima*, licet Ariſtoteles aliam hujus apellationis habeat rationem; quia ſcilicet ſecundum mentem ejus agit de primo ente, Deo, (§. 3.) quo etiam conſilio ei dicta eſt θεολογικὴ φιλοσοφία L. VI. Met. Cap. 1. ἀρχικωτάτη τῶν

ἐπιςη-

ἐπιϛημῶν. L. I. Met. Cap. 1. *Philoſophia* abſolute & καὶ ἐξοχὴν L. IV. Met. Cap. 1.

§. 22.

Quoniam Metaphyſica agit de ente in genere (§. 21.), ea demonſtrare debet, quæ entibus omnibus, ſive abſolute ſive ſub data conditione, conveniunt (§. 17.). Tradit ergo communiſſimas notiones & veritates maxime univerſales, h. e. ſubminiſtrat univerſaliſſima cognoſcendi principia & complexa & incomplexa (§. 12.). *Officium ejusdem.*

§. 23.

Hinc ſatis liquet, uſum Metaphyſices prorſus eſſe eximium & ubivis ſe exerentem. Notiones enim & propoſitiones Metaphyſicæ ad ens quodvis, ſive abſolute ſive ſub data conditione ſpectatum, applicari poſſunt (§. 22.). Tam late ergo patet Metaphyſices uſus, quam late extenditur entis vocabulum, h. e. ad omne intelligibile. *Uſus ejus in genere.*

Ut vero hic Metaphyſices uſus clarius pateſcat, indeque omnem ejus oſoribus eripiamus anſam cavillandi, quasdam ſigillatim addere lubet propoſitiones, quem habet Metaphyſica uſum plenius expoſituras.

§. 24.

Sine cognitione Metaphyſices ulla neque certitudo neque ſoliditas obti- *In ſpecie ad*

 neri

comparandam certitudinem & soliditatem. *neri poteſt.* Cognitionem veritatum certam eſſe Logica oſtendit, quando indubia vel ſenſione, vel demonſtratione nititur: Senſatione nonniſi res ſingulares intuemur, quas certo tales eſſe, quales obſervamus, haud diceremus, niſi nobis conſtaret impoſſibile eſſe, ut idem obſervetur & ſimul non obſervetur. Hoc autem notitiam infert principii univerſaliſſimi, *contradictionis*, cujus explicationem proponit Metaphyſica; ſine hujus igitur adminiculo nulla in ſenſionibus obtinebitur certitudo.

Demonſtratione in certam veritatis pervenimus cognitionem, ſi illam ex certis & immotis deducere valemus principiis (§. 15.). Ea autem eſt principiorum quorumvis particularium natura, quæ de hoc vel illo ente particulari ſunt formata, ut eorum certitudo reſolvatur in certitudinem univerſaliſſimorum principiorum, ex natura entis in genere, ſub quo quodlibet particulare continetur, deductorum. Sine principiis ergo univerſaliſſimis, quorum notitiam exponit Metaphyſica (§. 22.), nulla per demonſtrationem dabitur certitudo.

Quam ob rem, quia, ut modo indicatum eſt, omnis certitudo vel indubia ſenſione vel demonſtratione nititur, & neque per illam neque per hanc ſine ope Metaphyſices acquiri poteſt

poteſt certitudo (per demonſtr.), in genere colligimus ſine cognitione Metaphyſices nullam obtineri poſſe certitudinem.

Solida vocatur cognitio, quæ conſtat propoſitionibus ſufficienter demonſtratis, ſufficiens vero nulla eſt demonſtratio, niſi quæ certis principiis, ad prima usque revocatis, fuerit innixa; nam alioquin daretur defectus, ſufficienti demonſtrationi inimicus. Quam ob cauſſam, quum prima & communiſſima principia non niſi in Metaphyſica exhibeantur (§. 22.), manifeſtum evadit, ſine cognitione Metaphyſices nullam obtineri ſoliditatem.

Cuique igitur facile innoteſcit, dignitati Philoſophiæ haud conſulere, qui principia Metaphyſices, prima omnis certitudinis fundamenta, omnemque cognitioni noſtræ ſoliditatem conciliantia, ſibi familiaria reddere non allaborant, ſed illa potius ſterilia nulliusque putant utilitatis, vel propria vel aliorum falſa de principiis Metaphyſicis opinione decepti. Sunt principia noſtra admodum abſtracta, quorum uſus ſe non exerit, niſi ubi probe intellecta in particularium demonſtratione applicantur. Qui ergo eadem in abſtracta ſua conſiderant forma, de applicatione parum ſolliciti, vel ſolliciti quidem, ſed falſo & per ſaltus inſtituta, non attendentes ad cujusvis particularis objecti ſeparatam naturam, non poſſunt non ſterilia ſibi eadem imaginari, re vero ipſa hoc ſuæ inſcitiæ, minime gentium ipſis tribuant principiis, quorum

rum uberrimum eſſe uſum ubique perſpiciunt rerum gnari.

§. 25.

Inſervit Metaphyſica omnibus Philoſophiæ partibus:

Per omnes & ſingulas Philoſophiæ diſciplinas, Logicam, Coſmologiam, Pſychologiam, Theologiam Naturalem, Phyſicam, Matheſin, parteſque Philoſophiæ practicæ omnes, diffundit ſe Metaphyſices uſus. Veritas hujus poſitionis licet ex modo dictis in §. 8. eluceſcat, majoris tamen perſpicuitatis gratia uberiorem addere placet demonſtrationem. Excepta Theologia Naturali reliquas omnes Philoſophiæ diſciplinas particulares agere de hac vel illa entis ſpecie, docent earum definitiones in diſcurſu ad Philoſophiam præliminari ſuppeditæ. Completa vero ſpeciei notio conſtat notione generis & differentia ſpecifica, genuſque, quod has omnes ingreditur ſpecies, non poteſt non eſſe commune, ex definitione Philoſophiæ in genere hauſtum, adeoque rei vel entis nomine indigitari. Omnes ergo diſciplinæ Philoſophicæ particulares, excepta Theologia Naturali, ad completam objecti ſui cognitionem hauriendam, poſtulant notitiam entis in genere, quam non aliunde quam ex Metaphyſica addiſcimus (§. 22.). Habet proinde Metaphyſica uſum in omnibus memoratis diſciplinis.

Theo-

Theologiæ Naturali,

Theologia Naturalis, Dei exiſtentiam, attributa & operationes demonſtratura, opus habet propoſitionibus univerſalibus, ſine quibus, ut Logica docet, nullum condi poteſt ratiocinium: Omnis vero propoſitionis univerſalis ſubjectum eſt terminus communis, ideam univerſalem exprimens, quæ eſt vel univerſaliſſima enti in genere reſpondens, vel minus univerſalis, certum genus inferius, aut certam ſpeciem exhibens. Si prius, propoſitio univerſalis, demonſtrationes Theologiæ Naturalis ingrediens, ad Metaphyſicam, quæ de ente in genere agit (§. 21.), pertinet; ſi poſterius, vel ad proxima entis inferiora refertur, quo nomine iterum Metaphyſices eſt tractationis, ut in ſequentibus docebo; vel ad magis remota, quorum tamen, ut mox dictum eſt, completam notitiam conſtituit conſideratio entis Metaphyſici, ſine qua ergo demonſtrative tradi & proponi nequit Theologia Naturalis.

Uſus Metaphyſices per omnes diſciplinas Philoſophicas exinde quoque eluceſcit, quod ſine illa in reliquis diſciplinis nulla obtineatur certa & ſolida cognitio (§. 24.); certitudinem vero & ſoliditatem in diſciplinis eſſe quærendam nemo facile negabit, largiendum ergo ſimul eſt, maximæ eſſe utilitatis, quæ Metaphyſica tradit præcepta, reliquis Philoſophiæ partibus.

 Intel-

Intelligimus itaque Metaphyſicam eſſe tanquam præſidium, munimentum & fulcrum, cui ceteræ diſciplinæ Philoſophicæ, ruinam vitaturæ, innitantur. Hinc etiam Veteribus vocata eſt, *Judex*, *Domina*, *Caput*, *Princeps* reliquarum diſciplinarum, non quod de nobiliſſimo & principe objecto, Deo, agat, prout cum Ariſtotele quidam alii exiſtimavêre; ſed quod principis inſtar dirigat ceteras diſciplinas omnes, notiones univerſaliſſimas & principia communiſſima evolvendo, proponendo & ſtabiliendo. Ampliſſimi hujus, qui Metaphyſicæ competit, uſus ut eo magis convincantur, qui ad abſtractas & univerſales demonſtrationes percipiendas animum nondum habent præparatum, quædam adferre placet ad quamlibet diſciplinam Philoſophicam magis applicata.

§. 26.

Logicæ, *Exercet Metaphyſica eximium in Logica uſum.* Modi operationum in mente, quos regulæ Logicales declarant, ſunt entia, h. e. talia, ut eis exiſtentia non repugnet; regulæ itaque Logices genuinæ in notionem entium generales, quas Metaphyſica docet, (§.21.), reſolvuntur. Deinde quis neſcit, omnes propoſitiones Logicas principio contradictionis, quod Metaphyſica explicat, eſſe ſuperſtructas? quis ignorat diviſionem notionum materialem, quam tradere Logices eſt munus, dicta de Omni & Nullo, ceu fundamenta omnium noſtrorum ratiociniorum, niti

niti notionibus entis univerſalis, generis, ſpeciei, quarum explicationem ſibi attribuit Metaphyſica? Tandem, cui ignotum eſt, veritatem, quam quærit Logicus, omne ſuum robur in veritate Metaphyſica ita habere, ut ſine hac illa ne quidem concipi poſſit: ſic per ſumma eundo capita liquet, Metaphyſices uſum in Logica eximium eſſe.

§. 27.

Coſmologia & Pſychologia Metaphyſices indigent auxilio. Eſt enim Coſmologia ſcientia de mundo in genere & affectionibus ejus generalibus; quoniam vero mundus componitur ſimultaneis & ſucceſſivis, tota de ente compoſito, ſimultaneo & ſucceſſivo theoria, quam Metaphyſica proponit, coſmologicæ tractationi inſervit. Quod in Coſmologia de nexu rerum in mundo traditur, ad liquidum nemo deducere valet, niſi qui ex Metaphyſica doctrinam de neceſſario & contingenti, cauſſa & effectu, fine aliisque agnatis probe ſibi habeat perſpectum. Pſychologiæ objectum eſt anima humana, cujus ſimplex natura ſine ope principiorum Metaphyſices nunquam demonſtrabitur. Hac vero oſtenſa, valebunt de anima quæcunque Metaphyſica ſimplici in genere competere demonſtrat. Immortalitatem mentis, non præmiſſa generali de ente ſimplici theoria, ejusque ad animam applica-

Coſmologiæ & Pſychologiæ,

Digitized by Google

plicatione, ſufficienter haudquaquam demonſtrari poſſe & evinci, omnes mecum facile confitebuntur, qui varia pro immortalitate mentis argumenta, à Philoſophis uſurpata, penſitavêre. Controverſias de eſſentia animæ, ejus cum corpore commercio, libertate & ſimilibus, ultro citroque magno animorum motu hodierno tempore agitatas, nemo decidet, fatumque fatuum evertet, niſi qui ex Metaphyſicis didicerit, quid eſſentia, quid cauſſa & effectus, quid neceſſarium & contingens ſint, aliaque plura quæ ſciens prætereo.

§. 28.

Practicis Diſciplinis,

Uſum Metaphyſices in diſciplinis practicis, Jurisprudentia naturali, Ethica, Politica, Oeconomica, non ſigillatim, ne nimia dicendorum prolixitate obruamur, ſed generatim & per ſumma eundo capita percenſebimus. Evolvunt diſciplinæ practicæ actionum liberarum moralitatem, ex conſideratione Juſtitiæ & Sanctitatis divinæ, quas Theologia Naturalis proponit, hauriendam. Mediante igitur Theologia Naturali habent ex Metaphyſica uſum Diſciplinæ practicæ (§. 25.). Sed habent quoque immediatum; nam, quum actio libera, de qua tractant diſciplinæ practicæ, entis moralis nomine veniat, quod per libertatem ſcientis & volentis eſt poſſibile, vel per agens liberum fieri non repugnat, atque adeo de natura entis

tis in genere, quod explicatur per id, quod exiſtere non repugnat, participet, ſequitur ad completam & ſufficientem actionis liberæ tractationem poſtulari principiorum, ex natura entis generalis deductorum, applicationem. Unde ex prono velut alveo fluit, Metaphyſicam Diſciplinis practicis inſignem præbere uſum. (§. 22.). Taceo differentiam actionum liberarum & neceſſariarum, nobilem quæſtionem de fundamento moralitatis actionum, aliaque multa ſine Metaphyſices auxilio vix ac ne vix quidem digne tradi poſſe.

Quod cum *Puffendorffio* in J. N. & G. L. 1. cap. 1. *Weiſius* L. III. Log. cap. 12. doluerunt, Metaphyſicam, ſcilicet vulgarem, generalia principia, latiſſimis & accuratis rerum, in claſſes diviſarum, definitionibus expreſſa non habere, ut morali diſciplinæ aptari poſſint, quod, inquam, doluerunt, & ex parte ita corrigere atque ſupplere voluerunt, ut ſubſtantiæ, *perſona*, τῷ ubi, *ſtatus*, quantitatibus & qualitatibus Phyſicis, *quantitates* & *qualitates morales*, analogice reſponderent, id Canzius novo & erudito tentamine, quod Metaphyſica moralis inſcribitur, magis perficere conatur, eundo per ſingula fere Metaphyſices capita, illaque ad generalem entis notionem nervoſe applicando. Eripuit ergo cuivis omnem vel ſubdubitandi anſam de præclaro Metaphyſices in Practicis uſu.

§. 29.

Matheſi, *Licet Matheſis & ſpeciatim Geometria tanta certitudine ſuas concludat poſitiones, ut ad ejus exemplum & imitationem diſciplinarum Philoſophicarum certitudo exigi ſoleat; hujus tamen ſuæ certitudinis fundamentum non ſibi tanquam proprium ſed Metaphyſicæ debet.* Nam præter formam, ſeu accuratam in definiendo, proponendo & demonſtrando Methodum, ex veriori Logica, principiis Metaphyſicis innixa, hauſtam, quam Geometra, præſertim vero *Euclides*, obſervat objecti ſui; *quantitas*, circa quod verſatur, generalem notitiam ex Metaphyſica præſupponit, unde non mirum tam definitiones puncti, lineæ, figuræ, ſolidi & ſimilium, generalia ex Metaphyſicis includere prædicata, quam axiomata pleraque eſſe propoſitiones metaphyſicas, quarum certitudinem in Geometria non demonſtrat Euclides, ſed aliunde h e. ex Metaphyſica cognitam ſupponit. Quatenus ergo Geometriæ certitudo tandem reſolvitur in evidentiam definitionum & axiomatum, eatenus liquet, ultimatum certitudinis Geometricæ fundamentum non aliunde quam ex Metaphyſica pendere.

Licet multa adhuc adferri poſſint ſpecialia de uſu Metaphyſices in ceteris diſciplinis Mathematicis, v. gr. circa notiones virium, cauſſarum, effectuum, ipſiusque principii rationis

tionis ſufficientis applicationem in Mechanicis, nec non circa alias adhuc res in Aſtronomia, reliquisque Matheſeos partibus occurrentes; Quia tamen Mathematicæ diſciplinæ ſuam Geometriæ debent certitudinem, ſufficiant quæ de hujus ex Metaphyſica dependentia mox demonſtravimus.

De hac principiorum Mathematicorum ex Metaphyſicis dependentia ex *Ariſtotele* erudite ſatis & diſtincte propoſuit olim *Fonſeca* in Comment. ad Ariſt. Met. L. 1. cap. 2. p. m. 122. T. I. Idem etiam à ſe obſervatum dicit Illuſtris *Wolfius* in Præf. ad Ontol. Et ſit quod axiomata, quæ Geometria ex Metaphyſica mutuo ſumit, notionesque & ex illis deductæ, ut *æqualitatis*, *majoritatis*, *minoritatis*, *congruentiæ*, & quæ expreſſas definitiones, ceu ideæ partiales, ingrediuntur, tantam habeant claritatem & evidentiam, ut ſine probatione & diſtinctiori evolutione in rem præſentem converti poſſint; inde tamen non ſequitur, ſufficere ei confuſam horum principiorum notitiam, qui plenariam rectiſſime deſiderat certitudinem, non opinione vulgari, ſed principiis Metaphyſicis innixam. Immo nec Matheſin diſtinctis notionibus & principiis in Metaphyſica evolutis, tuto ſemper carere, exemplo notionum ſimilitudinis & pendentium inde principiorum oſtendit *Wolfius* §. 9. Ontol. qui etiam in ipſa Ontologiæ pertractatione varia hujus rei profert exempla.

§. 30.

§. 30.

Phyſicæ, *Ex Metaphyſica multum acquirit Phyſica utilitatis.* Eſt Phyſica rerum naturalium ſcientia; ad res vero naturales pertinent non omnia ſolum corpora, ſed & quivis eorum effectus & phænomena, h. e. ſitus & motus corporum, quatenus impreſſionem in organa corporis producunt, vel, ſi mavis, quatenus percipiuntur, vel minimum percipi poſſunt. Notionem corporis ingrediuntur notiones compoſiti, extenſi, mobilis, quieſcibilis, interrupti, continui; Ejus affectiones exigunt notiones naturæ, virium; Ejus phænomena ſupponunt notiones ſitus, motus, temporis, ſpatii, celeritatis. Hæ aliæque ejus generis notiones, quæ in demonſtrativa Phyſicam tractandi Methodo omnino ſunt præſtruendæ, propriam in Metaphyſica, ut ex ejus pertractatione patebit, habent ſedem. Phyſica igitur ex Metaphyſica petit demonſtrandi principia. Immo nulla fere eſt notio, quæ evoluta in Metaphyſica ſuum non exerat in Phyſicis uſum, quum in omnibus demonſtrationibus effectuum per ſuas cauſſas, quæ in Phyſica traduntur, tandem ad principia Metaphyſica deveniatur. Taceo quam amplum habeat legitima principii rationis ſufficientis applicatio in Phyſica uſum, & quam multum ex Mathematicis, quorum ex Metaphyſica dependentiam modo evici (§. 29.), hauriat

riat Phyſicus præſidii: extra omnem dubitationis aleam poſitum arbitror, plurimum utilitatis ex Metaphyſica habere Phyſicam.

Non negamus & Scholaſticos & Carteſianos Metaphyſicis de corpore ſpeculationibus nimium indulſiſſe, experientia quoque & obſervationibus poſthabitis, ex notionibus rerum omnes corporum proprietates deducere voluiſſe. Scholaſtici enim cœco in Ariſtotelem affectu, ſed neglecto ejus in Hiſtoria Naturali pulcherrimo inſtituto, illis præprimis, quæ Metaphyſicis terminis, qualeſcunque rerum naturalium abſtractos conceptus involventibus, ab Ariſtotele tradita erant, inhærebant, multas litigioſa & perplexa ſubtilitate quæſtiones exinde eruentes, litigia & tricas de genuino Ariſtotelis ſenſu inexhauſto labore nectentes, objectiones meris terminis ſolvere ſtudentes, rationes phænomenorum naturalium prolato termino: *qualitatis*, *cauſſæ occultæ*, &c. inepte exhibentes, verbo, omnia terminis abſtractis, nihil quam maxime denotantibus, involventes. Excuſſit quidem feliciter *Carteſius* jugum Scholaſticorum, in eo tamen deceptus, quod propriis nimium tribuerit hypotheſibus, nihilque de corpore ut verum admittere voluerit Part. II. Princip. §. 64. quod non ex communibus notionibus diviſionum, figurarum, & motus materiæ ſequitur. Hæc vitia, à Scholaſticis & Carteſianis commiſſa, nihil nos movent aut turbant, quum non uſum ſed abuſum Metaphyſices inferant. Neque nos

 unquam

unquam diximus eousque commendandam eſſe Metaphyſicam, ut ex illa omnem ſuam veritatem hauriat Phyſica, neglectis experientia & determinationibus phyſicis, quæ in Phyſica determinationibus rerum generalibus & Metaphyſicis accedere debent; ſed contendimus Phyſicam demonſtrative exhibendam multum ex Metaphyſica haurire lucis.

§. 31.

Jurisprudentiæ civili. Breviter explicata, quam habet Metaphyſica in diſciplinis Philoſophicis, utilitate, paucis quoque expediamus decet, quid ſuperioribus ſic dictis præſtet facultatibus, videlicet Jurisprudentiæ civili, Medicinæ & Theologiæ. Dependet *Jurisprudentia civilis* ex recta Juris Naturæ applicatione ad ſtatum reipublicæ, multum vero Jus naturæ debet principiis Metaphyſicis (§. 28.); recte igitur ſtatuimus, principia demonſtrandi Jurisprudentiam civilem ultimato in Metaphyſices reſolvi aſſerta. De cetero cauſſarum & effectuum moralium, nec non finium, ſtatuum, aliorumque agnatorum, immo & regularum, quibus perfectio totius & partium in republica, cum circa integram ejus ſocietatem, tum quamvis in illa partialem, cum aliis bene multis, in Jurisprudentia civili conſideratio, quæ ſine Metaphyſica, cui horum omnium generalis ſed propria competit ſedes, recte intelligi & inſtitui nequit,

quit, abunde docet quam amplum habeat Jurisprudentia Civilis ex Metaphyſica commodum.

Hinc eſt, quod *Chriſt. Thomaſius* in Introd. ad Phil. Aulic. Cap. 12. §. 24. & ſeqq. videns Metaphyſices in Jurisprudentia utilitatem, doluit decantatas illas quatuor cauſſas, ad res naturales magis quam morales à Veteribus Metaphyſicis eſſe comparatas, & ad argumenta Juris omnia quaſi collo tractas eſſe. *Vigelius* prædicamentorum doctrinam, Metaphyſicæ propriam, ad argumenta Juris attemperavit, licet his, quæ Vigelius adhibuit prædicamentis, ob eorum ut putavit *Manzius* anguſtiam, undecimum *Artefactorum*, & duodecimum adjecit *Extravagantium*. De cetero de uſu Metaphyſices in Jurisprudentia conſuli poſſunt *Kœnigsmannus* in Diſſert. de cultu Metaph. & *Claubergius* in Ontoſoph. paſſim, cum multis aliis tum Veterum tum recentiorum.

§. 32.

Paucis etiam expediamus quam amicam & ſimul neceſſariam opem Medicinæ præſtat Metaphyſica. Hæc enim circa curam & valetudinem corporis humani, variis ex triplici regno animali, vegetabili & minerali hauſtis medicamentis, aliisque ex natura rerum depromptis mediis, non circumforaneorum more, ſed legitima praxi, veræ theoriæ innixa, recte procurandam occupata, *Medicinæ.*

C 2 Phy-

Phyſicis & Mathematicis quam maxime indiget principiis, quibus plurimum auxilii præſtat Metaphyſica (§. 29. 30.). Ad morborum non modo ſed & medicamentorum, animalium, vegetabilium, mineralium, characteres, legitimis definitionibus exhibendos, nec non accuratam, ſecundum certa genera, certasque ſpecies inſtituendam claſſificationem, convenientiam ergo vel diſconvenientiam eruendam & Logicis & Metaphyſicis principiis indiget accuratior Medicinam tractandi methodus. Accedit, quod de Phyſica jam monuimus (§. 30.), nullam fere eſſe notionem in Metaphyſica evolutam, quæ non ſuum habeat in Medicina uſum, quum in omnibus demonſtrationibus effectuum per ſuas cauſſas, quæ in Medicina Theoretica traduntur, tandem ad principia Metaphyſica deveniatur.

§. 33.

Theologiæ Revelatæ non inimica eſt Metaphyſica.

Succedit Metaphyſices in Divina, ſeu Revelata Theologia uſus, de quo quidem tam multa à multis ſunt tradita, ut nullo indigere videatur additamento; ne tamen ceteras percurrendo facultates, Theologicam, quæ primaria eſt, negligamus: ne etiam hoc periculoſo rei literariæ ſeculo, quod plus juſto Metaphyſices in Theologia uſum extollere cœpit, meo deeſſe videar officio; breviter,

ter, ſed diſtincte hanc nobilem evolvere placet materiam, præmiſſo argumento pro harmonia revelationem inter & rationem, quæ ſi inter ſe pugnarent, Metaphyſica Revelatæ Theologiæ non uſum ſed apertum inferret damnum. Si ratio revelationi adverſa foret, tum quædam propoſitiones Philoſophicæ, ſufficienti demonſtrationi innixæ, atque ideo veræ, Revelationis dogmatibus, extra omnem controverſiam veriſſimis, obverterentur, proindeque daretur veritas veritati contradicens, quod, quum manifeſtam involvat abſurditatem, utpote in principium contradictionis à *S. Paulo* Rom. XI. 6. uſurpatum & approbatum, directe incurrens, admitti nequit. Liquet ergo rationis legitime demonſtratas theſes revelationi nunquam contradicere. Et quid contradicant? Eſt immenſus Dei intellectus ultimata cunctarum veritatum ratio, quod nemo negare poteſt, niſi qui impiiſſime intellectus divini immenſitatem tollat. Eſt vero, quicquid à Deo proficiſcitur, amiciſſima contemperatum harmonia, abſolutam enim poſſidet perfectionem; nullus ergo relinquitur ſuſpicandi locus, quod ulla in quocunque genere veritas alteri contradicat. Certum itaque manet rationem cum revelatione, Metaphyſicam cum Theologia inimicis veluti cornibus non confligere.

Digitized by Google

Loquor, uti patet, de Metaphyſica in abſtracto ſpectata, h.e. de Metaphyſica in ſe & ſua natura, non vero de illa prout in concreto, h.e. in hoc vel illo auctore ſcriptove conſideratur, quo ſenſu non nego illam in Revelationem adverſa vibrare tela, ſed afficit hoc Metaphyſicos perverſos, ipſam diſciplinam relinquens intactam.

Nihil itaque nos movent, qui acerba & impia quandoque cenſura hanc noſtram vexant diſciplinam, quaſi eousque revelationi eſſet contraria, ut hæreticis, Photinianis præſertim, ſubminiſtraret tela, erroribus præberet perfugia, incruſtationum, evagationum & corruptelarum contineret latibula. Huic errori addicti ſunt *Ramei*, præceptorem ſuum *Petr. Ramum* in Præf. ad Scholas Metaphyſicas, ubi impietatem omnium impietatum Theologiam Ariſtotelicam vocat, hunc, inquam, ſecuti, totam Metaphyſicam reſpuêre, & quod utile ei ineſſe arbitrati ſunt, temerario auſu Logicis infarſêre. Graviori adhuc modo in Metaphyſicam debacchatus eſt *Venceslaus Schillingius* in ſarcaſticis & male dictis concionibus Metaphyſicis, quem refutavit *Jac. Martini* in ſpeculo naturali. Huc etiam pertinet *Ameſii* Reformati Doctoris ſtultitia, quam prodidit diſputatione adverſus Metaphyſicam, cui *Caſp. Ebelius* quatuor oppoſuit diſſertationes pro veritate Primæ Philoſophiæ.

§. 34.

Non tamen eſt Quamvis ergo nulla ſit inter Theologiam & Metaphyſicam vera pugna

gna, ſed per conſequens amica conſenſio; *inde tamen non ſequitur, certitudinis, quam habet revelata Theologia, rationem ex Metaphyſica eſſe deſumendam.* Nam ſi id ſequeretur, certitudo revelationis rationem ſufficientem agnoſceret in Metaphyſica, atque ideo ex hac unice intelligeretur illa, ſolaque ratiocinandi ſerie, legitime inſtituta, evolveretur. Quam ob cauſſam, quia Deus ens eſt ſapientiſſimum, nihilque fruſtra facit, nihil ſine ratione, non opus habuiſſet immediata operatione hominibus patefacere veritates, revelatione comprehenſas, neque ergo neceſſaria eſſet, neque exiſteret revelatio; quod, quum hypotheſin evertat, qua revelationem dari conceditur, ut abſurdum & contradictorium eſt rejiciendum. Vera itaque eſt theſis, aſſumto oppoſita, certitudinis, quam habet revelata Theologia, rationem ex Metaphyſica non eſſe deſumendam affirmans. His accedit, myſteria, quæ proponit revelatio, rationi prorſus impervia eſſe, nec unquam, ut Ipſa Veritas loquitur Matth. XVI. per carnem & ſanguinem, h. e. naturalem cognoſcendi modum, nobis patere, atque ideo hominem naturalibus viribus non capere poſſe quæ ſunt Spiritus Dei, ut *S. Paulus* dicit 1. Cor. II.

norma & regula credendorum.

Deteſtamur itaque & abominamur omnem eorum audaciam, qui ut totius Philoſophiæ ita

Digitized by Google

& Metaphyſices imperium eousque propagatum cupiunt, ut tota Scriptura ad ejus normam exigatur, illamque Spiritus Sancti accendere lumen. Spectat huc Medicus Amſtælodamenſis *Ludov. Mejer*, qui auctor eſſe perhibetur Exercitationis paradoxæ: *Philoſophia Scripturæ interpres.* In qua quoque perverſa ſententia eſt *Chauwinus*, de religione naturali, quem confutavit *Buddeus* in Parerg. p. 509. Eidem ſententiæ addictus eſt *Lockius* in ſcripto, Anglice edito, quod de Rationabilitate inſcribitur. Ab his non multum differunt, qui Philoſophorum Veterum ſectas cum Scriptura ſacra conciliare ſtudent, &, ſi finem conſequi nequeant, ejus verba detorquent, mentemque corrumpunt. vid. obſerv. de ſyncretiſmo Philoſoph. T. III. obſ. 12. ſeqq. p. 218. *Keckermannus* in Syſt. Theol. L. II. Cap. 4. contra omnem rationem ſtatuit: *Deum ſuæ eſſentiæ veſtigia & imagines quasdam nobis impreſſiſſe, immo & lucem Spiritus Sancti, per duas illas plane divinas diſciplinas Metaphyſicam & Logicam in mentibus hominum velle accendere.* Huic conſenſum præbet *Gocclenius* in Miſcellaneis, fingens Metaphyſicam tradere veram & ſalvificam Dei cognitionem. Neque ab his divortium faciunt Photiniani, *Oſtoredus*, *Smalzius*, aliique, etiam ex Pontificiorum ſchola *Bellarminus*, Metaphyſicam conſtituentes regulam, normam, & principium fidei, contra manifeſtiſſima Scripturæ dicta, quæ nunquam Philoſophiæ, ſed ſoli Verbo revelato originem fidei ſalvificæ attribuunt, Pſ. XIX. 9. CXIX. 105.

alia-

aliaque multa. Sequeretur etiam ex hoc figmento, omnes illos in tenebris verſari, qui hiſce duabus diſciplinis non ſunt inſtructi, multi itaque fideles conſtituerentur infideles.

§. 35.

Cautiones circa uſum Metaphyſices in Theologia.

Licet ergo certitudo revelationis non dependeat ex Metaphyſica, eam eſſe tamen futuro Theologo utilem & neceſſariam contendimus, modo prænotetur: 1:mo *Nos non putare Metaphyſicam quibusvis divinæ Theologiæ ſtudioſis eſſe neceſſariam & utilem;* ſic enim ea eſſet principiorum Metaphyſices cum Theologia connexio, ut nemo in Articulorum fidei notitiam ſine illis pervenire poſſet, nemo ſine illis fidei ſalvificæ redderetur particeps, quod oppido abſurdum modo rejecimus (§. 34.), non, inquam, ſed iis ſolum, qui circa rerum divinarum explicationem & perceptionem aliquanto altius ſapere cupiunt, & Chriſtianam religionem veramque doctrinam contra adverſariorum fallacias, ex rationis abuſu depromptas, defendere ſatagunt. 2:do) *Neque nos proinde exiſtimare Metaphyſicam eſſe neceſſariam Theologo neceſſitate abſoluta & exigentiæ, ſed hypothetica & expedientiæ:* eſt enim *abſoluta Neceſſitas*, cujus oppoſitum eſt abſoluta impoſſibilitas, dicitur etiam in reſpectu ad aliquod obtinendum, *Neceſſitas exigen-*

igentiæ, qualem habet, quod fini conſequendo ita inſervit; ut ſine illo effici & acquiri nequeat: *Neceſſitas* vero *Hypothetica* eſt, cujus oppoſitum eſt non niſi hypothetica impoſſibilitas, vocaturque in relatione ad aliquod obtinendum *Neceſſitas expedientiæ*, quam habet, quod ad propoſitum finem non quidem abſolute, ſed ſub certa conditione, melius ſcilicet obtinendum, facit. Quare, quum non eousque commendemus Metaphyſicam, ut nemo ſine illa in rerum Theologicarum perveniat notitiam, ſed quod faciat ad accuratiorem & commodiorem doctrinam, ſequitur Metaphyſicam eſſe neceſſariam Theologo neceſſitate non exigentiæ ſed expedientiæ. 3:tio) Non itaque *Normalem & Magiſterialem*, qualem Philoſophicis præſtat diſciplinis, principiis tam complexis quam incomplexis dirigendo, (§ 24. 25.), ſed *Miniſterialem* Metaphyſicæ in Theologia concedimus uſum.

§. 36.

Uſus Metaphyſicæ in Theologia, 1:o. *Exegetice.*

Dicto igitur ſenſu (§. *præc.*) *defendimus futuro Theologo & neceſſariam & utilem eſſe Metaphyſicam;* Et quidem Primo ἐξηγητικῶς, terminorum explicationi inſerviendo: Sive enim Biblicos reſpiciamus terminos, quos in Scripturis αὐτολέξει deprehendimus, ſive Eccleſiaſticos, qui κατὰ διάνοιαν in

in Scriptura ſacra occurrunt, in utroque genere dantur nonnulli, quos ſine adminiculo Metaphyſices non ſatis accurate explicabit Theologus. Pertinent huc termini: *Ens*, *unum*, *verum*, *bonum*, *perfectum*, *principium*, *cauſſa*, *effectus*, *neceſſarium*, *infinitum*, *perſona*, *eſſentia*, *exiſtentia*, *accidens*, &c. Quorum & ſimilium terminorum accuratam cognitionem non aliunde quam ex Metaphyſica, ubi propriam inveniunt ſedem, haurire poteſt Theologus. Laudabitur ergo non ſolum *Stralius*, qui in Diſſ. de Philoſoph. N. T. occurrentes in N. T. entis, potentiæ, poteſtatis, generis, ſubſtantiæ, divinitatis, habitus, &c. notiones ex Metaphyſica expoſuit; ſed etiam commendabitur *Svicerus*, qui in notis ad Claubergii Ontoſoph. & voces & vocibus deſignatas res, veritatesque generales, per totum Dei codicem ſparſas, tam copioſe collegit, & ita ex Metaphyſica explanavit, ut haud parum lucis attuliſſe videatur eloquiis divinis, etiam talia ſubinde tradens, qualia ſæpe in Commentariis non reperiuntur obſervata.

2:do Κατασκευαςικῶς, quæſtionem propoſitam confirmando. Non quod ad propoſitionis puræ fidei veritatem ſtabiliendam connexionem medii & extremorum ex Metaphyſica hauriamus, hoc enim pacto propoſitio puræ fidei in propoſitionem Philoſophicam abſurde converteretur (§ 34.), 2:o. *Dogmatice.*

(§. 34.), in qua ex notione ſubjecti qualitatis prædicati determinabilitatem lumine naturæ perſpicimus, ſed quod ad concluſionem, cujus ſubjectum nonniſi ex revelatione, prædicatum vero cum medio termino, cujus tamen cum ſubjecto connexio ex Scriptura unice depromitur, ex lumine naturæ innoteſcit, quod, inquam, ad ejusmodi concluſionem inferendam haud raro utamur propoſitione majori ex Metaphyſica. Neque hoc mirum, quatenus enim prædicatum concluſionis cum medio termino ex lumine naturæ perſpicitur, eatenus etiam earum connexio, qua major in Syllogiſmo, ut ex Logicis conſtat, abſolvitur, propoſitionem infert rationi perviam. Ut vero juniores eo melius hoc percipiant, unum vel alterum addere placet exemplum. Oſtenſurus Patrem, Filium, & Spiritum S. in Divinis habere eandem eſſentiam, ita argumentor:

Quicunque habent easdem proprietates, illi eandem habent eſſentiam;
At Pater, Filius, & Spiritus S. in Divinis easdem habent proprietates. Ergo
Pater, Filius & Spiritus S. in Divinis eandem habent eſſentiam.

In hoc ſyllogiſmo notio medii termini, *proprietas*, & prædicati concluſionis, *eſſentia*, atque ideo integra propoſitio major ex Metaphyſica eluceſcit: connexionem autem medii

medii termini cum ſubjecto concluſionis, & per conſequens propoſitionem minorem, non naturæ lumen, ſed revelatio manifeſtat. Spectant huc alia exempla:

Quorum unus eſt gignens, alter genitus, illi differunt realiter,
Pater & Filius in Divinis ſunt gignens & genitus,
E. Pater & Filius in Divinis differunt realiter.
Cuicunque tribuuntur actiones perſonales, v. gr. loqui, docere, &c. ille eſt perſona;
At Spiritui ſancto tribuuntur hæ actiones perſonales. Ergo.

In his aliisque ejusdem generis idem, quod modo ad exemplum primum obſervavimus, valet. Non tamen hinc, ut quidam putant, metuenda eſt μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, quæ non ſtatim committitur, quando Metaphyſices principia in Theologia adhibentur, & in argumento Theologico, cum propoſitione ſupernaturaliter nota, conjunguntur ad inferendam concluſionem pure Theologicam; ſed tunc demum, quando propoſitio pure Theologica, in qua prædicati determinabilitas ex notione ſubjecti nonniſi ex revelatione innoteſcit, probari intenditur ex principiis rationis vel unice, vel ex parte, ita tamen ut connexio medii termini cum alterutro extremorum, natura non noto, naturali perſpicientiæ ſubjiciatur; Ejusmodi μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος peſſime commiſere

ſêre *Keckermannus*, & alii, quos antea nominavi (§.34.), & ſpeciatim, qui Trinitatem perſonarum in Divinis & medium reconciliationis inter Deum & hominem cum *Carpovio* ex ratione derivare non erubeſcunt.

Propriiſſimo autem ſenſu exſerit Metaphyſica uſum ſuum κατασκευαστικόν in articulis mixtis, ad quos confirmandos principia rationis recte afferuntur, non quidem, ac ſi Theologia ex proprio & domeſtico eos principio minus ſufficienter probet, vel probare queat, ſed tum ἐκ περιουσίας & conſequenter, ut pateat, quod & naturæ lumen aliqua ex Theologicis percipiat, tum ut hoſtes, qui vel totam Scripturam ſacram mordicus negant, vel ejus auctoritatem ex parte convellere non verentur, ex domeſtico principio, ratione, eo fortius erroris convincamus.

3:tio. *Polemice.*

3:tio) Ἀνασκευαστικῶς, adverſarios refutando. Falſam hæreticorum ſententiam, ex Theologicis principiis ſatis confutatam, ex ſuperabundanti principiis Philoſophicis & Metaphyſicis abſurditatis haud raro convincere, propiusque, iisdem adjuti adminiculis, adverſariorum telis, ex rationis depravatæ penu depromtis, obviam ire poſſumus. In hoc certe puncto, quando videlicet adverſarii, non attendentes ad Theologicam confutationem, argumentis ſuis, ex propria eorum indole nondum ſolutis, fortius

tius inſiſtunt, ſtudioſum Theologiæ ſine accurata Metaphyſices cognitione vel parum vel nihil proficere, plurima docebunt exempla, ſuis adferenda locis. Ex ſexcentis unum vel alterum impræſentiarum ſufficiat. Theologorum orthodoxam theſin de Deo Triuno tali argumento infringere conantur Photiniani: *Impoſſibile eſſe*, dictitant, *ut Deus unus & ſimul Trinus ſit, cum unitas eſſentiæ Divinæ ſtare nequeat cum communitate ad plures perſonas.* Quid heic reſpondebit Metaphyſicæ ignarus? quomodo profligabit impietatem Photinianam, terminos unitatis, eſſentiæ & perſonæ non callens? Profecto vel tacebit, vel victas adverſario dabit manus: In Metaphyſica autem verſatus intelligit unitatem non eſſentiæ incommunicabilitatem, ſed ſaltem indiviſionem prædicatorum eſſentialium formaliter inferre, atque ideo eſſentiam Divinam eſſe & permanere unam atque indiviſam, nihil obſtante quod tribus Deitatis perſonis re vera ſit communis. Idem eſto de aliis judicium exemplis, v. gr. Theſis eſt Orthodoxorum: *Ex unione duarum in Chriſto naturarum vera oritur & realis, eaque mutua & intimà naturarum participatio, cujus unionis conſequens eſt vera Divinorum idiomatum communicatio.* Circa hanc theſin ſi litem moveat vel Samoſatenus, vel Neſtorius, vel Neſtorizans Calvinianus, mutuam

Digitized by Google

tuam naturarum communionem atque idiomatum communicationem impie negans, qui quæſo feliciter eos refellet ſtudioſus, habitu Metaphyſico non inſtructus? Qua ratione unionem explicabit ſine unionis cognitione, & communicationem idiomatum defendet, nihil ex Metaphyſica de communicationis quidditate & diverſitate informatus? hæſitabit certe neſcietque ſe extricandi modum, quo etiam adverſarii, modo attendant, ſe confutatos eſſe ſentiant.

4:to. *Præſervatorie.* 4:to) *Præſervatorie*, ne varii generis errores committantur. Eſt quidem Scriptura ſacra ſufficientiſſima Doctrinæ cœleſtis regula & cynoſura; negari tamen nequit, ignorationem Metaphyſices frequentem fuiſſe magnorum errorum occaſionem. Sic *Flacius Illyricus*, neſciens diſtinguere inter accidens perpetuum & temporarium, ignorans pariter ſubſtantiam eſſe eſſentiam exiſtentem, atque ideo immutabilitatem involvere, ſtatuit *peccatum originis eſſe de hominis ſubſtantia, non ejus accidens. Vorſtius* ex Metaphyſica non informatus de immutabili & omnis ſucceſſionis neſcia infiniti natura, poſuit in Not. ad Diſpp. de Deo, æternitatem ejus eſſe ſucceſſivam: Hæc & alia ejusdem generis oſtendunt, Metaphyſicam conducere ad præcavendos errores, quos Theologiæ ſtudioſus facile alioquin committeret.

teret. Recte itaque β. *Shegkius* in dedic. Lib. contra Antitrin. *Vere hoc mihi dicturus videor, niſi accuratius incipiant homines philoſophari, futurum, ut nullus Sectarum, nullus hæreſium ſit finis futurus, quando hac ignoratione accidat, ut neque accipere legitime, neque reddere rationes, diſputatores imperiti valeant. De gubernatione Rerumpublicarum dicebat Plato: Tum demum beatas fore reſpublicas, ſi vel Philoſophi gubernarent, vel qui gubernant philoſopharentur; ita certe rectiſſime de deciſione controverſiarum dici poteſt, tum demum recte illas inſtitutum iri, ſi qui huic rei dant operam philoſopharentur ſobrie, vel ſobrie philoſophantes easdem tractationes ſuſciperent.*

Contra eximium, quem adſtruximus, Metaphyſices in Theologia uſum objectant ejus contemtores, 1:mo) *Illam continere otioſas & futiles Scholaſticorum diviſiones, quibus Theologiæ ſtudioſus inutiliter teret tempus.* Hæc objectio movet ſolum eos, qui cum recentioribus fanaticis ignorant diſtinguere inter veram atque genuinam Metaphyſicam, & perverſam illam tractandi methodum. Non hujus, ſed illius in Theologia defendimus uſum. 2:do) *Olim Theologos fuiſſe excellentiſſimos ſine Metaphyſices cognitione.* Falſum hoc eſt, ſi omnem Mephyſices intelligis cognitionem, illam quoque, quam ſine certo artificio naturaliter habemus. De cetero quis ignorat multos primitivæ Eccleſiæ Doctores, Platonica Philoſophia, in qua varii termini Metaphyſici occur-

Digitized by Google

currunt, probe fuiſſe imbutos. Concedendum deinde eſt, antequam Eccleſia hæreſibus infeſtaretur, tantam Metaphyſices non fuiſſe neceſſitatem, ac ſubſequentibus & præcipue noſtris temporibus. 3:tio) *Metaphyſicam feciſſe hæreſes.* Id non tribuendum eſt diſciplinæ, ſed ejus, ex ignorantia, abuſui. Potius Metaphyſica præſervat animum a variis in Theologia erroribus, facile alioqui committendis, ut mox monuimus, quam ulla hæreſium exiſtat cauſſa. 4:to) *Scripturam ſacram Matth. XI. 25. Rom. I. 24. ſeq. Col. II. 8. 1. Cor. I. 18. ſeqq. Rom VIII. 17. 1. Cor. II. 14. 2. Cor. X. 4 ſeq. uſum ſapientiæ humanæ rejicere.* Verum omnia hæc Scripturæ dicta theſi noſtræ non adverſantur, vel enim agunt de Philoſophia, ſed de ejus ultra juſtos limites abuſu, de illo in concreto, non autem in abſtracto ſpectata, vel plane nihil de Philoſophia in illis continetur, ut cum Sapientiam carnis Rom. VIII. 7. Philoſophiam eſſe dicunt, quæ tamen non eſt opus carnis, ſed naturæ.

§. 37.

Ab atheiſmo cavet Metaphyſ.

Ex his jam abunde liquet, Metaphyſicam non pandere viam ad atheiſmum, ſed illum potius impedire & tollere. Metaphyſica enim Theologiæ Naturali ita inſervit, ut ſine illa hæc demonſtrative proponi nequeat (§. 25), ad accuratiorem quoque in Theologia Revelata cognitionem obtinendam, quam maxime conducit

ducit (§. 35. 36.). Theologia autem tam revelata quam naturalis ad atheiſmum non ducunt, ſed ei potius extreme adverſantur; Metaphyſica ergo ad atheiſmum non pandit viam, ſed illum potius impedit & tollit.

Eſt atheiſmo nullum vitium fœdius, nullum turpius, nullum bonis moribus & ſaluti Reipublicæ magis inimicum; ut ergo Metaphyſica magis exoſa redderetur, hujus inſimulata eſt vitii. Maximam vero nobiliſſimæ diſciplinæ fieri injuriam breviſſime demonſtravi, in ipſa tractatione perſpicue expoſiturus, nihil reperiri, quod atheiſmo faveat, ſed quæ ei compedes impingant, dari multa.

§. 38.

Non eſt Lexicon terminorum, nec barbarorum.

Metaphyſica non eſt Lexicon quoddam Philoſophicum, multo minus barbarum. Lexicorum proprium eſt, vocum modo ſiſtere ſignificatus, voceſque unius linguæ vocibus alterius reddere: In Metaphyſica autem demonſtrantur, quæ omni enti ſive abſolute, ſive ſub data conditione ſpectato, conveniunt (§. 22.). Metaphyſica ergo non eſt Lexicon quoddam.

Neque eſt barbarum: nam quamvis in Metaphyſica occurrant termini, Latinis non uſitati, rebus, quas ignorabat Latium, impoſiti; inde tamen non ſequitur, in Metaphyſica magis, quam in ceteris diſciplinis, in qui-

bus ejusmodi etiam dantur termini, barbaras occurrere voces, locum habituræ, ſi aliis in Latina lingua receptis præter neceſſitatem ſubſtituerentur, quod quum non fiat, ſequitur Metaphyſicam non eſſe Lexicon barbarum.

Inter alia, quæ in Metaphyſicam congeſſere rerum ignari ſcommata, & hoc eſt, quod Lexicon Philoſophicum, farrago terminorum barbarorum & horriſonorum dicatur. Non negamus hoc de Scholaſticorum valere Metaphyſica, ejusmodi ubique conſpurcata terminis, ipſam tamen nullo modo afficit diſciplinam, quæ ejusmodi plane ignorat terminos, & cujus neceſſitatem & utilitatem prorſus eximiam mox evicimus.

§. 39.

Metaphyſica in Duas commode diſpeſcitur partes, quarum altera entis notionem ejusque proprietates exponit, altera proxima entis inferiora explicat; Illa generalis, hæc ſpecialis vocari ſolet. Eſt enim Metaphyſica ſcientia entis in genere (§.21.), adeoque tradere debet ea omnia, quæ entibus omnibus, ſive abſolute, ſive ſub data conditione conveniunt (§.22.). Quicquid autem abſolute enti convenit, non poteſt non ad ejus notionem generalem & proprietates pertinere; quicquid vero ſub data conditione de illo dicitur, proxima ejus reſpicit inferiora, quum aliam ens in genere non admittat conditionem, neque con-

concedat, ut ad inferiora, quæ magis ſunt remota, fiat deſcenſus, niſi quis, ſed abſurde, putaret Metaphyſicam tranſcendere debere generalis ſui objecti limites (§. 11. n. 4.). Recte ergo dividimus Metaphyſicam in partem generalem & ſpecialem.

Eſt hæc Metaphyſices diviſio maxime vulgaris & ſimul vera: ad quamvis enim diſciplinam requiritur plenaria objecti conſideratio, quam non abſolvit ſola perveſtigatio notionis ejus generalis, principiorumque & affectionum generalium evolutio; ſed una illam ingrediatur neceſſe eſt expoſitio proximorum inferiorum, in quæ objectum ipſum immediate reſolvitur; nam quatenus illa, ſimul ſumta, ipſum objectum, tanquam diviſum, adæquant, a plenaria ejusdem objecti tractatione abeſſe nequeunt. Quare, quem ad modum Phyſica non acquieſcit in notione corporis generali, ſed ſimul ad ejus ſpecies deſcendit; ita etiam Metaphyſica, præter generalem objecti ſui conſiderationem, recte ſimul poſtulat ſpecialem, modo ad ſpecies inferiores non fiat deſcenſus, quo pacto Metaphyſica comprehenderet *πᾶν νοητὸν*, quam ſententiam abſurditatis antea convicimus (§. 11. n. 4.).

METAPHYSICÆ
PARS PRIMA
DE
NOTIONE ENTIS ET PROPRIETATIBUS EJUS GENERALIBUS.

SECTIO PRIMA
DE
PRINCIPIIS ET NOTIONE ENTIS IN GENERE.

CAPUT I.
DE
PRINCIPIO CONTRADICTIONIS.

§. 40.

Non niſi de Principio cognoſcendi complexo heic agitur.

Quid & quotuplex ſit principium in Prolegomenis (§.12.) explicuimus, pariterque evicimus (§. 13.) ens Metaphyſicum principia eſſendi & fiendi non agnoſcere, agnoſere vero principia cognoſcendi & complexa & incomplexa (§. 14.). De *his*, quia, rem ſimplici termino denotatam, quæ in alterius nos deducit cognitionem, involvunt (§. 12.), & ideo, circa quamlibet rem, Metaphyſicæ tractationi ſubjectam, ſeparatim occurrunt, ſummatim in limine præſertim Metaphyſices agendi

gendi non eſt locus; ergo non niſi *illa* heic proponere & explicare conſtituimus.

§. 41.

Diviſio ejus in Primum & Orta.

Principium cognoſcendi complexum propoſitionem eſſe diximus, ex qua veritas alterius dependet (§. 12.); quatenus itaque in veritatum connexione vix ulla datur propoſitio, quæ veritatem alterius non ingrediatur, eatenus ingens occurrit principiorum cognoſcendi complexorum numerus, quem omnem abſolvere Metaphyſices non eſt munus, quod nonniſi circa principia maxime communia verſatur detegenda (§. 22.). Diſtinguuntur vero hæc principia cognoſcendi complexa communiſſima in *Primum* & *Orta*. *Illud* eſt propoſitio omnium reliquarum propoſitionum ultimatam in ſe continens rationem. *Hæc* ſunt propoſitiones ex primo deductæ principio vel immediate, vel mediante notione entis generalis, proprietatum ejus & proximorum inferiorum.

§. 42.

Primi affectiones.

Principium primum eſt univerſale, in ſe evidens & indemonſtrabile. Univerſale eſt, quod valet de omnibus, ſub ſubjecto comprehenſis; jam vero de omni propoſitione reliqua valet, quod in primo principio ultimato fundetur (§. 41.), eſt itaque primum principium univerſale.

 Si

Si principium primum in ſe non eſſet evidens & indemonſtrabile, ex alio demonſtraretur & innoteſceret ejus evidentia, quod proinde ex hoc principio primo non penderet; daretur itaque propoſitio, cujus ultimata ratio ex principio primo non deſumeretur, & per conſequens non eſſet primum (§. 41.). Sed hoc evertit hypotheſin, qua ponitur principium primum, & ideo abſurdum. Recte ergo defendimus principii primi evidentiam & indemonſtrabilitatem.

Non mirum eſt, me in demonſtratione hujus propoſitionis ſupponere principium primum, utcunque cognitum, diſtinctius mox explicandum, quum in actu, uti loquuntur, ſignato, nulla ſit veritas, quæ non huic principio ſuam debeat certitudinem. Ceterum alia adhuc requiſita principii primi mox evolvere conabor, ubi illius indolem exhibuimus & expreſſimus.

§. 43.

Definitio contradictionis. *Contradictio* eſt unius ejusdemque prædicati de uno eodemque ſubjecto ſimultanea affirmatio & negatio, ſeu, eſt ſimultaneitas affirmandi & negandi idem de eodem.

Ita v. gr. A eſt B, A non eſt B, anima humana eſt immortalis, anima humana non eſt immortalis. Vel A ſub conditione F eſt C, A ſub conditione F non eſt C, homo ſub conditione

ditione habitus demonſtrandi eſt Philoſophus, homo ſub conditione ejusdem habitus non eſt Philoſophus, ſunt propoſitiones contradictoriæ, in quibus idem de eodem affirmatur & ſimul negatur.

§. 44.

Liquet adeo ad contradictionem requiri 1:mo) *Idem ſubjectum.* 2:do) *Idem prædicatum.* 3:tio) *Simultaneam affirmationem & negationem*, immo nec ſubjectum nec prædicatum eſſe idem, niſi omnes reſpectus, omnes conditiones, ſi tales habet, h. e. ſi non abſolute ponitur, illud ingrediantur iidem, nullamque eſſe contradictionem, ubi aut ſubjectum aut prædicatum aliter in una quam in altera propoſitione eſt affectum vel determinatum. *Requiſita contradictionis.*

Hinc ergo facile confutabimus Unitariorum theſin, exiſtimantium Propoſitiones: *Filius cum Patre ejusdem numero eſt eſſentiæ*, & *Filius ex eſſentia Patris genitus*, eſſe contradictorias, quatenus ex eorum opinione ſequeretur hinc, Filium eſſe ſui Ipſius Patrem, h. e. eſſe Filium & non eſſe Filium. Aſt quis non videt, in priori propoſitione Patris eſſentiam eſſentialiter & ſine reſpectu Paternitatis ſpectari, in poſteriori vero perſonaliter & cum reſpectu Paternitatis conſiderari. Quam ob cauſſam, quum termini eodem non ſumantur reſpectu, nulla inter has propoſitiones vera eſt contradictio. Affirmamus Filium ex eſſentia Patris, perſonaliter ſumta,

eſſe genitum, negamus Illum ex eſſentia Patris, eſſentialiter ſpectata, genitum eſſe. Hanc cum Patre habet eandem, illam non. Haud diſſimili oſtenditur argumento inter has poſitiones: *Chriſtus eſt minor Patre* Joh. XIV. 28. et *Chriſtus eſt æqualis Patri*, ſeu, unum cum Patre Joh. X. nullam eſſe pugnam, cum in priori poſitione ſit reſpectus ad humanitatem, in poſteriori ad divinitatem.

§. 45.

Ulterius requiſitum oſtendendæ contradictionis.

Et ſubjecti & prædicati diſtinctas, vel minimum claras habebit ideas, qui propoſitionis cujusdam oſtendere conatur contradictionem. Poſtulat enim contradictio ſimultaneam unius ejusdemque prædicati de uno eodemque ſubjecto affirmationem & negationem (§. 43.); in propoſitione ergo, quæ contradictionem involvit, qualitas prædicati, ſimultanea affirmatione & negatione, repugnat notioni ſubjecti. Oſtenſurus ergo propoſitionis cujusdam contradictionem, probare tenetur, notionem ſubjecti vel non affirmare, quod prædicati idea negat, vel viciſſim non negare, quod prædicati notio affirmat; habebit ergo notionem ſubjecti & prædicati vel diſtinctam vel minimum claram, ſibi perſpectam.

Ita abſurditatem propoſitionis: *anima humana eſt materialis*, evicturus, notionem animæ humanæ

manæ & materialitatis tenebit: Niſi enim oſtendere valet notionem materiæ cum notione animæ pugnare, nunquam perſpiciet allatæ propoſitionis abſurditatem.

§. 46.

Deficiente hoc requiſito nulla patet contradictio.

In propoſitionibus ergo, ubi vel neutrius termini, vel non alterius diſtinctam vel claram habemus ideam, nullum nobis de contradictione, nullum de terminorum conciliatione relictum eſt judicium.

Ex. gr. Si neſcis quid vis centripeta ſit in Phyſicis, etiamſi in genere teneas ideam motus, contradictionem hujus propoſitionis: *in omni motu eſt vis centripeta*, nunquam eruere valebis, ſed potius fateberis te, ab alio terminorum gnaro non admonitum, hujus neſcire propoſitionis contradictionem. Spectant huc potiſſimum *Myſteria*, in codice ſacro nobis revelata, in quibus vel Subjecti vel Prædicati, vel neutrius ideam animo acquirere poſſumus diſtinctam; nullam ergo in illis oſtendere licet contradictionem, utut id peſſime ſibi perſuadeant varii hæretici.

§. 47.

Ideæ contradictio.

Idea contradictionem involvit, quando notiones partiales, totalem conſtituentes, ſibi mutuo contradicunt.

Qua-

Quatenus anima, ut mox ſum dicturus, contradictoria ſibi repræſentare nequit, eatenus, ſi idea denotat repræſentationem rei in mente, ulla dari nequit contradictionem involvens; Quia tamen deceptrices occurrunt ideæ, in quibus mens putat ſe habere ideam, quum tamen nullam habeat, quoad illas recte explicamus ideas contradictorias. Ejusmodi eſt idea figuræ circularis & ſimul quadratæ, ſeu figuræ, in qua lineæ à perimetro ad punctum intermedium ductæ ſunt omnes ſibi mutuo æquales, & ſimul quædam inæquales: Partiales enim heic occurrentes notiones ſibi contradicunt mutuo.

§. 48.

Contradictio in adjecto.

Terminus aliquis complexus, ex duobus ſimplicibus conflatus, quorum alter notionem habet, vel talia involvit prædicata, quæ alterius prædicatis vel notioni contradicunt, *Contradictio in adjecto* dicitur.

Ejusmodi contradictionis in adjecto exempla ſunt: *Pius Hypocrita*, *triangulum bilineum*, *anima materialis*.

§. 49.

Contradictio Explicita, Implicita.

Contradictionem eſſe diximus unius ejusdemque prædicati de uno eodemque ſubjecto ſimultaneam affirmationem & negationem (§. 43.). Quoniam vero ſubjectum & prædicatum

catum, quæ in binis occurrunt propoſitionibus, vel iisdem vel diverſis, idem tamen ſignificantibus, exprimuntur vocibus, ſi prius, *Contradictio dici ſolet Explicita*, ſi poſterius, *Implicita.*

Ex. gr. Inter propoſitiones: *Cajus virtuti eſt deditus*, & *Cajus virtuti non eſt deditus*, explicita locum habet contradictio. Inter has vero: *Cajus virtuti eſt deditus*, *Cajus decepit Sempronium*, Implicita datur contradictio; quatenus decipere aliquem, qua rem ipſam coincidit cum τῷ virtuti non eſſe deditum, quod tamen in priori propoſitione de eodem Cajo affirmatur.

§. 50.

Contradictio quando datur inter duas propoſitiones vel affirmantes vel negantes.

Si fuerint duæ propoſitiones, eodem conſtantes ſubjecto, ſed diverſis prædicatis, quorum tamen uno affirmato alterum negari, vel uno negato alterum affirmari debet, in iſtis autem propoſitionibus utrumque vel affirmatur vel negatur, inter illas datur contradictio. Quoniam enim diverſa iſta prædicata ſimul vel affirmari vel negari nequeunt (per hypoth.), dum in utraque propoſitione de eodem ſubjecto affirmantur, prædicata ei attribuuntur ſe mutuo deſtruentia, ſeu, ponitur ſubjectum eſſe ejus indolis & ſimul negatur; contradictio igitur inter memoratas datur propoſi-

poſitiones (§. 43.). Pari modo dum in utraque propoſitione negantur illa diverſa prædicata de eodem ſubjecto, quorum tamen uno negato, alterum affirmari debet (per hypoth.), denegatur ei prædicatum, quod tamen affirmandum erat, unde non poteſt non vera oriri contradictio (§. 43.).

Eadem hæc propoſitio ſic efferri & demonſtrari poteſt: *Si fuerint duæ propoſitiones A eſt B, A eſt C, & tamen oſtendere licet, ſi A eſt C, idem non poſſe eſſe B, dico propoſitiones iſtas A eſt B, & A eſt C, contradictionem involvere: Vel, ſi hæ fuerint: A non eſt B, & A non eſt C, & tamen demonſtrare licet, ſi A non eſt C, eſſe B, erunt quoque illæ propoſitiones contradictoriæ.* Nam in priori caſu, quia vi hypotheſeos demonſtrare licet, ſi A eſt C, non poſſe illud eſſe B, & in altera ponitur propoſitione A eſſe C; vi igitur ſyllogiſmi hypothetici, quem Logica explicat, recte infertur A non eſſe B; ſed hæc propoſitio contradicit primæ A eſt B (§. 43.), vera itaque inter allegatas propoſitiones datur contradictio. Eodem modo in poſteriori caſu, quia demonſtrare licet, ſi A non eſt C, illud eſſe B (per hypoth.), & jam conceditur A non eſſe C (per hypoth.), ad ductum ſyllogiſmi hypothetici recte concludimus A eſſe B, quæ propoſitio quum contradicat primum poſitæ A non eſt B (§. 43.), intelligitur inter

inter binas aſſumtas propoſitiones dari contradictionem.

Si quis ex. gr. concederet moralitatem actionum noſtrarum fundari in ſanctiſſima Dei natura, & tamen ſtatueret eandem moralitatem mero Dei ſubjacere arbitrio, propoſitiones ille adferret contradictorias; quatenus legitima ratiociniorum ſerie recte colligitur, quicquid mero Dei ſubjacet arbitrio, qua tale, non poſſe fundari in neceſſaria congruentia cum ſanctiſſima ejus natura.

§. 51.

Contradictio Latens, Patens.

Ubi ratiocinio opus habemus ad detegendam contradictionem, vocari illa ſolet *Latens*. Quando vero terminos intuentibus ſtatim fit manifeſta, dici ſolet *Patens*.

Contradictionis Patentis exempla antea ad §. 43. allegavimus, Latentis vero ad §. præcedentem, quæ præcipuum huic contradictionis diviſioni præbet fundamentum.

§. 52.

Fundamentum Principii contradictionis.

Anima noſtra, ſenſu intimo ſentiens ſe ſuosque actus, quum facile intueatur ſe, ſine deſtructione eſſentiæ ſuæ, non poſſe ſimul ſe non ſentire, absque ullo ulteriori diſcurſu, ſtatim hanc approbat propoſitionem: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.*

Eſt

Digitized by Google

Eſt hæc propoſitio conſcientiæ ſui, quæ animæ eſt eſſentialis, adeo implicata, ut hæc ſine illa nunquam eſſe poſſit ſalva; anima enim conſcia ſui, remota hac propoſitione, poſſet ſimul non eſſe ſui conſcia, quod ipſam ejus eſſentiam penitus deſtrueret. Hinc unusquisque noſtrum, qui rationis uſu pollemus, in ſeipſo experitur, ſuam mentem inclinari naturaliter, atque ſponte ſua natura ferri ad amplectendam hanc propoſitionem, ita ut illa, ubicunque ſe offerat occaſio, ſine hæſitatione utatur, neque unquam, ſi vel maxime experimenti capiendi cauſſa tentet, à ſe ipſo impetrare poſſit, ut illam in dubium vocet, multo minus neget. Sceptici igitur de rebus quidem omnibus dubitantes, hujus tamen propoſitionis, *Sexto Empirico* teſte, admiſêre vim. Neque eſt, quod quis credat nos, rationis uſu pollentes, conſtanti ſenſualium experientia perveniſſe ad tantam hujus propoſitionis certitudinem. Nam ut taceam, quod antea (§. 9.) evici, hac methodo nullam obtineri certitudinem, ejusdem hujus propoſitionis vim in infantibus, parum adhuc ratione pollentibus, experiri licet, ut qui ſimiliter ſponte ſua, atque ductu naturali, quaſi juxta præſcriptum, ſimpliciter impoſſibile judicant. Ex. gr. hominem, ſibi oſtenſum, ſimul patrem eſſe & ſimul non patrem. Certe, nunquam ita judicaret infans, niſi ſentiret repugnantiam inter ideam patris & non patris, ad idem relatam ſubjectum. In mente itaque infantis præſupponitur principium contradictionis, ſine quo adhibito nihil

nihil perciperet, ſed ſolummodo imagines diverſorum objectorum ſibi, fere ut ſpeculum, repræſentaret, absque omni contradictione & repugnantia. Conf. *Donati* Proëmium in Regul. Metaph. p. m. 14. 15.

Errant ergo, qui hujus propoſitionis certitudinem ex experientia ſenſuali & externa deductam cupiunt, quum ſic nulla obtineretur certitudo & aperta daretur ſcepticiſmo via (§. 9.). Neque eſt, ut cum *Butnero* in Proleg. ad Curſum Phil. §. 1. excipiat quis, certitudinem eatenus dependere à ſenſatione externa, quatenus in noſtra non eſt poteſtate, utrum ſentire aut in ſenſionibus illis aliquid immutare velimus nec ne: Largior enim ſenſationes in ſe ſpectatas, & quatenus imperio animæ non ſubſunt, immutabiles eſſe & neceſſarias, neceſſitate phyſica, largior etiam phænomena rerum, ſenſibus obſervata, certa eſſe, ſed unde illa certitudo? nonne ex evidentia noſtræ propoſitionis, quatenus, quod obſervatur, non poteſt ſimul non obſervari? ſine dubio, nam alioquin omnis exularet certitudo. Sin vero dicas dictæ propoſitionis certitudinem iterum dependere ex ſenſatione externa, ſenſationis certitudinem ex ſenſationis certitudine fluere per circulum & ridiculoſe ſtatueres. De cetero ſenſationes externæ verſantur circa res ſingulares & quidem materiales; ſed quomodo inde formabis ideas univerſales, res & materiales & immateriales ſuo comprehendentes ambitu? Per abſtractionem dicis; recte. Sed nonne ſic omnium ſingularium, & materialium &

immaterialium, ad convenientiam detegendam & diſconvenientiam removendam, requireretur accurata inſpectio? ita omnino. Sed ſic recurrerent difficultates allegatæ modo & profligatæ (§. 9.), ipſique præterea ſenſui externo contra naturam ejus affingeretur vis repræſentandi immaterialia. Sed quorſum hæc? ut paucis immota reddatur allatæ propoſitionis veritas, in quam, ut mox demonſtrabo, omnis reliqua ultimato reſolvitur.

§. 53.

Nomen & hiſtoria ejusdem. Allata (§. præc.) propoſitio: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*, vel, quod eodem redit: *Nulla res ſimul eſſe & non eſſe poteſt*, vel, *Idem ſimul eſſe & non eſſe nequit*, vocari ſolet *Principium contradictionis*, cui ergo ſine ulla hæſitatione ſuam mens noſtra attribuit certitudinem (§. præc.).

Principium hoc appellari etiam ſolet *Ariſtotelicum*, quia *Ariſtoteles*, Philoſophorum ſui ſeculi facile princeps, primus, quantum conſtat, illud diſtincte propoſuit Libro IV. Metaph. cap. 3. & in Metaphyſicam à ſe introductum valde commendavit, quod capitibus 7. & 8. ejusdem libri aliis, ſed ad eundem ſenſum collimantibus, expreſſit verbis: *Impoſſibile eſt idem ſimul affirmari & negari: neceſſe eſt altera contradictionis pars vera ſit vel falſa.* Neque enim inter has propoſitiones & illam, quæ Cap. 3. exhibetur, aliud datur diſcriminis, quam quod hæ contineant illius

illius applicationem ad Logicam. Appellatur præterea hoc principium, *Neceſſitatis & eſſentiarum principium*, quia ipſi non ſolum convenit abſoluta neceſſitas, ſed & omnis abſolutæ neceſſitatis, eſſentiis quoque attribuendæ, ultimatum exiſtit fundamentum.

§. 54.

Corollarii loco ſtatim hinc intelligimus, quicquid principio contradictionis adverſatur, contradictionem involvere (§. 43.); & viciſſim, quod contradictorium eſt, quia ponit idem ſimul eſſe & non eſſe (§. cit.), eidem repugnare principio.

Huic principio oppoſitum eſt contradictorium.

§. 55.

Sine conceſſo & ſuppoſito principio Contradictionis nihil indubium erit, nullaque dabitur certitudo. Vi principii contradictionis idem ſimul eſſe & ſimul non eſſe nequit (§. 53.); non conceſſo igitur vel non ſuppoſito hoc principio, poſſet A v. gr. eſſe B & ſimul non B, h. e. poſſet aliquid eſſe tale & ſimul eodem reſpectu ejus oppoſitum, per conſequens ſtatui nequiret ullum A eſſe B ſine formidine oppoſiti. Quia vero illud unice indubium & certum dicitur, quod cum formidine oppoſiti non eſt conjunctum, ſine conceſſo igitur & ſuppoſito principio laudato nihil indubium erit nullaque dabitur certitudo.

Sine illo nulla certitudo.

Digitized by Google

Dubitant quidem Sceptici de rerum omnium veritate, aliorum tantum proponendo opiniones, nihilque certi definiendo; quatenus tamen rerum phænomena non tollunt, ut teſtis eſt *Sextus Empiricus* Pyrr. hypoth. L. 1. cap. 10. proindeque non dicunt ſe videre ſolem v. gr. & ſimul non videre, principii contradictionis admittunt certitudinem, ſine quo ne quidem ſectam ſuam formare poſſent. Quicunque vero dubitas de certa rerum veritate, vel eandem negas, hanc tamen propoſitionem: *quod nulla detur certa veritas*, tanquam infallibilem & indubiam urgendo tibimetipſi, conceſſo principio contradictionis, contradicis, Sectamque idcirco tuam eodem, quo illam formaſti, munimento deſtruis. Denuo itaque intelligis principium contradictionis eſſe omnis certitudinis fontem, ſine quo & cum veteribus Scepticis, Pyrrhone, Timone, Sexto Empirico, &c. & cum recentioribus, Petro Daniele Huetio, Bælio, ceteriſque jure dubitaremus de veritatum certitudine.

§. 56.

Eſt indemonſtrabile.

Principium contradictionis ex nulla alia propoſitione, ceu priori & notiori, demonſtrari poteſt. Sit propoſitio: A eſt B; ex qua tanquam priori & notiori demonſtretur, ſi fieri poſſit, principium contradictionis; eſt autem demonſtratio, propoſitionis ex certis principiis illatio (§. 15.), certa itaque foret memorata propoſitio: A eſt

eſt B. Hanc autem certitudinem, quia ex illa deduceretur principium contradictionis (per aſſumtum), antecedenter ad illud principium, h. e. ſine illo poſſideret, daretur itaque ſine ſuppoſito principio contradictionis aliqua certitudo, quod quum fieri nequeat (§. 55.), patet principium contradictionis ex nulla alia demonſtrari poſſe propoſitione.

Quamvis ergo recte dicat *Ariſtoteles* L. IV. Met. Cap. 4. neminem demonſtrare poſſe hoc principium, niſi qui petere vellet, quod initio quæritur; non tamen & inter veteres & recentiores deſunt, qui principio contradictionis hanc denegare audeant evidentiam, quorum argumenta nonniſi potiora adferre & reſolvere placet. Unum eſt, quod adhibet *Antonius Andreæ* L. IV. Metaph. Cap. 3. qu. 5. *Propoſitum pronunciatum: impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, cum ſit modalis propoſitio, atque etiam conſtat verbis, quæ poſſunt reſolvi in plures conceptus (cujusmodi ſunt Impoſſibile, idem, ſimul), multis modis eſt compoſitum & ideo in ſimpliciores conceptus reſolvi & ex illis deduci poteſt.* Sed parum refert, quod propoſitum principium habeat externam modalis propoſitionis formam, nam qua internam ſuam naturam reſpondet huic æquipollenti: *Idem ſimul eſſe & non eſſe nequit*, vel alii. Parum quoque refert, an principium noſtrum pluribus, an paucioribus conſtet terminis, modo per alia principia demonſtrari nequeat. Accedit nos de conceptibus allegatorum terminorum, remoto principio con-

tradictionis non poſſe certos eſſe (§. 55.); adeoque ex illis hoc nunquam demonſtrari.

Alterum eſt, ipſum *Ariſtotelem* L. IV. Metaph. Cap. 3. *probare hoc principium contra eos, a quibus perhibetur negatum, utpote Democritum, Heraclitum, Anaxagoram; quare, quia actu probatum eſt, & ab eſſe ad poſſe valet argumentatio, illud demonſtrari poſſe recte affirmatur.* Ariſtoteles hoc principium nullibi probavit, ſed potius, ut audivimus, omnem ei denegavit demonſtrabilitatem. Et ubi contra Heraclitum l. c. diſputat, in hunc ratiocinatur modum: *Non enim fieri poteſt, ut idem quisquam eſſe & non eſſe exiſtimet, quem ad modum nonnulli Heraclitum dicere arbitrantur; neque enim neceſſe eſt, ut quæ quis dicit, ea & ſentiat; quod ſi fieri nequit, ut eidem ſimul contraria inſint, eſt ea opinio opinioni contraria, quæ contradictionis eſt.* Sed vel cæcus videt Philoſophum in tota hac ratiocinatione ſupponere principium contradictionis, neque illud unquam demonſtrare, ſed redarguendo illuſtrare. Hinc L. IV. Metaph. Cap. 4. præmiſſo demonſtrationis & redargutionis diſcrimine, docet ex propriis verbis redarguendum eſſe, qui primum hocce negare auſit principium, videlicet ſi ille pro notioribus accipiat, quæ revera minus nota ſunt, aut majora putet abſurda, quæ minus habent incommodi. Potius ergo ex *Ariſtotele* colligimus principium contradictionis nullam admittere demonſtrationem, quam demonſtrari idem poſſe.

Ad reliqua, quibus veteres contra hoc principium uſi fuêre, argumenta, data occaſione mox reſpondere conabimur. Inter recentiſſimos vero eſt *Stræhlerus*, qui in Exam. Metaph. Wolf. P. I. §. 3. & Diſſert. 1. de Exiſt. Dei §. 321. contradictionis principium ex notione oppoſitorum hunc in modum demonſtrare voluit: *Eſſe & non-eſſe ejusdem ſunt oppoſita (vi def.), hinc unio eorum contradictionem conſtituit, quia contradictio dicitur oppoſitorum unio. Quod autem cum contradictione eſt, eſt impoſſibile, ſive, quod idem eſt, impoſſibile eſt idem eſſe & ſimul non eſſe.* Sed in tota hac prætenſa demonſtratione committitur fallacia petitionis principii; demonſtrandum enim ex mente Stræhleri erat principium contradictionis, quod tamen in initio ſtatim ponitur, quum propoſitio: *Eſſe & non-eſſe ejusdem ſunt oppoſita*, nunquam ſine laudato principio intelligi queat, illoque remoto, eſſe & non-eſſe ejusdem nunquam oppoſita forent, ſed potius non-oppoſita. Nihil ergo hac ſua prætenſa demonſtratione effecit Stræhlerus aliud, quam quod reipſa amplius confirmet principii noſtri indemonſtrabilitatem. Neque plus hac obtinebit ratiocinatione: *Eſſe & non-eſſe involvit contradictionem (per def. contrad.). Quicquid contradictionem involvit eſt impoſſibile (per def. impoſſibilis). Ergo impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.* Ambæ præmiſſæ ſupponunt principium contradictionis, ſine quo inter eſſe & non-eſſe nulla daretur contradictio, neque quicquam ad impoſſibilia foret referendum. Putat *Stræhlerus*

rus Cap. 1. de ſenſu princip. Rat. ſuff. p. 52. 53. & majorem & minorem in allato ſyllogiſmo veritatem habere ſuam, non vi principii contradictionis, ſed vi notionum. Quæro autem unde iſtis notionibus ſua conſtet certitudo, ſua realitas? nonne negata, vel potius ignorata hactenus veritate laudati principii, æquo dicere poſſem animo, eſſe & non-eſſe ejusdem non eſſe oppoſita, atque affirmo illa oppoſita eſſe? ita ſine dubio; nam nihil ſic daretur quo noſtra quæcunque figeretur cognitio. Profert de cetero idem Stræhlerus c. l., principium contradictionis demonſtrari poſſe oſtenſurus, hoc generale argumentum: *Omne principium complexum, etiam primum, conſtat ſubjecto & prædicato, quæ aut inter ſe conveniunt, aut diſconveniunt. Jam demonſtrare nihil eſt aliud, quam convenientiam aut disconvenientiam notionum ex notionibus ipſis, tanquam ſimpliciſſimis principiis manifeſtare. Omne ergo principium complexum, etiam primum, demonſtrari poteſt.* Sed facilis eſt reſponſio: Omnis propoſitio, cujus ſubjecti & prædicati notiones independenter ex eadem illa propoſitione erui poſſunt, illa ex notionibus iſtis demonſtrari poteſt, non vero ubi ſubjecti & prædicati notiones ita inter ſe & cum dicta propoſitione complicantur, ut una absque altera cogitari nequeat. Limitata ſic majori propoſitione corruit concluſio.

His mitiores ſunt, qui quidem concedunt principium contradictionis à priori, ſive ex notioribus & prioribus propoſitionibus demonſtrari non poſſe, putant tamen à poſteriori, ſive

ſive per experientiam & inductionem plurium caſuum veritatem hujus principii evinci & communiri poſſe. Hinc vero nullam generari certitudinem, ipſiusque ſenſualis experientiæ certitudinem ex principio contradictionis dependere mox evici (§. 52.), neque igitur à poſteriori demonſtrari poteſt noſtrum principium. Poſſunt quidem varia illuſtrationis gratia adduci exempla, nunquam vero ex iis demonſtrabitur.

§. 57.

Eſt primum cognoſcendi principium.

Principium contradictionis eſt Primum cognoſcendi principium. Etenim principium hocce ex nulla alia propoſitione, ceu priori & notiori, demonſtrari poteſt (§. præc.), fontemque continet omnis certitudinis (§. 55.), omnium ergo reliquarum propoſitionum ultimata ratio in hoc continetur; Eſt itaque primum cognoſcendi principium (§. 41.).

Principium contradictionis, quod architectonicum & fulcrum ceterorum omnium jure dixeris, ante Ariſtotelem, Sectæ Peripateticæ conditorem, vix reperies uſurpatum & in aliqua diſciplina diſtincte applicatum, multo minus agnitum ut primum. Poſt Ariſtotelis vero tempora, qui L. IV. Metaph. Cap. 3. totidem verbis contendit hoc principium eſſe omnium axiomatum ſuapte natura principium, ultro citroque non modo de dignitate hujus principii eſt diſputatum, ſed

 etiam

Digitized by Google

etiam varia à variis allata & venditata ſunt principia prima.

1:mo) Inter Scotiſtas *Antonius Andreæ* L. IV. Metaph. 9. 5. tribus argumentis, quæ proponit & reſolvit *Fonſeca* L. IV. Metaph. Cap. 3. dignitatem hujus principii primi convellere conatur, exiſtimans potiori jure hanc identicam, *Ens eſt ens*, hoc decorandam eſſe honore. 2:do) *Alii* cum *Goveano* A. S. Protheoria Cap. 3. §. 9. p. 433. putant principium contradictionis ſuam evidentiam debere huic propoſitioni: *Quodlibet eſt vel non eſt*, quam principium excluſi medii appellare mos eſt, illudque ergo non vero contradictionis eſſe primum volunt. 3:tio) *Alii* exiſtimant principium contradictionis in hanc reſolvi propoſitionem: *Quicquid recta ratio dictitat, illud eſt verum*, illamque proinde pro primo principio eſſe habendam arbitrantur. Pro hac ſententia egregie diſſerentem evolvere liceat *Chriſtianum Thomaſium* in der Einleitung zur Vernunft-Lehr Cap. 6. §. 20. & ſeqq. ubi allatum principium in duo alia reſolvit, quorum alterum ſenſus, alterum intellectum attinet. 4:to) *Plures* hanc *Carteſii* propoſitionem: *cogito ergo ſum*, ad ſimile culmen evehendo, Ariſtotelico iſti primatum adimere conantur. 5:to) *Auctor* artis cogitandi P. IV. Cap. 6. p. 273. arbitratur, omnem cognitionis humanæ in rebus naturalibus certitudinem atque evidentiam dependere ex hac propoſitione, ceu ultimo principio: *Quicquid continetur in alicujus idea clara & diſtincta, poteſt vere de illo affirmari.* Neque ab

hac

hac ſententia abludit Nob. Dn. de *Tſchirnhauſen* in Medicina Mentis Part. 2. Sect. I. p. 34. & ſeqq. ſtatuens *verum eſſe, quicquid concipi, falſum vero, quod non concipi poteſt.* 6:to) *Lockius* in Libro de Intellect. humano L. 1. Cap. 2. uti omnes innatas ideas rejicit, ita etiam exinde primam dignitatem principio contradictionis denegat, putans *hoc principium non eſſe primum & innatum, quia non infantes & inſipientes, quia ne milleſimus quidem quisque homo de eo cogitat.*

Quidam ut his contra primum principium incommodis obviam eant, ſtatim in limine diſtinguere ſolent inter demonſtrationem directam & indirectam, quaſi hæc non vero illa opus haberet principio contradictionis, tanquam primo. Fateor directam propoſitionem explicite & formaliter non provocare ad principium contradictionis, adeſt tamen virtualiter, non ſolum qua formam ſyllogiſticam, quæ ut dicto de Omni & Nullo, ita & principio contradictionis ultimato innititur, ſed etiam qua ultimatam concludendi rationem. Eruitur quippe omnis demonſtratio certis & indubitatis principiis, definitionibus videlicet accuratis, experientiis infallibilibus, axiomatibusque certiſſimis, quibus tamen omnibus, absque principio contradictionis, nulla conſtabit certitudo (§. 55.). Taceo demonſtrationem directam in indirectam, & viciſſim, hanc in illam converti poſſe, ut proinde de univerſali uſu noſtri principii per omne demonſtrationis genus abunde conſtet.

Nobis

Nobis jam ſex memoratas de principio p imo opiniones examinaturis, initio occurrunt tria *Antonii Andreæ* contra illud vibrata argumenta, quorum primum adduximus & confutavimus ad §. præc. Alterum hunc fere in modum promitur: *Quia affirmatio prior eſt negatione, quem ad modum veritas prior eſt falſitate, primum principium affirmativum eſſe debet: hoc vero principium, Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, negativum eſt, primum ergo eſſe nequit.* Quanquam veriſſimum eſt in propoſitione omni, qualitatem prædicati, ſive affirmando ſive negando abſolvatur, determinari ex notione ſubjecti, quæ, quum involvat quædam prædicata, negativa eſſe nequit, remoto tamen principio contradictionis nulla ſtabilis & fixa erit ſubjecti notio. Neque pro certitudine obtinenda ſufficit affirmaſſe A, v. gr. habere indolem B, ſed ſimul requiritur, ut abſit omnis oppoſiti formido, quod affirmando tantum obtineri nequit. Ratione ergo ultimatæ certitudinis & evidentiæ conſequendæ affirmatio cum remotione omnis oppoſiti eſt conjungenda. Hoc autem vi principii contradictionis obtinetur, illud ergo ratione certitudinis & ultimatæ evidentiæ primum eſt. Deinde quod in oppoſitione additur, veritatem priorem eſſe falſitate, potius confirmat quam deſtruit noſtram aſſertionem; quum nemo, ſi quosdam Judæorum (de quibus *Friſchmutius* in peculiari diſſertatione, an Ebræi ſtatuant idem ſimul eſſe & non eſſe), & Anonymum quendam Chriſtianum (de quo *Stahlius* Regul.

gul. Philoſoph. Diſp. 1. Reg. 1. Th. VII.) mente ſine dubio captos, excipiamus, eo progreſſus ſit impudentiæ, ut noſtrum principium falſitatis arguat. Nihil itaque valet hæc inſtantia ad extenuendam principii primi dignitatem. Tertium, quod profert *Antonius Andreæ* argumentum, & quod propoſitionem continet, quam ille putat principii primi dignitate decorandam eſſe, mox ſigillatim explicare & proponere conabor, ſuoque pariter loco ſecundam confutaturus opinionem, qua principium excluſi medii tanquam primum ſtatuitur.

Quod tertiam concernit ſententiam, qua dicitur principium contradictionis in hanc reſolvi propoſitionem: *Quicquid recta ratio dictitat, illud eſt verum*; Fatemur rectam rationem, quatenus tam late ſumitur, ut conſcientiam, quam anima de ſeipſa habet, includat, veritatem noſtri principii dictitare (vide not. ad §. 52.); inde tamen non ſequitur, allatam propoſitionem vim principii primi poſſidere, quum in principio primo ſtatuendo non quæratur, quodnam in ſubjecto cognoſcente ſit primum, ſed objective, quæ propoſitio ex ſerie propoſitionum Philoſophicarum ultimatum reliquarum conſtitui debeat fundamentum, quod vel ipſa definitio principii primi inſinuat (§. 41.). Hoc ſenſu non autem illo diximus principium contradictionis eſſe primum. De cetero allata ab opponente propoſitio potius dicit multarum veritatum complexum ac aggregationem, quam unam præciſe propoſitionem, quæ omnium prima eſt.

Quarta

Quarta ſuccedit opinio, Carteſianorum de principio primo comprehendens dogma. *Carteſius* contra Scepticos diſputaturus, hanc propoſitionem: *Cogito ergo ſum*, tanquam fundamentale, primum & certiſſimum præmiſit principium, quippe quod alicujus rei nobis notiſſimæ & maxime familiaris, ſubſtantiæ ſcilicet in nobis cogitantis, exiſtentiam infallibiliter, utpote ipſa dubitatione confirmatam, detegeret, nosque, quatenus certitudo reliquarum rerum exiſtentium reſolvitur in certitudinem conſcientiæ ſuæ, & inde pendentis certitudinis de exiſtentia entis ſibi conſcii, nos, inquam, eatenus in tanto certiorem de rerum ceterarum exiſtentia notitiam deinceps proveheret. Hinc ubi Carteſius principii primi titulo dictam inſignit propoſitionem, non intellexit quod ex natura objecti ratione concluſionum eſt primum, ſed in relatione ad cognoſcentem ratione ordinis primum eſt, quo nullum certius & evidentius rei alicujus exiſtentiam nobis detegit, ut nulla tam enormis dubitandi ratio à Scepticis afferri poſſit, à qua non eximatur. Spectant huc verba ipſius *Carteſii* in Epiſt. 118. *Vocabulum principii variis ſenſibus ſumi poteſt, aliudque eſt, quærere notionem aliquam communem, quæ tam clara ſit & generalis, ut poſſit principii loco aſſumi, ad probandam entium omnium, quæ poſtea cognoſcentur, exiſtentiam; aliud vero ens aliquod quærere, cujus exiſtentia nobis ſit notior ullorum aliorum entium exiſtentia, ita ut principii loco apud nos eſſe poſſit, ad ea cognoſcenda. Priori ſenſu dici poteſt hoc eſſe prin-*

principium: impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe. Et paucis interjectis: *altero ſenſu primum principium eſt, quod anima noſtra exiſtit, quia nihil eſt, cujus exiſtentia nobis ſit notior.* Idem Part. I. Princip. Phil. n. 7. inculcat: *Proinde hæc cognitio: cogito ergo ſum, eſt omnium prima & certiſſima, quæ cuilibet ordine philoſophanti occurrat.* & n. 10. *Ubi dixi hanc propoſitionem: cogito ergo ſum, omnium eſſe primam, quæ cuilibet ordine philoſophanti occurrat; non ideo negavi, quin ante ipſam ſcire oporteat, quid ſit cogitatio, quid exiſtentia, quid certitudo, item quod fieri non poſſit, ut id, quod cogitet, non exiſtat, & talia. Sed quia hæ ſunt ſimpliciſſimæ notiones, & quæ ſolæ nullius rei exiſtentis notitiam præbent, idcirco non cenſui eſſe numerandas.* Contra ipſum ergo Carteſium, qui non eo, quo nos ſenſu, principium ſuum, *cogito ergo ſum*, primum voluit, ſed tantum ratione ordinis in relatione ad cognoſcentem, ne vocabularius evadat noſter diſcurſus, non diſputabimus. Longe vero aliud pronunciandum cenſemus de quibusdam Carteſii ſequacibus, qui miſſo hoc, quod vere poſuit Carteſius, diſcrimine, inter principia prima, Carteſianum illud: *cogito ergo ſum*, objective & abſolute primum voluerunt. *Claubergius* in Annot. ad Ontoſoph. §. 26. variis argumentis oſtendere conatur, Ariſtotelicum illud, quod nos defendimus, & cujus objectivam dignitatem ſalvam reliquit Carteſius, naturali ſimplicitate & prioritate vinci à Carteſiano: Contendit videlicet hoc *a*) tanquam ſimplicem, puram & affirmantem enuncia-

tio-

tionem, ſua natura prius eſſe compoſita, modali, negante, β) conſtare terminis notioribus, ego & ſum, quam illis in Ariſtotelico: impoſſibile, idem, ſimul. γ) oſtendere exiſtentiam alicujus rei, ſubſtantiæ ſcil. cogitantis, quæ in initio Philoſophiæ ſtatim eſt ſupponenda, ut habeamus ſubjectum de quo philoſophemur. δ) nihil tanquam prius & notius præſupponere, cum ab eo, qui reliqua omnia in dubium revocavit ac ſepoſuit, pronuncietur: Ariſtotelicum autem præſupponere diviſionem ejus, quod cogitari poteſt, in ens & non-ens, indeque natum axioma: quodlibet eſt aut non eſt. Claubergio & aliis Carteſianorum, qui eandem cum hoc inflant tibiam, varii ſe oppoſuêre. Nominatim vero *Paulus Voëtius* in Prim. Phil. Reform. Cap. 8. n. 4. p. 143. *Alex. Pitcarnius*, qui acrius & prolixius hoc Carteſianorum principium impugnavit in Anatome Carteſianiſmi, Londini edita, Parte. 2. *M. Heldberg* 3. Diſput. de primo complexo. *D. Hamel*, qui, quamvis parum honoris Ariſtotelico attribuat principio, Carteſianum tamen nec primum eſſe, nec rerum cognitioni acquirendæ neceſſarium ſtatuit. Tract. 1. Diſp. 1. Qu. 1. p. 267. Sunt & alii, qui mediam inter hos incedunt viam, exiſtimantes imperite quæri, utrum horum principiorum, ab Ariſtotele & Carteſio allatorum, prius ſit, eſſe enim æque prima & ſe mutuo implicare, adeo ut alterum ſine altero ne concipi quidem poſſit. Huic ſe addixit ſententiæ Noſter Rev. *Andr. Rydelius* in Sententiis Fundam.

dam. Cap. III. p. m. 77. Amicam vero collationem principii Ariſtotelici & Carteſiani, in peculiari de hoc argumento diſſertatione, inſtituit *Georg. Röttenbeccius*, exiſtimans ab Ariſtotelico ſuperari Carteſianum prioritate & certitudine objectiva, non vero formali & ratione ordinis (qua in re in eandem cum Carteſio ingreditur ſententiam), evidentia vero, utilitate atque neceſſitate ad indagandas veritates, utrumque pari ambulare paſſu, prioritatemque, qualem Scholaſtici in principio abſolute primo requirunt, fruſtra in principio contradictionis reperiri, nullum quoque adhuc indicari potuiſſe principium abſolute primum.

Sed ne longius in hiſtoricis progrediendo noſtri obliviſcamur inſtituti, confutationi adverſariorum deſtinati, ad Claubergium regrediamur, qui contra Ariſtotelicum principium eodem, quo *Antonius Andreæ*, argumento pugnat, cujus ergo ulteriori confutationi, mox allatæ, non inhæremus: Terminos, in Carteſiano comprehenſos principio, notiores eſſe iis, qui in Ariſtotelico continentur, dici haud poteſt, quum illi horum, fatente ipſo *Carteſio* P. I. Princip. n. 10. præſupponant notitiam. Neque negamus Carteſianum, ratione ordinis in relatione ad cognoſcentem, dici poſſe primum, prout mox ex ipſo explicuimus Carteſio; inde tamen non ſequitur illud objective primum eſſe, quam dignitatem Ariſtotelico non autem Carteſiano attribuendam eſſe docuimus. Quod non ex axiomate: *quodlibet eſt aut non eſt*, fluat

F Ari-

Ariſtotelicum, prout Claubergio placet, ſed potius ex hoc dependeat illud, mox ex inſtituto demonſtrare conabor.

Utrumque principium Ariſtotelicum & Carteſianum tanta conjungi cognatione, ut ſubjective ſe mutuo implicent, & alterum ſine altero non concipiatur, eo lubentius *R. Rydelio* concedimus, quo certius eſt nos ex conſcientia ſui deduxiſſe Ariſtotelicum (§. 52.); Nihilo tamen ſecius contendimus ex Ariſtotelico, quo ad modum concludendi, dependere Carteſianum: Effatum enim, *cogito ergo ſum*, eſt Enthymema, quod ratione concludendi hanc majorem præſupponit propoſitionem: *Quicquid cogitat, exiſtit.* Hujus vero propoſitionis veritatem ex principio contradictionis ultimato dependere ſequens, palam facit ratiocinium: *Quicquid actu agit, exiſtit, ſed quod cogitat, actu agit; ergo, quod cogitat, exiſtit.* Major ex definitione exiſtentiæ, minor ex definitione cogitationis elucet, quæ veræ eſſe nequeunt niſi ſuppoſito principio contradictionis, quod ut clarius pateat, indirecto demonſtrationis utamur genere: Ponamus quod cogitat, non exiſtere, includit vero cogitatio agendi actum, conſequenter poſſideret aliquod ens agendi actum, quod tamen non exiſteret; aſt ex definitione exiſtentiæ colligitur, quicquid actu agit, exiſtere. Propoſitiones itaque contradictoriæ (§. 43.) ſimul veræ eſſe poſſent, quod per principium contradictionis (§. 53.) eſt abſurdum: Quicquid ergo cogitat, exiſtit. Vides itaque Carteſiani pronunciati certitudinem

dinem, qua modum concludendi, dependere ex principio Contradictionis, atque ideo illud non eſſe principium primum, quod nos quærimus, ſed a primo deductum (§. 41.).

Carteſianum principium prioritate formali & ratione ordinis non ſuperari ab Ariſtotelico, ſed tantum prioritate & certitudine objectiva *Rôttenbeccio* concedimus, quatenus in hoc ſtatuendo eandem cum Carteſio tuetur ſententiam, concedimus, inquam, ſed ſine læſione Ariſtotelici principii, cujus prioritatem non ſubjectivam ſed objectivam defendimus. Carteſianum vero cum Ariſtotelico utilitate & neceſſitate ad indagandas veritates pari paſſu ambulare, Rôttenbeccio dare non poſſumus. Nam quamvis ex propriæ exiſtentiæ conſideratione, Dei indeque rerum ab ipſo creatarum exiſtentiam eruere liceat; illud tamen absque principio contradictionis, tanquam ultimato omnis deductionis fundamento, non fieri oſtendit reſolutio Carteſiani principii, modo inſtituta, in principium contradictionis. Neque negamus alia axiomata, quorſum pertinent, quæ ex D. Hamelio adducit Rôttenbeccius, *ex nihilo nihil fit*, *Nemo dat quod non habet*, & ſimilia propius magisque quarundam veritatum inſervire indagationi; inde tamen non ſequitur, ipſum Contradictionis principium, ex quo memorata dependent axiomata, veritatum non inſervire inventioni, neque in ſyſtematica evolutione veritatum à principio primo aliud deſiderabit quisquam, niſi qui arbitretur indolem principii primi poſtulare, quod ex illo

immediate erui poſſit veritas quævis; quale principium primum non dari, neque dari poſſe ultro largimur.

Prioritatem, qualem in principio abſolute primo requirimus, fruſtra, in principio contradictionis reperiri, inde probare conatur Rôttenbeccius l. c. §. 56. 57. 58. quod ſecundum ejus mentem dependeat vel ex principio excluſi medii, vel ex propoſitione: quicquid recta ratio dictitat, illud eſt verum; vel ex propoſitione: quicquid clare & diſtincte percipio, illud eſt verum. Sed primum & tertium falſum eſſe mox demonſtrabo, ſecundum a vero aberrare antea docui. Nihil ergo reſtat, quo Rôttenbeccius ſuam confirmet opinionem. Accedit illum non determinando utram allegatarum propoſitionum putet eſſe fundamentum principii contradictionis, propria cecidiſſe cauſſa, neque proprii ratiocinii introſpexiſſe connexionem.

Ultimo tandem loco §. 61. l. c. urget idem Rôttenbeccius, *nullum adhuc indicari potuiſſe principium abſolute primum, & ſe valde dubitare, num ullum tale detur, quum ſupra humani intellectus captum poſitum eſſe videatur, infallibiliter determinare, quodnam ex natura rei ſive objecti ſit prius principium, & hanc dignitatem propoſitioni alicui, de Deo (qui omnis veritatis fons & origo, ac prima, uti loqvuntur, veritas eſt) ſpecialiter & expreſſe non formatæ, transſcribere ſe nunquam audere.* Tota hæc inſtantia abunde declarat, aliam de indole principii primi opinionem Rôttenbeccio quam

quam nobis obverſari. Certe non quæritur quodnam objectum, quod philoſophicæ ſubjicitur conſiderationi, prius ſit reliquis omnibus, quale Deum eſſe ſine ullo fallendi periculo Röttenbeccio damus; ſed id agitur, ut determinemus propoſitionem, ex qua reliquæ omnes, qua modum concludendi, dependent. Prius involvit principia eſſendi & fiendi, de quibus impræſentiarum non controvertitur, poſterius infert cognoſcendi principium & quidem primum, quod ſi determinate non daretur, neque ulla determinata locum invenire poſſet veritas, nulla demonſtratio (ut ipſe Ariſtoteles L. IV. Metaphyſ. Cap. IV. recte monuit.), nullum enim certum daretur & ſtabile principium, in quo pedem illa ultimato figeret, omnium ergo diſciplinarum convelleretur certitudo, merusque introduceretur ſcepticiſmus.

Satis jam vidimus Carteſianum illud: *Cogito ergo ſum*, nihil dignitatis & prioritatis principio contradictionis detrahere; Poſtulat ergo recepti ordinis ratio, ut ad Auctorem Artis cogitandi, cujus quinto loco in initio hujus §phi allegavimus ſententiam, nos convertamus. Urget ille propoſitionem: *quicquid continetur in alicujus idea clara & diſtincta, poteſt vere de illo affirmari.* Sed hæc propoſitio primum, quod quæritur, principium eſſe nequit, quod ita comparatum erit, ut reddat noſtram cognitionem claram atque diſtinctam, certam pariter, ut ſine oppoſiti formidine pateat quod in idea rei continetur, quod non. Potius de cetero

Digitized by Google

accedit allata propoſitio ad criterium veritatis, quam ut principium cognoſcendi primum conſtituat: Docet enim verior Logica, criterium veritatis conſiſtere in determinabilitate prædicati per notionem ſubjecti, quare in affirmativis propoſitionibus hac comprehendetur illud formula: *quicquid in notione ſubjecti continetur, de eo vere affirmatur.* Primum vero cognoſcendi principium cum veritatis criterio non eſſe commiſcendum diſtinctæ utriusque docent notiones: Eſt enim criterium veritatis cuilibet propoſitioni intrinſecum quid, unde illam ut veram agnoſcimus, objective igitur unam certam & determinatam non dicit propoſitionem: Principium vero cognoſcendi primum eſt unica & determinata propoſitio, in cujus veritatem reſolvitur veritas ceterarum omnium (§. 41.). Dicta igitur ab Auctore artis cogitandi propoſitio principium cognoſcendi primum conſtituere nequit.

Parum ab hujus Auctoris ſententia diſtare diximus Nob. D. *Tſchirnhauſeni* opinionem, qua *verum* putat *eſſe quicquid concipi, falſum, quod non concipi poteſt.* Non poteſt hæc propoſitio principium conſtituere primum, quod ita erit comparatum, ut tradat omnis ejus, quod concipi poteſt, ultimatum fundamentum. Taceo nos ſecundum hanc propoſitionem tanquam fundamentalem, judicium unice formaturos facile errare poſſe atque decipi, notiones deceptrices loco verarum aſſumendo. Idem judicium eſto de hac, quam quidam ex *Carteſio* tanquam fnndamentalem ſumunt, pro-

propoſitione: *Quicquid clare atque diſtincte percipio, illud eſt verum.* Accedit has binas propoſitiones cuilibet convenire propoſitioni philoſophicæ, non unam & determinatam inferre propoſitionem, quod tamen principii primi neceſſarium eſſe requiſitum modo audivimus.

Lockium, cujus ſententiam ſexto loco ad initium hujus §phi propoſuimus, confutare conatur *Canzius*, in Ontol. Polem. §. 4. diſtinguendo inter methodum analyticam & ſyntheticam, quaſi principium contradictionis in hac eſſet primum, non vero in illa, quæ ex principiatis principia eruit. Sed non bene attendit vir, cetera doctiſſimus, ad definitionem principii primi: Non ſane ex eo capite vocatur primum, quod primo loco in methodica tractatione ſemper ponatur, ſed quod omnium concluſionum veritatem in ſe ultimato contineat, neque ulla detur alia propoſitio, ex qua deducatur, & fluat. Potius ergo ad inſtantiam Lockii reſpondemus, diſtinguendo inter diſtinctam atque explicitam principii hujus primi, cognitionem, & confuſam atque implicitam, illam ne milleſimus quidem poſſidet, hanc omnes habere oſtendunt continuæ dicti principii in vita communi applicationes. Sic omnes regula imaginationis utimur, licet pauciores ad illam attendant.

§. 58.

Eſt univerſale.

Principium contradictionis eſſe abſolute primum ſatis jam oſtendimus

mus (§. præc.), unde ex prono velut alveo fluit ejus univerſalitas (§. 42).

Tantæ eſt laudatum principium extenſionis, quantam poſſidet univerſaliſſimus entis conceptus, qui et actualia & poſſibilia ſub ſe comprehendit omnia: Quicquid enim exiſtit, exiſtere & ſimul non exiſtere nequit; quicquid eſt poſſibile, ſimul impoſſibile eſſe non poteſt. Principium ergo contradictionis eſt univerſale, non modo ratione propoſitionis univerſalis Logicæ, ſeu, quod ſit univerſalis propoſitio; verum etiam ratione principii, ſeu, quod univerſali fungatur officio ad veritatem omnium reliquorum principiorum confirmandam & agnoſcendam. Nullum principium, præter contradictionis, hac univerſalitatis gaudere prærogativa oſtendunt, quæ de principio primo mox diſputavimus, ad oculum vero idem declarabit omnium reliquorum principiorum ex hoc deductio.

§. 59.

Quid Neceſſarium & Contingens?

Abſolute Neceſſarium ſuo loco dicemus, cujus oppoſitum eſt abſolute impoſſibile, ſeu, cujus oppoſitum in ſe & ſua natura contradictionem involvit, & proinde aliter, quam eſt, eſſe nequit. *Contingens* vero, cujus oppoſitum eſt poſſibile, ſeu, cujus oppoſitum in ſe & ſua natura nullam involvit con-

contradictionem, & proinde aliter, quam eſt, eſſe poteſt.

Licebit heic aliqua de neceſſario & contingente prælibare, ut uberiorem principii tum contradictionis, tum rationis ſufficientis exhibeamus theoriam, longe pleniorem neceſſarii & contingentis ſuo loco expoſituri notitiam.

§. 60.

Principium contradictionis eſt abſolute neceſſarium. Comprehenditur principium contradictionis hac propoſitione: *idem ſimul eſſe & non eſſe nequit* (§. 53.). Hujus oppoſitum, *idem ſimul eſſe & non eſſe poteſt*, contradictionem involvit (§. 43. 54.) & quidem in ſe & ſua natura, quatenus ex interna allegatæ propoſitionis indole dependet. Competit ergo laudato principio abſoluta neceſſitas (§. 59.)

Principium contradictionis eſt absolute neceſſarium.

§. 61.

Ex principio contradictionis demonſtrari nequit veritas contingens, quatenus contingens eſt, ſed ſolum neceſſaria. Per ſe patet, quicquid ex principio contradictionis demonſtratur, eam habere naturam, ut, quod ei repugnat, ſimul repugnet dicto principio; involvit

Quæ veritas ex illo demonſtratur.

Digitized by Google

vit ergo ejus oppoſitum contradictionem (§. 54.), & per conſequens neceſſarium eſt. (§. 59.). Quicquid igitur ex principio contradictionis demonſtratur, neceſſarium eſt. Contingens autem, quà tale, non eſt neceſſarium, nam per notiones ſuas ſibi mutuo opponuntur (§. 59.); Ex principio itaque contradictionis derivari nequit veritas contingens, quà talis.

Veritas contingens eſt, ut ſedens v. gr. hoc temporis articulo ſcribam, potui enim ambulare, vel aliud quodvis agere; nunquam ergo ex principio contradictionis demonſtrabitur hæc mea ſeſſio, hæc ſcriptio, quum earum oppoſitum nullam in ſe & ſua natura involvat contradictionem. Hinc tamen nihil detrimenti capit univerſalitas principii contradictionis, modo evicta (§. 58.), quum nulla daretur veritas, niſi per hoc axioma verum à falſo diſtinguere licet, quatenus ſcilicet impoſſibile eſt veritatem eſſe contingentem, & ſimul non contingentem, licet antecedenter, ut ſic loquar, ex principio contradictionis determinari nequeat veritas contingens, quà talis.

§. 62.

Eſt immutabile *Principium contradictionis eſt abſolute immutabile.* Abſolute neceſſarium eſſe eodem ſenſu immutabile & per ſe liquet, & ſuo demonſtrabitur loco. Quam ob cauſſam, quum principio contradictio-

dictionis abſoluta conveniat neceſſitas (§.60), eidem etiam abſoluta competit immutabilitas.

Tanta eſt ergo laudati principii immutabilitas, ut nulla potentia ne quidem infinita ei ulla adferri poſſit mutatio, non quod infinitæ vires aliquo defectu laborent, ſed quod mutabilitas principii hujus non poſſit eſſe objectum ullarum virium, quæ circa abſolute impoſſibilia, ſeu, abſolute contradictoria verſari nequeunt, quum vires illa inferant contradictorias, nullo enti, niſi mutata ejus poſſibilitate in impoſſibilitatem, attribuendas. Hinc recte affirmamus ſimpliciter repugnare, ac fieri per nullam potentiam, ne quidem Divinam & infinitam, ut ex. gr. *Deus ſimul ſit & non ſit, ſimul ſit ſpiritus & non ſpiritus &c.* Dicit quidem Angelus Luc. 1. *Apud Deum non eſſe impoſſibile omne verbum*; non tamen putat, quod in ſe & ſua natura contradictionem involvit, objectum eſſe potentiæ Divinæ, ſed quod in ſe & abſolute eſt poſſibile, qua amplitudinem & extenſionem ſuam infinite ſuperas, quod noſtro captui & finitis viribus eſt poſſibile. Oppido hinc erravit *Plinius* L. II. Hiſt. Nat. cap. 7. exiſtimans Deum ideo non omnia poſſe, quod non poſſit facere, ut quod eſt, non ſit, quod præteritum eſt, futurum ſit. Sed hæc manifeſtam involvunt contradictionem, à Deo, Ente ſumme harmonico & abſolute perfecto, ſine propriæ perfectionis deſtructione, non producibilia; nihil itaque infinitæ Dei potentiæ, cujus objectum ſunt omnia poſſibilia, detrahunt.

§. 63.

§. 63.

Fundamentum Principii excluſi medii. Eam experimur mentis naturam, ut in caſu quovis ſingulari judicet A, v. gr. eſſe vel non eſſe, ſeu, ſe eſſe v. gr. alicujus rei conſciam, vel non conſciam. Aſt hæc propoſitio, quia applicationem dicit alicujus propoſitionis generalis ad caſum ſingularem, vera eſſe nequit, niſi præmiſſa & præſuppoſita illa generali, quæ hac exprimitur formula: *Quodlibet eſt vel non eſt*. Eſt ergo hæc propoſitio menti humanæ æque inſita & æque vera, ac eſt principium contradictionis (§. 52.).

§. 64.

Nomen ejus. Eſſe & non eſſe ejusdem contradictionem involvere, ſeu contradictoria eſſe liquet (§. 43.); propoſitio igitur enuncians, *quodlibet eſſe vel non eſſe*, excludit medium inter duo contradictoria. Atque hinc, quia multis aliis propoſitionibus deducendis inſervit, vocatur *Principium excluſi medii*.

§. 65.

Dependet ex principio con- *Principii excluſi medii veritas ex principio contradictionis dependet.* Principium excluſi medii hac

hac continetur propoſitione: *Quodlibet eſt vel non eſt* (§. 64.), ubi τὸ eſſe vel non eſſe conſiderari debet inſtar prædicati B, v. gr. cuilibet A tribuendi. Quare propoſitio *quodlibet eſt vel non eſt*, huic æquipollet A eſt B: Quod vero A ſit B & non ſimul non B, ex principio contradictionis liquet (§. 53.). Principium igitur excluſi medii ex principio contradictionis dependet. *tradictionis.*

§. 66.

Principium excluſi medii non eſt primum, ſed ortum. Dependet enim principium excluſi medii ex principio contradictionis (§. præc.), quod primum eſt (§. 57.); Principium ergo excluſi medii non eſt primum, ſed ortum (§. 41.). *Non eſt primum ſed ortum.*

Errant itaque, qui inverſo ordine ex principio excluſi medii deducere cupiunt principium contradictionis, illique adeo, non huic principii dignitatem attribuentes. In quo errore præter *Goveanum* & *Röttenbeccium* eſſe quoque videtur *Jacobus Martini* in Exercit. Metaph. L. I. Exerc. III. p. m. 82. Ubi, *omnium primum*, inquit, *& verum complexum ens ſive νόημα eſt: Quodlibet eſt aut non eſt; nihil enim illo in compoſitis intellectus habet prius, nihil antiquius, ita ut ſit amuſſis & regula, ad quam examinantur & dijudicantur omnia alia principia.* Sed ſibi ipſi contrarius eſt, dum c. l.

p. 425.

p. 425. contendit *propoſitionem: Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe, recte ab Aquario primum principium complexum ſimpliciter & firmiſſimum & primo primum in omnibus artibus, diſciplinis & ſcientiis; & ex hoc fluere alterum, quod dicitur, impoſſibile eſſe duas contradictorias enunciationes ſimul veras, aut ſimul falſas eſſe.* Eodem modo *Erneſtus Sonnerus*, ſingulare Peripatitecorum ornamentum & Decus, nunc Libr. I. Metaph. Cap. 2. p. 111. pro principio excluſi medii tanquam primo pugnat, nunc Libr. IV. Metaph. C. 4. p. 243 pro dignitate principii contradictionis differit. Neque ergo *Sonnerus*, neque *Jacob. Martini* horum principiorum perſpexêre diſcrimen, mox evolvendum. Eos vero, qui ex principio excluſi medii principium contradictionis deducere conantur, circulum in demonſtrando committere oſtendit Illuſtris *Wolfius* in notis ad §. 54. Ontol.

§. 67.

Diſcrimen Principiorum contradictionis & excluſi medii.

Differt ergo Principium excluſi medii a principio contradictionis, ut principium ortum a primo. Aliud de cetero eſt inter eſſe & non eſſe dari repugnantiam; aliud vero inter eſſe & non eſſe non dari medium; illud principio contradictionis; hoc excluſi medii deſignatur: (§. 53. 64.); datur itaque inter utrumque hoc principium aliquod diſcriminis.

A vero itaque diſcedit *Javellus* L. IV. Metaph. Qv. 6. ſtatuens hæc duo principia eandem rem

rem diverſis ſignificare verbis, & ita non reputanda eſſe duo, ſed unum. *Javellum* confutavit *Svarezius* Diſp. III. Metaph. Sect. 3. n. 5. oſtendens repugnantiam terminorum, de qua in principio contradictionis, non coincidere cum immediatione, de qua agit principium excluſi medii.

§. 68.

Fundamentum Principii certitudinis.

Omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. Nam ſi id, quod eſt, dum eſt, non eſſet, ſimul eſſet, quia eſſe ponitur (per hypoth.), & ſimul non eſſet (quod omnino eſt impoſſibile (§. 53.); omne ergo quod eſt, quando eſt, eſt, & quidem ita, ut ſi ejus oppoſitum ponatur non eſſe, ponitur id, quod abſolute eſt impoſſibile: Recte itaque ſtatuitur, omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe (§. 59.).

Tranſumta eſt hæc regula ab *Ariſtotele* L. I. cap. 10. de Interpret. quæ hoc etiam modo efferri ſolet: *omne quod eſt, quando eſt, eſt.* Regulæ hujus ſenſus non is eſt, quaſi omne quod exiſtit, ſenſu, uti loquuntur, diviſo, h. e. citra hypotheſin quod ſit, neceſſario exiſteret; ſic enim oppido abſurda eſſet, ſed ſenſu compoſito, cum hypotheſi, quando ſcilicet & quatenus exiſtit. Sic hæc actualis ſcriptio, citra hypotheſin, quod exiſtat, non eſt neceſſaria; ſed contingens; cum hypotheſi autem, quando eſt, non poteſt ſimul

mul non eſſe, atque eo modo neceſſario eſt. Facile itaque decidi poteſt quæſtio, inter Scholaſticos agitata: *an poſſibile ſit prædeſtinatum damnari?* ſenſu enim diviſo, citra hypotheſin prædeſtinationis, affirmatur, ſenſu autem compoſito, cum hypotheſi, quatenus prædeſtinatus eſt, negatur; quia omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. *Scotus* L. I. Diſt. 40. qv. 1.

§. 69.

Nomen ejus. Propoſitio: *Omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe*, vel, *quodlibet, dum eſt, eſt*, vel brevius: *Quicquid eſt, eſt* (quoad ſenſum hæ tres poſitiones æquipollent) vocari ſolet *principium identitatis*; quia propoſitione identica abſolvitur, immo & *Principium certitudinis*, quia hac propoſitione ſine ulla oppoſiti formidine certiſſimi reddimur omne illud eſſe, quod eſt:

§. 70.

Ejus evidentia & ex principio primo dependentia. *Principium identitatis eſt legitimum, ſeu verum, aſt non primum, ſed ortum.* Abſolvitur principium identitatis propoſitione: omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe (§. 69.), cujus veritatem ex principio contradictionis, quod eſt abſolute primum (§. 57.), pendere vidimus (§. 68.); Eſt ergo principium identitatis ve-

verum, aſt non primum, ſed ortum (§. 41).

Cum aliis docet *Lockius* L. IV. de Int. Hum. Cap. 8. §. §. 2. 3. 4. propoſitionem hanc identicam veram quidem eſſe, ſed tamen nugatoriam, nullum menti lumen, nec cognitioni noſtræ incrementum afferre. Mihi autem videtur contradictorium, ſtatuere propoſitionem aliquam eſſe veram, nihil tamen conferre ad incrementum cognitionis noſtræ. Creſcitne cognitio noſtra propoſitionum verarum notitia? Si negas, quæro unde ſua capiat incrementa? Forte ex propoſitionibus falſis? Sine maxima abſurditate hoc ſtatui nequit, quem ad modum nec fingere licebit, creſcere cognitionem noſtram quibusdam veris & aliis falſis propoſitionibus. Regeris: *propoſitionem identicam nihil præciſe docere*. Hoc demonſtres velim; docetne idem eſſe, dum eſt, & principialiter, ut ita loquar, conſectaria, quæ hinc fluunt, bene multa? Immo, quando ipſe *Lockius* l. c. §. 2. fatetur omnis noſtræ cognitionis fundamentum eſſe vim iſtam, quæ in nobis eſt percipiendi ideam eandem eſſe eandem, ſe ipſum tacite confutat, quum fieri nequeat, ut aliquid ſit fundamentum noſtræ cognitionis, & tamen nihil ad incrementum ejusdem conferat.

Manifeſtum quoque ex demonſtratis in hac §. evadit, *Antonium Andreæ*, cujus ad §. 57. facta eſt mentio, & qui ſtatuit propoſitionem, *Ens eſt ens*, quæ coincidit cum principio identitatis, eſſe principium abſ. primum, eum,

 inquam

inquam, à vero declinaſſe tramite, quum illius propoſitionis veritas ex principio contradictionis, tanquam primo, dependeat (§. 68).

§. 71.

Fons certitudinis. Quia principium certitudinis ex principio contradictionis dependet (§. 68.); evidens eſt denuo, quod mox aliunde evicimus (§. 55.), principium contradictionis eſſe fontem omnis certitudinis, quo poſito, ponitur, & ſublato tollitur omnis cognitionis noſtræ certitudo (§. 69.).

§. 72.

Principium certitudinis non infert exiſtentiam rei. Principium certitudinis hac propoſitione: quicquid dum eſt, eſt, comprehendi novimus (§. 69.); Facile itaque liquet probandum ante eſſe, quod aliquid ſit, quam vi hujus principii certi eſſe queamus idem eſſe.

Damus itaque *Claubergio* in annat. ad Ontoſoph. §. 26. principium contradictionis per ſe nullius rei exiſtentiam probare; inde tamen non ſequitur illud vix ullius eſſe uſus ad rei veritatem indagandam, ut exiſtimat D. *Hamel* in Tract. de Mente Hum. L. II. Cap. 7. §. 45. quum ultimata omnis veritatis deductio & demonſtratio in hoc tandem reſolvatur principium (§. 57.).

CAP.

Digitized by Google

CAPUT II.
DE
PRINCIPIO RATIONIS SUFFICIENTIS.

§. 73.

Conceptibilis & Inconceptibilis definitiones.

Contradictoria eidem rei ſimul ineſſe poſſe concipi nequit (§. 52.); Fieri proinde nequit, ut contradictionem involvens conceptibile ſit, vel notionem ſibi habeat reſpondentem. Quare, quum quodlibet vel contradictorium ſit vel non (§. 64.), illudqve inconceptibile ſit (per dem.), hoc unicum eſt, cui τὸ eſſe conceptibile competit. Eſt adeo *Conceptibile* quicquid nullam involvit contradictionem, ſeu, quod conſtat prædicatis, ſibi mutuo non contradicentibus. *Inconceptibile*, quod contradictionem involvit, ſeu prædicatis ſibi mutuo repugnantibus abſolvitur.

Definimus heic quid ſenſu abſoluto, non autem relativo, concipi vel non concipi poſſit, haud negantes reſpectu habito ad vires intellectus finiti, quæ ad omne ſcibile & conceptibile exporrigi nequeunt, multa profecto & eſſe & manere inconceptibilia, quorſum pertinent omnia myſteria, quæ abſolute loquendo, & quoad intellectum infinitum concipi poſſunt.

§. 74.

Reqviſita conceptus. Duo igitur ad conſtituendum conceptum concurrunt requiſita, prædicata ſcilicet & eorum non repugnantia, quorum neutrum, ſiquidem conceptus ſit, eſſe poteſt absque altero.

Valet hoc de omni conceptu, ſive *objectivus* ſive *formalis* fuerit, quorum *ille* eſt res quævis, quatenus ab intellectu concipi poteſt, ſeu eſt res ipſa repræſentata. *Hic* vero eſt ipſa rei in mente repræſentatio: Nulla enim concipi poteſt res, niſi quæ prædicatis conſtet ſibi mutuo non repugnantibus (§. 73.), neque ergo dabitur objectivus conceptus ullus ſine memoratis mox requiſitis, neque formalis; quoniam enim omnis in mente repræſentatio notis abſolvitur characteriſticis, ſive ſigillatim ſive conjunctim repræſentatis, & quia mens, contradictionem quod involvit, concipere nequit (§. 52.), nulla inter has notas, ſeu prædicata, menti exhibita, eſſe poteſt repugnantia, ad formalem ergo conſtituendum conceptum etiam laudata concurrunt requiſita.

§. 75.

Definitiones Alicujus & Nihili. Quicquid eſt conceptibile, ſeu quod notionem ſibi habet reſpondentem, *Aliquid* dicitur. Quod vero eſt inconceptibile, ſeu nullam ſibi reſpondentem habere poteſt notionem, *Nihil* nuncupatur.

Sic

Sic circulus, quia ei reſpondet notio, aliquid eſt; at circulus quadratus eſt nihil, denotat enim figuram, cujus à perimetro ad punctum intermedium ductæ omnes rectæ ſunt æquales, & quædam ſimul inæquales, ideoque contradictoriis abſolvitur prædicatis (§. 42.); nulla ergo huic figuræ, utut fictæ, reſpondere poteſt notio, merum itaque dicit nihil, non aliquid.

Notiones, quas dedimus, alicujus & nihili Philoſophis eſſe uſitatas haud difficili probatur opera. Cum *Svarezio* Diſp. Metaph. III. Sect. 2. n. 1. 5. *Fonſeca* L. 1. Metaph. Cap. 2. Sect. 2. aliisque pluribus aſſerit *Chriſt. Scheiblerus* L. I. Metaph. Cap. 2. n. 5. aliquid dici tanquam habens aliquam quidditatem. Eandem alicujus expoſitionem tradit *Calovius* in Script. Phil. p. m. 210. Cap. 3. Metaph. Divin. quidditatem explicans pag. 216. per ens in quantum intellectui objicitur, & per definitionem exprimitur. Levi igitur patet attentione, hos auctores per aliquid nihil indigitare aliud, quam quod notione exprimi poteſt. Aliquid & nihil oppoſita eſſe, oppoſitorumqve oppoſitam dari rationem, uno fatentur ore omnes; nihili ergo notio, à nobis exhibita, eisdem conformis eſt Philoſophis. Obſervetur de cetero, Nihil heic ſumi in ſenſu abſoluto & negativo, non autem privativo, quo idem ac nonexiſtens denotat, de quo ſenſu, uti & aliis ſuo loco.

§. 76.

Conſectarium definitionum. Aliquid ergo conſtat prædicatis, ſibi mutuo non contradicentibus; nihil vero prædicatis abſolvitur ſibi mutuo repugnantibus (§. 73.).

Illuſtrationis gratia addi poteſt exemplum, quod ad præcedentem attulimus §:phum. Circulum eſſe figuram novimus, una linea, quæ peripheria dicitur, terminatam, a qua ad punctum intermedium, ſeu centrum, ductæ omnes rectæ ſunt inter ſe æquales. Singula, quæ heic occurrunt prædicata, inter ſe non pugnant, ſeu amiciſſime conſpirant, atque hinc circulum aliquid eſſe recte pronunciamus. Circulum vero quadratum conſtare prædicatis adverſa fronte inter ſe pugnantibus modo vidimus (§. 75.), eumque ergo eatenus *nihil* recte vocavimus.

§. 77.

Aliud conſectarium. Sequitur porro ex definitionibus mox exhibitis (§. 75.), aliquid & nihil ſibi mutuo contradicere (§. 43.), & per conſequens inter nihil & aliquid non dari medium (§. 64.).

§. 78.

Nihilo non competit aliquid. *De nihilo prædicari nequit aliquid.* Si enim de nihilo prædicari poſſet aliquid, aliqua ei competeret notio (§. 75.), & ideo aliquid eſſet (§. cit.);

(§. cit.); conſequenter aliquid & nihil ſibi mutuo non contradicerent, quod tamen abſurdum (§. præc.).

Communiter hæc regula ita efferri ſolet: *Nihili nulla ſunt prædicata.* Quia vero ob duplicem prædicati ſenſum, alterum negativum, alterum poſitivum, hoc modo enunciata, ambigua ſit memorata regula, debuimus illam magis determinate exprimere, ut ſtatim pateat negari de nihilo prædicata poſitiva, quæ aliquid ſemper inferunt, etiamſi admittat prædicata negativa, nullam realitatem, ſed meram realitatis negationem involventia.

§. 79.

Manifeſtum hinc evadit, *Nihil non poſſe producere, vel efficere aliquid.* Producere enim vel efficere aliquid nullam, ut facile patet, in ſe involvit contradictionem; eſt itaque conceptibile (§. 73.) & aliquid (§. 75.): Sed de nihilo prædicari nequid aliquid (§. 78.). Nihil ergo producere vel efficere nequit aliquid. *A nihilo nihil fit.*

Ab aliis eadem hæc regula ita exprimitur: *A nihilo nihil fit*, h. e. à nihilo effici nequit aliquid. Ubi particula *a* vel *ab* cauſſam efficientem, quem ad modum communiter ſolet, denotat, atque hoc modo à particula *ex*, quæ cauſam materialem, ſeu materiam ex qua, deſignare ſolet, diſtinguitur.

mul non eſſe, atque eo modo neceſſario eſt. Facile itaque decidi poteſt quæſtio, inter Scholaſticos agitata: *an poſſibile ſit prædeſtinatum damnari?* ſenſu enim diviſo, citra hypotheſin prædeſtinationis, affirmatur, ſenſu autem compoſito, cum hypotheſi, quatenus prædeſtinatus eſt, negatur; quia omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. *Scotus* L. I. Diſt. 40. qv. 1.

§. 69.

Nomen ejus.

Propoſitio: *Omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe*, vel, *quodlibet, dum eſt, eſt*, vel brevius: *Quicquid eſt, eſt* (quoad ſenſum hæ tres poſitiones æquipollent) vocari ſolet *principium identitatis*; quia propoſitione identica abſolvitur, immo & *Principium certitudinis*, quia hac propoſitione ſine ulla oppoſiti formidine certiſſimi reddimur omne illud eſſe, quod eſt:

§. 70.

Ejus evidentia & ex principio primo dependentia.

Principium identitatis eſt legitimum, ſeu verum, aſt non primum, ſed ortum. Abſolvitur principium identitatis propoſitione: omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe (§. 69.), cujus veritatem ex principio contradictionis, quod eſt abſolute primum (§. 57.), pendere vidimus (§. 68.); Eſt ergo principium identitatis ve-

verum, aſt non primum, ſed ortum (§. 41).

Cum aliis docet *Lockius* L. IV. de Int. Hum. Cap. 8. §. §. 2. 3. 4. propoſitionem hanc identicam veram quidem eſſe, ſed tamen nugatoriam, nullum menti lumen, nec cognitioni noſtræ incrementum afferre. Mihi autem videtur contradictorium, ſtatuere propoſitionem aliquam eſſe veram, nihil tamen conferre ad incrementum cognitionis noſtræ. Creſcitne cognitio noſtra propoſitionum verarum notitia? Si negas, quæro unde ſua capiat incrementa? Forte ex propoſitionibus falſis? Sine maxima abſurditate hoc ſtatui nequit, quem ad modum nec fingere licebit, creſcere cognitionem noſtram quibusdam veris & aliis falſis propoſitionibus. Regeris: *propoſitionem identicam nihil præciſe docere*. Hoc demonſtres velim; docetne idem eſſe, dum eſt, & principialiter, ut ita loquar, conſectaria, quæ hinc fluunt, bene multa? Immo, quando ipſe *Lockius* l. c. §. 2. fatetur omnis noſtræ cognitionis fundamentum eſſe vim iſtam, quæ in nobis eſt percipiendi ideam eandem eſſe eandem, ſe ipſum tacite confutat, quum fieri nequeat, ut aliquid ſit fundamentum noſtræ cognitionis, & tamen nihil ad incrementum ejusdem conferat.

Manifeſtum quoque ex demonſtratis in hac §. evadit, *Antonium Andreæ*, cujus ad §. 57. facta eſt mentio, & qui ſtatuit propoſitionem, *Ens eſt ens*, quæ coincidit cum principio identitatis, eſſe principium abſ. primum, eum,

inquam

inquam, à vero declinaſſe tramite, quum illius propoſitionis veritas ex principio contradictionis, tanquam primo, dependeat (§. 68).

§. 71.

Fons certitudinis. Quia principium certitudinis ex principio contradictionis dependet (§. 68.); evidens eſt denuo, quod mox aliunde evicimus (§. 55.), principium contradictionis eſſe fontem omnis certitudinis, quo poſito, ponitur, & ſublato tollitur omnis cognitionis noſtræ certitudo (§. 69.).

§. 72.

Principium certitudinis non infert exiſtentiam rei. Principium certitudinis hac propoſitione: quicquid dum eſt, eſt, comprehendi novimus (§. 69.); Facile itaque liquet probandum ante eſſe, quod aliquid ſit, quam vi hujus principii certi eſſe queamus idem eſſe.

Damus itaque *Claubergio* in annat. ad Ontoſoph. §. 26. principium contradictionis per ſe nullius rei exiſtentiam probare; inde tamen non ſequitur illud vix ullius eſſe uſus ad rei veritatem indagandam, ut exiſtimat D. *Hamel* in Tract. de Mente Hum. L. II. Cap. 7. §. 45. quum ultimata omnis veritatis deductio & demonſtratio in hoc tandem reſolvatur principium (§. 57.).

Cap.

Digitized by Google

CAPUT II.
DE
PRINCIPIO RATIONIS SUFFICIENTIS.

§. 73.

Conceptibilis & Inconceptibilis definitiones.

Contradictoria eidem rei ſimul ineſſe poſſe concipi nequit (§. 52.); Fieri proinde nequit, ut contradictionem involvens conceptibile ſit, vel notionem ſibi habeat reſpondentem. Quare, quum quodlibet vel contradictorium ſit vel non (§. 64.), illudqve inconceptibile ſit (per dem.), hoc unicum eſt, cui τὸ eſſe conceptibile competit. Eſt adeo *Conceptibile* quicquid nullam involvit contradictionem, ſeu, quod conſtat prædicatis, ſibi mutuo non contradicentibus. *Inconceptibile*, quod contradictionem involvit, ſeu prædicatis ſibi mutuo repugnantibus abſolvitur.

Definimus heic quid ſenſu abſoluto, non autem relativo, concipi vel non concipi poſſit, haud negantes reſpectu habito ad vires intellectus finiti, quæ ad omne ſcibile & conceptibile exporrigi nequeunt, multa profecto & eſſe & manere inconceptibilia, quorſum pertinent omnia myſteria, quæ abſolute loquendo, & quoad intellectum infinitum concipi poſſunt.

 §. 74.

Digitized by Google

§. 74.

Reqviſita conceptus: Duo igitur ad conſtituendum conceptum concurrunt requiſita, prædicata ſcilicet & eorum non repugnantia, quorum neutrum, ſiquidem conceptus ſit, eſſe poteſt absque altero.

Valet hoc de omni conceptu, ſive *objectivus* ſive *formalis* fuerit, quorum *ille* eſt res quævis, quatenus ab intellectu concipi poteſt, ſeu eſt res ipſa repræſentata. *Hic* vero eſt ipſa rei in mente repræſentatio: Nulla enim concipi poteſt res, niſi quæ prædicatis conſtet ſibi mutuo non repugnantibus (§. 73.), neque ergo dabitur objectivus conceptus ullus ſine memoratis mox requiſitis, neque formalis; quoniam enim omnis in mente repræſentatio notis abſolvitur characteriſticis, ſive ſigillatim ſive conjunctim repræſentatis, & quia mens, contradictionem quod involvit, concipere nequit (§. 52.), nulla inter has notas, ſeu prædicata, menti exhibita, eſſe poteſt repugnantia, ad formalem ergo conſtituendum conceptum etiam laudata concurrunt requiſita.

§. 75.

Definitiones Alicujus & Nihili. Quicquid eſt conceptibile, ſeu quod notionem ſibi habet reſpondentem, *Aliquid* dicitur. Quod vero eſt inconceptibile, ſeu nullam ſibi reſpondentem habere poteſt notionem, *Nihil* nuncupatur.

Sic

Sic circulus, quia ei reſpondet notio, aliquid eſt; at circulus quadratus eſt nihil, denotat enim figuram, cujus à perimetro ad punctum intermedium ductæ omnes rectæ ſunt æquales, & quædam ſimul inæquales, ideoque contradictoriis abſolvitur prædicatis (§. 42.); nulla ergo huic figuræ, utut fictæ, reſpondere poteſt notio, merum itaque dicit nihil, non aliquid.

Notiones, quas dedimus, alicujus & nihili Philoſophis eſſe uſitatas haud difficili probatur opera. Cum *Svarezio* Diſp. Metaph. III. Sect. 2. n. 1. 5. *Fonſeca* L. 1. Metaph. Cap. 2. Sect. 2. aliisque pluribus aſſerit *Chriſt. Scheiblerus* L. I. Metaph. Cap. 2. n. 5. aliquid dici tanquam habens aliquam quidditatem. Eandem alicujus expoſitionem tradit *Calovius* in Script. Phil. p. m. 210. Cap. 3. Metaph. Divin. quidditatem explicans pag. 216. per ens in quantum intellectui objicitur, & per definitionem exprimitur. Levi igitur patet attentione, hos auctores per aliquid nihil indigitare aliud, quam quod notione exprimi poteſt. Aliquid & nihil oppoſita eſſe, oppoſitorumqve oppoſitam dari rationem, uno fatentur ore omnes; nihili ergo notio, à nobis exhibita, eisdem conformis eſt Philoſophis. Obſervetur de cetero, Nihil heic ſumi in ſenſu abſoluto & negativo, non autem privativo, quo idem ac non-exiſtens denotat, de quo ſenſu, uti & aliis ſuo loco.

§. 76.

Conſectarium definitionum.

Aliquid ergo conſtat prædicatis, ſibi mutuo non contradicentibus; nihil vero prædicatis abſolvitur ſibi mutuo repugnantibus (§. 73.).

Illuſtrationis gratia addi poteſt exemplum, quod ad præcedentem attulimus §:phum. Circulum eſſe figuram novimus, una linea, quæ peripheria dicitur, terminatam, a qua ad punctum intermedium, ſeu centrum, ductæ omnes rectæ ſunt inter ſe æquales. Singula, quæ heic occurrunt prædicata, inter ſe non pugnant, ſeu amiciſſime conſpirant, atque hinc circulum aliquid eſſe recte pronunciamus. Circulum vero quadratum conſtare prædicatis adverſa fronte inter ſe pugnantibus modo vidimus (§. 75.), eumque ergo catenus *nihil* recte vocavimus.

§. 77.

Aliud conſectarium.

Sequitur porro ex definitionibus mox exhibitis (§. 75.), aliquid & nihil ſibi mutuo contradicere (§. 43.), & per conſequens inter nihil & aliquid non dari medium (§. 64.).

§. 78.

Nihilo non competit aliquid.

De nihilo prædicari nequit aliquid. Si enim de nihilo prædicari poſſet aliquid, aliqua ei competeret notio (§. 75.), & ideo aliquid eſſet (§. cit.);

Digitized by Google

(§. cit.); conſequenter aliquid & nihil ſibi mutuo non contradicerent, quod tamen abſurdum (§. præc.).

Communiter hæc regula ita efferri ſolet: *Nihili nulla ſunt prædicata.* Quia vero ob duplicem prædicati ſenſum, alterum negativum, alterum poſitivum, hoc modo enunciata, ambigua ſit memorata regula, debuimus illam magis determinate exprimere, ut ſtatim pateat negari de nihilo prædicata poſitiva, quæ aliquid ſemper inferunt, etiamſi admittat prædicata negativa, nullam realitatem, ſed meram realitatis negationem involventia.

§. 79.

Manifeſtum hinc evadit, *Nihil non poſſe producere, vel efficere aliquid.* Producere enim vel efficere aliquid nullam, ut facile patet, in ſe involvit contradictionem; eſt itaque conceptibile (§. 73.) & aliquid (§. 75.): Sed de nihilo prædicari nequid aliquid (§. 78.). Nihil ergo producere vel efficere nequit aliquid. *A nihilo nihil fit.*

Ab aliis eadem hæc regula ita exprimitur: *A nihilo nihil fit*, h. e. à nihilo effici nequit aliquid. Ubi particula *a* vel *ab* cauſſam efficientem, quem ad modum communiter ſolet, denotat, atque hoc modo à particula *ex*, quæ cauſam materialem, ſeu materiam ex qua, deſignare ſolet, diſtinguitur.

§. 80.

Ex nihilo nihil fit. *Ex nihilo fieri nequit aliquid.* Ponamus ex nihilo fieri aliquid, h. e. quod nihilum eſt abire poſſe in aliquid; nihilum ergo, quod eſt inconceptibile (§. 75.), fieri poſſet conceptibile (§. cit.), quod abſurdum (§. 53.).

Idem valere de nihilo bis, ter, &c. infinities ſumto facile demonſtratur. Deceptus ergo eſt *Gvido Grandus*, qui in Tract. de Quadr. Circuli oſtendere ſibi viſus eſt o+o+o+o &c. in infinitum $= \frac{1}{2}$, h. e. nihilum infinities ſumtum eſſe æquale dimidio unitatis. Neque felicior fuit Illuſtr. *Leibnitius* Tom. V. Supplem. Act. Erud. Lipſ. Sect. VI. p. 264, exiſtimans $1 - 1 + 1 - 1 + 1 - 1$ &c. in infinit. $= \frac{1}{2}$; nam quum $1 - 1 = 0$, idem eſt ac ſi ſtatuiſſet ex infinitis nullitatibus fieri aliquid, quod omnino abſurdum.

Notetur de cetero hanc theſin non contradicere Theologis, affirmantibus mundum ex nihilo eſſe creatum: Illi enim nihilum ſumunt non in ſenſu negativo, uti nos (§. 75.), ſed privativo, quo idem ac non exiſtens, ſeu merum poſſibile denotat; at ex non-exiſtenti, ſeu poſſibili, fieri poſſe exiſtens, non modo nihil habere abſurditatis, ſed eſſe veriſſimum ſuo demonſtrabitur loco. Statuere vero mundum ex nihilo negativo eſſe creatum, idem eſſet ac fingere mundo ante productionem, nullam ne quidem in intellectu infinito competiviſſe notionem vel ideam,

deinde

deinde autem poſt productionem nactum eſſe idea ſibi reſpondente, quod novum aliquod emergens intellectui Divino abſurdiſſime affingit, nunquam ergo admittendum, neque ab ullo Theologorum admittitur.

§. 81.

Quale ſit illud, ex quo aliquid intelligitur.

Id, unde intelligitur cur alterum ſit, eſt aliquid, ſeu, ſi ex A intelligi poteſt, cur B ſit, eſt A aliquid. Pone A non eſſe aliquid, erit igitur nihil (§. 77.), conſequenter inconceptibile (§. 75.); ex eo itaque, quod concipi nequit, concipi tamen poſſet B, quod abſurdum (§. 53.).

§. 82.

Rationis definitio.

Ratio eſt id, unde intelligitur cur aliquid ſit, aut eſſe queat, cur ſit ita & non aliter. Vel, ſi ex A intelligere licet, cur B ſit potius quam non ſit, hoc modo & non alio, A dicitur *Ratio* ipſius B.

Ita ex. gr. in triangulo rectilineo ex trium rectarum conjunctione ad ſpatium conſtituendum intelligitur tres & non plures nec pauciores dari angulos, illosque ſimul ſumtos eſſe æquales duobus rectis. Eſt ergo conjunctio trium rectarum in triangulo ratio trium angulorum, & æqualitatis eorum cum duobus rectis. Eodem modo ſi quis certitudinis obtinendæ ergo in reliquis diſciplinis

Digitized by Google

Metaphyſicam ſibi reddit familiarem, deſiderium comparandæ certitudinis eſt ratio ſtudii Metaphyſici.

Rationis vocabulum varios habet ſenſus, quorum non niſi bini hoc loco ſunt nominandi, alter *Objectivus*, alter *Subjectivus*: *hic* denotat facultatem perſpiciendi connexionem veritatum, *ille* involvit ipſam veritatum connexionem, vi cujus altera ex altera intelligitur. Atque hoc ultimo ſenſu rationis vocabulum heic ſumimus, ſubjectivum ſenſum Pſychologiæ committentes.

§. 83.

Rationis Diviſio, in ſufficientem & inſufficientem.

Id A, ex quo intelligere licet cur alterum B ſit, aut ita eſt comparatum, ut ad alterum illud B, quà tale, intelligendum nihil requiratur amplius, quam quod in τῷ A continetur; *aut ita eſt affectum*, ut ad alterum illud B, quà tale, intelligendum deſideretur aliquid amplius, quam quod in τῷ A comprehenditur (§. 64.). Si prius, *Ratio* dicitur *ſufficiens*, ſi poſterius, *inſufficiens* nuncupatur. Nihil vero amplius *deſiderari* vel *reqviri* dicitur, ſi nihil fuerit in B, quod non poſſit intelligi ex A.

V. c. Dotes animæ rationalis requiſitæ, diſcendi occaſio & diligentia, conſtituunt rationem ſufficientem eruditionis obtinendæ, ex illis enim ſimul ſumtis plene intelligitur, cur eruditionem conſequamur. Solæ vero ani-

mæ

mæ rationalis dotes, vel ſola diſcendi occaſio, vel ſola diligentia, vel duæ priores conjunctim ſine tertia, vel duæ poſteriores ſine prima, vel prima & tertia ſimul ſine ſecunda, rationem nonniſi inſufficientem exhibet eruditionis comparandæ.

Ceterum tum ex evolutione allatæ diſtinctionis, in principio excluſi medii fundata, tum ex memorato exemplo aliisque plurimis, liquet nos recte diſtinguere rationem, tanquam genus, in ſufficientem & inſufficientem, tanquam duas diverſas ſpecies. Aliquid ergo humani paſſus eſt cum *Carpovio* in Diſſert. de Princip. Rat. Suff. §. 10. p. 6, *Baumeiſterus*, qui §. 31. Metaph. putat omnem rationem eſſe ſufficientem. Neque hujus ſui aſſerti ullam allegare valet rationem; dicit quidem ad rationem, ſiquidem debet eſſe vera, requiri ut effectui producendo ſit idonea, plena, integra, adeoque ſufficiens. Sed quia vocabula *plenum*, *integrum*, ſunt ſynonyma vocabuli *ſufficiens*, re ipſa quod omnis ratio ſit ſufficiens, inferre conatur omnem rationem eſſe ſufficientem. Deinde multa eſſe poſſunt idonea effectui producendo, quæ tamen non ſtatim ſunt ſufficientia: Sic occaſio diſcendi eſt quidem idonea ad eruditionem comparandam, quia ad illam deſideratur & in illam ſuo modo influit; eam tamen non ideo ſufficientem eſſe novimus.

§. 84.

Ratio proxima,

Si rationum dantur rationes, cur quid ſit potius quam non ſit, ea di-

citur

intermedia, ultima. citur *Proxima*, quæ in ordine prima eſt. *Ultima* vero, in qua analyſis terminatur, ſeu ultra quam alia non datur. Inter proximam & ultimam intermediæ, ſunt *Remotæ*. Vel ſi cur A ſit, ratio in τῷ B datur, ipſius B ratio eſt C, τοῦ C ratio eſt D, τοῦ D ratio eſt E. E vero aliunde ſui rationem non repetit. B eſt *ratio proxima*, E *ratio ultima*. C vero & D *intermediæ* dicuntur & *remotæ*.

Illuſtre hujus rei exemplum præbet genealogia Chriſti hominis Luc. III. ubi v. 23. *Joſephi*, qui pater Chriſti vocabatur, exiſtentiæ ratio redditur ex *Heli*, hujus ex *Matthato*, *Matthati* ex *Levi*, & ſic porro. *Adami* exiſtentiæ ratio a Deo repetitur. Ipſius vero Dei nulla ponitur ratio, nec ulla aliunde deſumta indiget, qui ergo eſt ratio ultima Joſephi, *Matthatus* autem, *Levi* & reliqui omnes usque ad Adamum incluſive ſunt rationes remotæ exiſtentiæ Joſephi.

§. 85.

In ſerie rationum quæ ſufficiens, quæ inſufficiens? *In ſerie rationum ratio entis A proxima & remota quævis proprie loquendo eſt inſufficiens, ſola vero ultima eſt ſufficiens.* Proxima enim ratio B, & quævis remota τοῦ A, in alio, à ſe diverſo, rationem ſui agnoſcunt (§. 84.); quare tam proxima quam remota quævis requirunt aliquod amplius unde

unde intelligantur (§. 83), neque adeo A iſtud (cujus ratio proxima in B ponitur, C, D, vero quævis remota) cur ſit, plene intelligi poteſt ex allegatis rationibus proxima & remotis. Eſt ergo tam proxima quam remota quævis proprie loquendo inſufficiens (§. 83). Ultima autem ratio, quia aliunde ſui rationem non repetit (§. 84.), non indiget alio, unde intelligatur cur ſit (§. 82.), atque adeo poſita ultima ratione, ad intelligendum cur ens A ſit, nihil requiritur amplius, & per conſequens eſt illa ſufficiens (§. 83.).

Porro, quum in ſerie rationum entis A præter proximam, remotas & ultimam non dentur aliæ (§. 84.), proxima vero & remota quævis ſit inſufficiens (per demonſtr.), ultima ſufficiens (per dem.), intelligitur in ſerie rationum entis A ſolam ultimam eſſe ſufficientem.

Exemplum, quo mox ad §. præc. uſi ſumus, hanc rem optime illuſtrat: Heli enim, qui proxima eſt ratio Joſephi, inſufficiens eſt, quum ejus exiſtentiæ ratio ex Matthato, hujus ex Levi, & ſic porro repetatur. Idem judicium eſto de Matthato, Levi, & reliquis rationibus remotis, quæ ſemper aliunde exiſtentiæ ſuæ poſcunt rationem, usque dum ad Deum deveniatur, qui ſolus ſui Ipſius eſt ratio, nec aliunde, quod exiſtat, habet.

Hinc iterum prægnantem habes cauſſam diſtin-

ſtinguendi inter rationem ſufficientem & inſufficientem; nam ſi omnis ratio ſufficiens eſſet, nulla inſufficiens, conveniens non daretur diſcrimen, præſenti ſtabilitum poſitione, inter proximam, remotas, & ultimam, ſed omnis ſufficiens foret, quod tamen nemo admiſerit, qui digne, uti decet, penſitaverit tum hujus, quam demonſtravimus, propoſitionis veritatem, tum argumenti, quo exiſtentiam Dei ex contingentia mundi oſtendere ſolemus, juſtam analyſin, in hac propoſitione tandem fundatam.

§. 86.

Ratio alterius debet eſſe aliquid.

Quod eſt ratio alterius, debet eſſe aliquid, ſeu, ſi A eſt ratio ipſius B, erit A aliquid. Id enim, unde intelligitur, cur alterum ſit, eſt aliquid (§. 81.), ſed ratio eſt id, unde intelligitur cur alterum ſit (§. 82.); ergo quod eſt ratio alterius, debet eſſe aliquid.

§. 87.

Non autem nihil.

Nihilum ergo rationem alicujus in ſe continere nequit, ne quidem inſufficientem. Aliquid & nihil contradictorie opponuntur, neque inter illa datur medium (§. 77.), ſed quod continet in ſe rationem cur aliquid ſit, etiam eſt aliquid (§. 86.); nihilum ergo rationem alicujus in ſe continere nequit, ne inſufficientem quidem: Eſt enim

enim omnis ratio vel ſufficiens vel inſufficiens (§. 83.), nullam vero rationem in nihilo dari jam demonſtravimus, nulla ergo ratio, ſive ſufficiens ſive inſufficiens fuerit, continetur in nihilo.

Idem indirecte hoc modo demonſtrari poteſt: Si nihil in ſe contineret rationem inſufficientem alicujus B, ex parte intelligi poſſet ex nihilo cur B ſit (§. 83.), nihilum ergo ex parte eſſet intelligibile, ſeu conceptibile, quod abſurdum (§. 75.).

Tam firma & valida eſt hæc theſis, ut in quovis caſu ſingulari, illius efficaciam, etiam non admoniti, faciles largiamur: Quis enim noſtrum, absque promerita aliorum irriſione, reſpondeat quærenti, cur lapis v. c. eſt calidus? nihil eum effeciſſe calidum: cur globus plumbeus ex tormento bellico emiſſus aliquando quieſcit? ob nihilum. Profecto nemo ſecum habitans ejusmodi admittat reſponſionem; nemo ergo non ultro largiatur præſentis propoſitionis veritatem.

§. 88.

Si aliquid ponitur, ponenda eſt ejus ratio ſufficiens.

Nihil eſt ſine ratione ſufficiente, ſeu, ſi aliquid ponitur, ponenda eſt ejus ratio ſufficiens. Quia nihil & aliquid ſine medio contradictorie ſibi opponuntur (§. 77.), ideoque aut nihil eſt ſine ratione ſufficiente, aut aliquid, v. gr. A (§. 64.); ſi hoc admittendum erit A, quia nihil eſt, nihil itaque

que continebit rationem cur aliquid ſit (§. 82.), quod omnino abſurdum (§. 87.); ſi aliquid igitur ponitur, ponenda eſt ejus ratio ſufficiens.

Confundunt non pauci hanc propoſitionem cum principio rationis ſufficientis; dari tamen inter hoc & illam diſcrimen, ſatis notabile, mox oſtenſuri ſumus apertius.

§. 89.

Rationis ſufficientis univerſalitas.

Omnis veritas, tum neceſſaria, tum contingens, agnoſcit rationem ſui ſufficientem. Ex his independenter ſuo dicturi ſumus loco veritatem, ſenſu Metaphyſico ſumtam, eſſe ordinem eorum, quæ enti conveniunt, illum vero ſimilitudinem modi involvere, quo aliqua juxta ſe invicem ponuntur, vel ſe invicem inſequuntur, & per conſequens plurium conceptuum in uno denotare convenientiam; Eſt ergo omnis veritas conceptibilis & intelligibilis, non tamen ex nihilo (§. 87), ſed ex aliquo (§. 86.), & per conſequens, quia ipſa aliquid eſt (§. 75. & demonſtr.), ponenda eſt ejus ratio ſufficiens (§. 88.).

Hactenus igitur, quatenus utraque veritas, tam neceſſaria quam contingens, ſub generali, vel, ut alii loqui amant, materiali, qui utrobique eſt idem, ſpectatur conceptu,

Digitized by Google

ptu, eatenus de utraque recte dicitur illam habere rationem ſufficientem ſui, h. e. utrique competere aliquod illam cognoſcendi principium; quod vero & quale ſit, utriusque ſpecificæ naturæ accommodatum, paucis jam evolvere conabimur.

§. 90.

Neceſſariarum ratio ſufficiens.

Ratio ſufficiens veritatis neceſſariæ, qua talis, eſt principium contradictionis. Veritas neceſſaria eſt, cujus oppoſitum in ſe & ſua natura involvit contradictionem (§. 59.); ubi ergo oſtendimus rem aliter conſtitutam contradictionem involvere, nihil amplius requiritur ad intelligendum cur res ſit neceſſaria (§. cit.). Quia vero id contradictionem involvit, quod principio contradictionis adverſatur (§. 54.), recte ſtatuimus principium contradictionis eſſe rationem ſufficientem veritatis neceſſariæ (§. 83.).

Diximus oſtenſa contradictione oppoſiti nihil amplius jure poſtulari ad veritatem neceſſariam adſtruendam: quod ne quis in abuſum trahat, quaſi à Deo independentem fingeremus veritatem ullam, ſciat, quando ad intellectum Divinum, & cauſam veritatum metaphyſicam, adſcendimus, nos tunc quoque ad principium contradictionis, ceu ſufficientem noſtræ aſſertionis rationem, provocare, ut proinde denuo pateat, rationem

ſufficientem neceſſariarum rerum eſſe principium contradictionis.

§. 91.

Veritatis contingentis non eſt eadem ratio ſufficiens.

Quoniam neceſſarium & contingens, ut eorum inſinuant notiones (§. 59.), formaliter h. e. qua ipſas has notiones, ſeu, quatenus tales ſunt, contradictorie ſibi opponuntur (§. 43.), & oppoſitorum, ut ſuo oſtenſurus ſum loco, oppoſita eſt ratio; ***Principium contradictionis***, quod eſt ratio ſufficiens veritatis neceſſariæ (§. 90.), ***nequit ſimul eſſe ratio ſufficiens veritatis contingentis, quà talis.***

Idem hoc quoque modo haud difficulter oſtenditur: Quia ex principio contradictionis demonſtrari nequit veritas contingens, quà talis, ſed ſola neceſſaria (§. 61), id vero, unde quid demonſtratur, eſt ejus ratio ſufficiens, quod Logica declarat; non poteſt principium contradictionis eſſe ratio ſufficiens veritatis contingentis, quà talis.

Certo ſi contingens veritas, quà talis, ex principio penderet contradictionis, aliter quam eſt, nunquam ſine contradictione concipi poſſet conſtituta, relicta ergo contingentis, quam tamen poſſidet, natura, in neceſſariam, contra ipſum contradictionis principium (§. 53.), ſimul abiret. Contingens eſt veritas, quod hoc temporis articulo de principio

Digitized by Google

cipio rationis ſufficientis meas inſtituam meditationes, potuit enim aliud argumentum eſſe meditationis meæ objectum; nunquam ergo ex principio contradictionis, quod ferream infert neceſſitatem & immutabilitatem, determinabitur hæc mea meditatio, hoc & non aliud ejus objectum.

§. 92.

Datur aliquod principium veritatis contingentis.

Ex principio contradictionis determinari nequit veritas contingens, quatenus contingens eſt (§. 91): aut itaque illa nullum habet determinationis ſuæ principium, aut ex alio pendet; prius eſt abſurdum, quia omnis veritas agnoſcit rationem ſufficientem ſui (§. 89.), & ideo aliquod principium (§. 12.): poſterius ergo eſt aſſumendum, ſeu, *datur principium contingentium, eorum accommodatum indoli.*

§. 93.

Officium Ejus.

Hoc principium, quia accommodatum erit indoli contingentium (§. 92.), in eo collocatæ, quod admittant diverſi ſtatus & conditionis poſſibilitatem (§. 59.), indicabit igitur cur hic potius ſtatus quam alius, hæc potius conditio quam alia, æque poſſibilis, determinatum habeat locum, & ad unicitatem exiſtentiæ reducatur.

Digitized by Google

§. 94.

Fundamentum ejusdem.

Si res fuerint vel in ſe diverſæ, vel in relatione ad producentem diverſæ concipiuntur, dabitur ratio ſufficiens cur altera præ altera fiat. Illa enim in ſe diverſa ſunt, quæ, in ſe ſpectata, ſibi invicem ſubſtitui nequeunt, ſalvo omni reſpectu, ſeu quæ prædicatis gaudent inter ſe non convenientibus. Illa vero in relatione ad producentem diverſa concipiuntur, quæ vel per diverſas notiones ei exhibentur, vel diverſam ad producentem involvunt relationem. Liquet autem tum hanc tum illam rerum diverſitatem nihil habere contradictionis (§. 43.), conceptibilem itaque eſſe (§. 73.), & per conſequens aliquid (§. 75.). Ponuntur res diverſæ, quarum quælibet eſſe poteſt (per hypoth.); eſt itaque diverſitas inter illas aliquid, ſed per quod quid eſt aliquid, datur ratio ſufficiens (§. 88). Ergo ex diverſitate rerum vel abſoluta vel relativa datur ratio ſafficiens cur altera præ altera fiat.

Ut majori adhuc claritate radiet præſens enunciatum, ponamus Titio v. c. duo ſimul obverſari agenda, ambulationem animi cauſſa per agros, & lectionem Theologiæ, domi inſtituendam; alteram harum actionum præ altera electurus, utriusque commoda & incommoda, diſtincte vel confuſe, animo ſiſtit, illaque ad ſe plus vel minus refert, & inter

inter ſe invicem comparat. Hiſce peractis lectionem Theologiæ eligat, negligendo ambulationem, quod videat ſe plus commodi ex illa, quam ex hac acquirere poſſe, illamque ſibi magis hoc tempore neceſſariam eſſe judicet. Patet ergo Titium, ex diverſitate inter ambulationem & lectionem, animo obverſatæ, electionis ſuæ motiva, h. e. rationem ejus ſufficientem deſumſiſſe.

Sit aliud exemplum: Cajo artifici ſint duo inſtrumenta, ad opus aliquod elaborandum æque apta, æquæ ordinata & bona; hoc igitur reſpectu, quia inter iſta inſtrumenta, quoad opus perficiendum, nulla datur differentia, perinde eſt Cajo utrum eorum eligat, & operi elaborando applicet; nullam ergo ex objectis, in ſe ſpectatis, rationem habet, unum aſſumendi præ altero: Sit vero alterum horum inſtrumentorum ad manus Caji magis & propius poſitum, quam alterum; eligatque ille ob hoc externum, non quoad ipſa inſtrumenta, ſed ad ſe relativum diſcrimen, mente conceptum, unum inſtrumentum præ altero. Ex hac relativa diverſitate dabitur omnino ratio ſufficiens optionis, a Cajo inſtitutæ.

§. 95.

Ipſum Principium.

Quicquid aliter eſſe poteſt quam eſt, habebit rationem ſufficientem cur potius ſit quam non ſit, hoc potius modo quam alio. Seu, *quodcunque eſſe poteſt & non eſſe, hoc & alio modo, habebit*

bebit rationem ſufficientem cur ſit potius quam non ſit, hoc potius modo, quam alio. Quicquid enim, ut quilibet vel non admonitus adſequitur, aliter eſſe poteſt quam eſt, poteſt eſſe diverſum ab eo, quod eſt, adeoque reſpectu diverſorum eſſendi modorum & ſtatuum, conſiderari poteſt ut duæ res in ſe diverſæ, quarum quum detur ratio ſufficiens cur una præ altera fiat (§. 94.), liquet omne, quod aliter eſſe poteſt quam eſt, habere rationem ſufficientem, cur hoc potius modo ſit quam alio.

Sic quia loco hujus, quam nunc ſuſcipio ſcriptionis, ambulationem, ſaltationem, vel alliam quamvis actionem, cui producendæ ſufficiunt meæ non impeditæ facultates, inſtituere poſſum, atque adeo præſens mea actio, quæ ſcriptionis fert nomen, aliter eſſe poteſt quam eſt; ejus ergo recte quæritur ratio.

§. 96.

Nomen & Hiſtoria Ejus.

Propoſitio: *Quodcunque eſſe poteſt & non eſſe, hoc & alio modo, habebit rationem ſufficientem cur ſit potius quam non ſit, hoc potius modo quam alio.* Seu, quod eodem redit: *Nihil eſt ſine ratione ſufficiente cur quid potius ſit quam non ſit, hoc potius modo quam alio.* PRINCIPIUM RATIONIS SUFFICIENTIS appellari ſolet.

Ad

Ad hoc principium primus, quantum conſtat, diſtincte advertit, & in egregio Theodicææ opere ad notiones rectificandas, propoſitioneſque demonſtrandas, diſtincte applicuit Illuſtris *Leibnitius*, quamvis, qua rem ipſam, ſua canitie admodum ſit venerabile: *Confuſium* enim, Sinenſium Philoſophum, illud tanquam univerſaliter verum agnoviſſe & ad morales veritates extendiſſe, docet *Illuſtris Wolfius* in notis ad orationem de Sinarum Philoſophia Practica p. 44. Eodem uſus eſt *Archimedes* in propoſitionibus ſtaticis ſtabiliendis, de libra, ſine ratione nullam partem inclinante. Notiſſima eſt *Auguſtini* & Scholaſticorum regula: *Nihil eſt ſine cauſſa*, in qua ſi cauſſæ vocabulum tam late ſumimur, ut præter cauſſam materialem, formalem, finalem, efficientem, impulſivam, etiam ſub ſe comprehendat cauſſam illativam, Veteribus analyticam, ſeu Logicam, quæ ipſis denotabat rationem, per quam affectio ſubjecto convenire vel non convenire intelligitur, atque de illo probatur: ſi, inquam, in hac latitudine cauſſæ vocabulum accipitur, vix ullum diſcrimen inter noſtrum principium & allatum canonem deprehendere licebit. Sin vero in propoſito veterum canone ſignificat, uti communiter ſignificare ſolet, cauſſæ terminus, cauſſam efficientem tantum, ante poſtulatur notitia ſive diſtincta ſive confuſa Principii rationis ſufficientis, quam verus agnoſci poſſit ille canon. Multa præterea veterum documenta probant, illis non latuiſſe noſtrum principium. *Cicero*

L. 1. de Finibus acerbe in Epicurum invehitur, quod atomum ſine cauſſa declinare voluerit. *Nihil*, inquit, *turpius Phyſico quam fieri ſine cauſſa quicquam docere.* Et idem de Fato: *Non eſt cauſſa cur Epicurus rem inenodabilem ſuſcipiat, ut ſine cauſſa fiat aliquid, ex quo exiſtet, ut de nihilo quippiam fiat, quod nec ipſi nec cuiquam Phyſico placet.* Plura ex Cicerone, Seneca aliisque hujus rei adferre teſtimonia, in re manifeſta opus non judico. Id vero annotaſſe ſufficiat, diſtinctam hujus principii expreſſionem, & in Metaphyſicis applicationem, *Leibnitio* & præprimis *Wolfio* deberi; quanquam fateri neceſſum eſt, hos magnos in philoſophico ſtudio viros in principii hujus applicatione aliquid poſſos eſſe humani, cujus luculentiſſimum mox exhibiturus ſum teſtimonium, alia ſuis locis ſimul daturus. Obſervavi *Wolfium* haud raro in Phyſicis, ubi de cauſſa gravitatis, figuræ pororum, magnetiſmi, aliis ſimilibus naturæ phænomenis explicandis ei ſermo eſt, ita ratiocinantem: *Deſcendit corpus ex altitudine, eſt hæc figura pororum non alia, accedit ferrum ad magnetem, ſunt hæc omnia contingentia; ergo eorum dabitur ratio ſufficiens, quæ quum alia eſſe nequeat quam materia gravificans, interlabens & magnetica, dabuntur hæ materiæ.* Sed nemo non videt, hunc ratiocinandi modum ut verum admitti non poſſe, niſi hic generalis ſimul concederetur proſyllogiſmus: *Habet hoc phænomenon, quia contingens eſt, rationem ſufficientem, ſed hujus ego aliam perſpicere non poſſum rationem, quam hanc; Ergo hæc erit ratio.*

tio. In hoc ſyllogiſmo etſi major ſit veriſſima, in minori tamen plus juſto ſibi tribuit intellectus humanus, infeliciter applicans principium rationis ſufficientis, quod dari in ſenſu abſoluto rationes rerum rectiſſime evincit, minime autem in ſenſu relativo infert, *Wolfium* vel alium quemvis noſtrûm rationes rerum perſpicere: ſuperat enim hoc non imbecilles modo & corruptas intelligendi vires, ſed & finitas omnes in genere, nec ulli enti præter Deum competit.

§. 97.

Hujus Principii objectum.

Verſatur hoc Principium circa veritatum contingentium non autem neceſſariarum rationes detegendas. Ipſa hujus principii verba (§. 96.) ſatis ſuperque inſinuant verſari illud circa id, quod poteſt eſſe & non eſſe, hoc & alio modo, vel quod aliter eſſe poteſt quam eſt. Quam ob cauſſam, quia non niſi contingentia illam habent indolem (§. 59), minime autem neceſſaria, quibus in ſe & ſua natura repugnat alia conſtitutio, alia ordinatio (§. cit.), evidens eſt, principium rationis ſufficientis ſolum inſervire determinandis veritatibus contingentibus, non autem neceſſariis.

Licet itaque ſudo clarius ſit cœlo, principium hocce circa contingentia determinanda eſſe occupatum, ut tamen eo fortius convincamus adverſarios, ex propriis eorum conceſ-

 ſis,

cis, ſententiæ, quam tuentur, oſtendamus abſurditatem: Largiuntur enim principium, de cujus diſquiritur extentione, ſufficienter inſervire determinationi veritatis contingentis, quam ob rem, aut fatendum ex principio rationis ſufficientis contingentia non determinari, aut ſtatuendum eſt contingentia & neceſſaria ex communi pendere principio: Prius propriis adverſariorum conceſſis repugnat, poſterioris mox demonſtravimus abſurditatem (§. 91.). Neutrum itaque aſſumere licet, neutrum hypotheſi (adverſariorum ſcilicet) & veritati eſt conveniens; conveniens vero ſi defendimus, principium rationis ſufficientis ſolum circa contingentia eſſe occupatum.

Hæc cauſſa eſt, cur judicemus laudatum principium hoc modo melius eſſe exprimendum: *Quodcunque eſſe poteſt & non eſſe, hoc & alio modo, vel, quicquid aliter eſſe poteſt quam eſt, habebit rationem ſufficientem cur potius ſit quam non ſit, hoc modo quam alio*, melius, inquam, quam uſitata hactenus formula: *Nihil eſt ſine ratione ſufficiente cur quid potius ſit quam non ſit, hoc potius modo quam alio*; ut ſtatim pateat quale ſit illud, de quo valet prædicatum poſitum. Quamvis non negemus, quum talia ſint ſubjecta, qualia eorum permittunt prædicata, poſteriorem hanc formulam, aliquamdiu jam uſitatam, in ſe & ſua natura priori ex aſſe æquipollere; utramque ergo id, quod diximus, vel exprimere vel inſinuare.

§. 98.

§. 98.

Manifeſtum igitur hinc apparet diſcrimen inter propoſitionem: nihil eſt ſine ratione ſufficiente (§. 88.), *& principium rationis ſufficientis:* Illa enim adeo univerſalis eſt, ut ad omnem ſe extendat veritatem tam neceſſariam, quam contingentem, quatenus ſcilicet utrique convenit generalis veritatis notio (§. 89.); hoc autem ſolum circa contingentia eſt occupatum (§. 97.). Diverſa proinde eſt illa propoſitio ab hac, quæ principii rationis ſufficientis fert nomen. *Ejus Diſcrimen a propoſitione §. 88.*

Ad hoc diſcrimen non advertit Illuſtris *Leibnitius*, qui in Annotationibus in librum de origine Mali §. 14. p. 1302. T. III. de principio identitatis & rationis ſufficientis ita diſſerit: *Utrumque principium locum habere debet non in veritatibus ſolum neceſſariis, ſed etiam in contingentibus.* Largior & ſimul urgeo propoſitionem: *Nihil eſt ſine ratione ſufficiente*, de omni valere veritate, ſed juxta contendo iſtam propoſitionem non eſſe principium rationis ſufficientis, accurate ſcilicet & rigoroſe loquendo: Nulla eſt quæſtio anne utraque veritas, & neceſſaria & contingens, habeat rationem ſufficientem ſui, ſed quæ ſit ratio cujuslibet formali & ſpeciali naturæ accommodata; tunc enim fatendum erit, quod convenit formæ contingenti non poſſe ſimul competere formæ neceſſariæ, niſi utriusque mixturam abſurde ſtatuere velis.

Inter

Inter ſuperflua igitur ſic referenda eſt *Clariſſ. Stræbleri* opera, qua in Comm. ſuo de Principio Rat. Suff. §. 23. tam ſincere eſt ſollicitus de applicatione hujus principii in rebus Geometricis, quam exemplo etiam primus, ut ipſe de ſe dicit, oſtendere conatur: nemo enim neſcit veritates Geometricas eſſe abſolute neceſſarias, & ideo ex principio contradictionis unice pendere (§. 61. 90.). Nullum itaque in rebus Geometricis ſui uſum nobis pollicetur principium rationis ſufficientis, circa contingentia unice occupatum. Hinc tamen nihil de laude & debita æſtimatione hujus principii detrahitur; manet enim in rebus contingentibus uſus ejus, ex juſta applicatione certiſſime profluens, ſat amplus & nobilis.

§. 99.

Ejus univerſalitas. *Extenditur principium rationis ſufficientis ad contingens quodvis, cujuscunque fuerit ordinis, ſtatus, & conditionis* Fingamus aliquod contingens ab hac exemtum eſſe lege, & nihilominus determinatum habere exiſtentiæ modum & ſtatum. Hunc ergo, quia per hypotheſin contingens eſt, neceſſario poſſidere nequit (§. 56.), ſed contingenter, h. e. vi naturæ ſuæ indifferens eſt ad hunc ſtatum & ad alium (§. cit.); hoc itaque reſpectu communem habet cum omni alio contingenti naturam, nullaque adeſt ratio, quæ tamen adeſſe debet

bet (§. 88.), unum magis quam alterum e communi lege excipiendi contingens. Et ſi exciperetur, illius determinationis ratio eſſet nulla, admittenda igitur illa eſſet, quia admittitur nihil, quod proinde in ſe contineret rationem hujus determinationis. Eſt vero hoc plane impoſſibile (§. 87.). Nullum ergo datur contingens, cujus determinatio ex principio rationis ſufficientis non pendet.

Sunt qui principii noſtri univerſalitatem admittere nolunt, putantes excipienda eſſe contingentia moralia, actionesque ex libertate arbitrii profluentes, dari quoque caſus palpabiles, omnis rationis ſufficientis expertes. Sed hi nec indolem noſtri principii nec contingentium naturam ſibi habent perſpectam, ex ſua vel ignorantia vel perverſo diſciplinas tractandi ſtudio argumentantes. Ne tamen ex his decipiantur imbecilliores, varias adferre & ſtabilire placet diſtinctiones, ad pleniorem principii noſtri cognitionem animo ingenerandam ſubſervituras, poſtquam ejus cum experientia evicimus conformitatem.

§. 100.

Principium rationis ſufficientis experientiæ non contrarium ſed conforme deprehenditur. Quicunque enim ſingularis aſſumitur caſus, poſt peractum ejus examen, aut talis deprehenditur *Eſt experientiæ conforme.*

tur, ut nobis innoteſcat ejus ratio, aut talis, ut eam inveſtigare non poſſimus. Si prius, principium rationis ſufficientis experientiæ conſonum intelligitur, ſi poſterius, ex noſtra ignorantia ad negationem rationis concludere non licet. Experientiæ itaque contrarium ſtatui nequit noſtrum principium.

Quin potius fateamur veritatem hujus principii in quovis ſingulari caſu tam altas in animo noſtro egiſſe radices, ut a prima usque infantia, quam primum ad aliquem rationis uſum perveniamus, in caſu quocunque obvio quærere ſoleamus, cur hoc? rationem facti poſtulantes. Immo rudis & indocta plebs, alios facinoris reprehenſura, rationem flagitare ſolet cur hoc vel illud commiſſum ſit facinus. Et quis quæſo ex plebe non ridebit dicentem nihil effeciſſe lapidem calidum? Quid miri? Eſt ratio, ſubjective ſpectata, facultas perſpiciendi connectiones rerum, illa vero connexa ſunt, quorum unum continet rationem alterius; facultas itaque ratiocinandi non dabitur, niſi dentur rationes rerum, atque adeo his remotis, i. e. principio rationis ſufficientis ſublato, nulla amplius daretur ratiocinandi facultas, qua homo in animal brutum abſurde converteretur.

Hinc eſt quod Illuſtris *Leibnitius* tum in Theod. P. 1. §. 44. tum in Epiſt. ad *Clarckium*, præ-

ſertim

Digitized by Google

ſertim vero Epiſtola V:ta §. 129. principium rationis ſufficientis non demonſtraverit, à *Clarckio* licet ad id provocatus, ſed conſtanti experientia ſatis firmum putaverit, nec ullum in contrariam partem adduci poſſe exemplum, licet non inficiaretur multarum nos rerum rationes latere. Hoc quamvis ita ſit, exiſtimat tamen *Crouſazius* ſe inveniſſe ſine ratione factæ rei caſum: *Nam ſi quis*, inquit, *me conjicere jubeat*, *utrum numerus aureorum*, *quos manu clauſa tenet*, *par*, *an impar ſit*, *& ego temere parem eſſe numerum determinem*; *certe exiſtit hoc meum decretum ſine omni ratione.* Concedimus menti limitatæ nullam objectivam heic occurrere rationem, adeſt tamen ſubjectiva: Dum enim conjicere juberis parne ſit numerus an impar, exploras, quantum licet, numne ex vultu, manu, aliisque ſignis pateſcat quis determinate ſit numerus; ubi vero, examine peracto, nullum reperis determinationis indicium, perinde eſſe judicas parem an imparem pronuncies numerum aureorum; cum igitur ultimo de impari cogitaveris, imparem dicis. Sic in te habes ipſo rationem ſufficientem tuæ conjecturæ. Hactenus nihil detrimenti cepit univerſalitas noſtri principii, neque ullum unquam capiet ullo alio exemplo, obſtat enim ejus veritas apodictice evicta (§. 95.).

§. 101.

Occaſionem hinc nacti ſumus diſtinguendi rationem ſufficientem in *Ratio Objecti- Ob-*

va, Sub- jectiva. *Objectivam* & *Subjectivam*: ***illa*** ex ipſo objecto, ſeu conditione rei agendæ deſumitur; *Hanc* ex relatione rei ad ſe ipſum depromit agens.

Sic ſi artifex ab majorem unius inſtrumenti præſtantiam præ altero ejusdem ſpeciei, illud eligit, ratione ducitur objectiva; ſin vero inter duo æque propoſito apta eligit quod propius jacet ad manus, ex hac facta rei ad ſeipſum relatione, ſubjectiva ducitur ratione. Pari modo ſi victor captivos à ſe ad devictam dimittit gentem, ut ſuæ magnanimitatis & liberalitatis publicum exhibeat teſtimonium, illis ad ſuos redeundi dictam alioquin non largiturus veniam, ſubjectiva movetur ratione. Deus pepercit Iſraëlitis in deſerto, qui ob graviora delicta interitum promeruêre; non ergo ob majorem eorum præ reliquis populis bonitatem & perfectionem moralem, ſed ne Majeſtas Ejus, multis jam in Ægypto & deſerto, coram Pharone & ipſis Iſraëlitis manifeſtata miraculis, quaſi non poſſet eos conſervare, profanaretur inter gentes, Iſraëlitas ſi deſtruxiſſet. Ezech. XX. 14. Num. XIV. 13. ſeqq. Deut. IX. 24. & ſeq. v. 4. & ſeq. Hujus ergo actionis Divinæ ratio non erat objectiva, ſed ſubjectiva.

Si hoc diſcrimen, quod inter rationem objectivam & ſubjectivam intercedit, animo tenemus perſpectum, variis obviam ire poſſumus dubiis contra univerſalitatem principii rationis ſufficientis identidem prolatis. Putant

Putant enim nonnulli, ubi non appareant & dentur rationes objectivæ in re agenda, circa quam verſamur, ibi actum eſſe de omni ratione ſufficiente; Sed ſi ex relatione objecti ad nos facta intelligere licet, cur unum præ altero appetatur, locum nihilo ſecius habebit ratio ſufficiens, & ſalvum erit, quod laudavimus, principium.

§. 102.

In ratione rei reddenda præter rationem ſufficientem nihil deſideratur amplius (§. 83.); ubi itaque & quousque objectiva ratio eſt ſufficiens, fruſtra ad ſubjectivam ſimul provocatur: & ubi ſubjectiva ſufficit, de objectiva inquirenda ſollicitì eſſe non debemus. *Quando objectiva, & quando ſubjectiva ratio ſufficit.*

Dicit quidem Cl. *Canzius* in Ontol. Polem. §. 40. quicquid creati Spiritus agunt eſſe certo reſpectu ſubjectivum, certo objectivum; ſed quatenus explicat *rationes certo reſpectu objectivas, certo autem ſubjectivas per eas, quæ reperiuntur quidem extra ſubjectum ut quo, i. e. extra voluntatem, non autem extra ſubjectum ut quod, i. e. extra volentem*, noſtræ aſſertioni re ipſa non eſt inimicus. Nam quamvis objectivam rationem noſtro ſenſu deſumat anima ex conditione rei (§. 100.), illam tamen, ſiquidem ſuam inde determinat voluntatem, non absque ulla ad ſe facta relatione concipit; quidquid enim appetimus,

Digitized by Google

mus, repræſentatur ut nobis bonum, & quicquid averſamur, ut nobis malum concipimus. Dependet vero illa relatio ex conditione rei interna, adeoque noſtro ſenſu objectivam conſtituit rationem, cum relatio, quæ ex conditione rei externa depromitur, fundet ſubjectivam, quæ nobis dicitur, rationem.

§. 103.

In ſerie Rationum datur ratio ultima.

In ſerie rationum alicujus A, dabitur ratio ultima U. Sit ſeries rationum alicujus A, B, C, D. &c. dico omnino dari debere rationem ultimam U. Quoniam enim in ſerie rationum ſola ratio ultima eſt ſufficiens, reliquæ, proxima ſcilicet & remotæ ſunt inſufficientes (§. 85.): Si ultima non daretur, illius A in ſerie rationum non daretur ratio ſufficiens, adeoque aliquid eſſet ſine ratione ſufficiente, quod omnino abſurdum (§. 88.). In ſerie igitur rationum datur ratio ultima.

Nemo exiſtimet rationem ultimam ejusdem cum reliquis eſſe indolis & naturæ, vel intra ſeriem entium contingentium contineri; hoc enim poſito, non eſſet ultima, quum hæc diverſam habeat à reliquis omnibus naturam (§. 84.), nec intra ſeriem entium contingentium comprehendi poſſit, quum horum quodlibet aliter eſſe poſſit quam eſt (§ 59.), adeoque cujuslibet detur ratio ſufficiens (§. 95.), ultima autem ratio aliunde non

non derivat ſui rationem (§. 84.). Apertius hoc docebitur, ubi theoriam entis neceſſarii & contingentis exhibuimus. Illuſtrationis autem cauſſa notetur impræſentiarum exemplum ex *Lucæ* III. prius deſumtum (§. 84.), ubi non prius ſubſiſtit Evangeliſta in ratione genealogica Joſephi reddenda, quam ubi ad Deum fuit ei deventum, qui ſufficientiſſima totius genealogiæ eſt ratio, & extra totam illam exiſtit genealogiam.

§. 104.

Progreſſus rationum in infinitum.

Rationum ſeries, in qua nunquam pervenitur ad rationem ultimam, dicitur *Progreſſus rationum in infinitum*.

Sic ſi ipſius A ratio eſſet B, τȣ̃ B ratio C, τȣ̃ C ratio D, &c. in infinitum, progreſſus rationum in infinitum vocatur. Ejusmodi progreſſum ſtatuiſſe vel potius finxiſſe perhibent *Anaximandrum*, qui teſte *Cicerone* L. 1. de Nat. Deorum putavit *nativos eſſe deos, longis intervallis orientes occidentesque eosque innumerabiles eſſe mundos*, ſcilicet mundum A ex mundo B, hunc ex C, & ſic porro in infinitum, & huic infinito progreſſui aſſignandam eſſe cauſſam rerum, nec aliam dari ullam.

§. 105.

Non datur.

Progreſſus rationum in infinitum dari nequit. Excludit enim hic progreſ-

Digitized by Google

greſſus in rationum ſerie rationem ultimam (§. 104.), quæ tamen excludenda non eſt (§. 103.). Dari itaque non poteſt ejusmodi progreſſus.

Abſurditatis ſic facile convincitur Anaximandri opinio, quæ ſceleſtiſſimo conatu Dei exiſtentiam negare veritus non fuit.

§. 106.

Poſſibilitatis ratio. *Quicquid eſſe poteſt, ſeu, quicquid eſt poſſibile, habet rationem ſufficientem, cur poſſit eſſe.* Omne poſſibile nullam involvit contradictionem, ut ſuo docebimus loco, conſequenter eſt conceptibile (§. 73.), & aliquid (§. 75.). Poſito igitur poſſibili ponitur aliquid, ſed hoc poſito, ponenda etiam eſt ejus ratio ſufficiens (§. 88.). Quodcunque ergo eſſe poteſt, ſeu, quodcunque eſt poſſibile, habet rationem ſufficientem cur poſſit eſſe.

Abſit hinc fluere putes omne quod eſt poſſibile, ſeu poſſibilitatem omnem, rationem ſufficientem agnoſcere in ente à ſe diverſo, quod infinitæ & independenti Dei poſſibilitati, actualitatem ſimul includenti, in immenſum officeret: Abſit, inquam, quum nos, rationem ſufficientem poſſibili vindicantes, *illam ex ejus conceptibilitate, h. e. non repugnantia & harmonia prædicatorum* (§. 73.) deducamus, conſiderantes prædicata iſta, non ut diverſa entia, niſi ad illa involvant relationem

onem, ſed potius ut notiones antecedentes & partiales, ex quibus cur & quando aliquod totum poſſibile ſit intelligitur. Sic ex conjunctione trium rectarum æqualium, quam tradit *Euclides* 1. El. 1. intelligitur trianguli æquilateri poſſibilitas. Eodem modo ex non repugnantia actionis cum facultate agendi, quæ enti A. competit, intelligitur cur ens illud A iſtam edere poſſit actionem.

§. 107.

Poſſibilitatis & actualitatis rationis definitiones.

Recte hinc colligimus, aliam eſſe ***rationem ſufficientem poſſibilitatis***, aliam ***actualitatis: illa*** eſt id, unde ſufficienter intelligitur cur aliquid poſſit eſſe; ***hæc*** vero id dicitur, unde plene intelligitur cur alterum potius actu ſit quam non ſit, ſit hoc & non alio modo.

Sic non impedita facultas locomotiva eſt ratio ſufficiens cur ambulare poſſim, ſed occaſio & inſtitutum præſens eſt mihi ratio ſufficiens cur actu ſedens ſcribam.

§. 108.

Harum rationum connexio in uno.

Quia inter eſſe poſſe A, & actu eſſe B nulla eſt contradictio (§. 43.), ſine ulla contradictione concurrere poteſt ratio ſufficiens ad poſſibilitatem unius, & ſimul ad actualitatem alterius.

Pertinet huc exemplum, modo allegatum; nam

nam quamvis actu ipſo ſedens ſcribam, poſſum tamen eodem hoc tempore meditabundus ambulare.

§. 109.

A poſitione ergo rationis ſufficientis actualitatis unius ad negationem rationis ſufficientis poſſibilitatis alterius non valet conſequentia.

Hinc quæ libere agunt entia, quamvis ratione determinentur ſufficiente hanc vel illam edendi actionem, nulla tamen neceſſitate vel abſoluta vel phyſica ad agendum ducuntur: non abſoluta, quia actio oppoſita nullam in ſe involvit contradictionem: non phyſica, quia non impeditam habent facultatem ad actionem oppoſitam. Et quamvis Clariſſ. D. *Langanſen* cum aliis in Apologia Diſſertationis de abſoluta omnium, quæ exiſtunt, neceſſitate in Theodicæa *Leibnitii* aſſerta, πρῶτον eſſe ψεῦδος Syſtematis *Leibnitiani* principium rationis ſufficientis, quod fatalem & abſolutam introduceret neceſſitatem; Nos tamen contra defendimus πρῶτον eſſe ψεῦδος, quod, admiſſa in actionibus liberis ratione ſufficiente, libertas tollatur agentium, fatumque introducatur ſtoicum. Hoc enim qui tuentur, propria facillime convincuntur conſcientia; nam hac ſalva, an affirmare poſſunt ſe nullam actionem, re ante non dijudicata, ſuſcepiſſe & ſuſcipere? vel, an inde, quia rei dijudicatio ejus potius actionem quam omiſſionem

ſionem ſuaſit, aliquid detrimenti cepit libertas? an ideo non libere ſed ex fato quodam inevitabili actum fuit? Hæc ſine propriæ conſcientiæ læſione, & magna ſtoliditatis nota affirmare nequeunt. Quia itaque antecedanea rei dijudicatio, actionem ejus ſuadens, utpote ex qua intelligere licet cur actio ſit ſuſcepta, ratio actionis eſt ſufficiens (§. 83.); ratione ſufficiente admiſſa nullum introducitur fatum. Certe quum voluntas vi ſuæ facultatis & libertatis non ad unum magis quam ad alterum ſit determinata, poteſt agere & non agere, agere hoc & aliud, niſi cœcum & irrationabilem caſum, naturæ rerum (§. 95.), & ſpeciatim naturæ intelligenti & rationali inimicum abſurde admiſeris; fatearis oportet volitionem, quæ determinatum involvit actum, ſufficientem & determinatam poſtulare rationem, cur fiat potius quam non fiat. Neque differt ratio ſufficiens, in moralibus aſſerta, à canone maxime decantato: *Quicquid appetimus, appetimus ſub ſpecie boni, & quicquid averſamur, averſamur ſub ſpecie mali.* Quia ergo nemo temere ſtatuerit hunc canonem libertatem tollere, nemo etiam affirmabit rationem ſufficientem poſitam vel ullam libertatis partem jugulare.

§. 110.

Ratio ſufficiens poſſibilitatis eſt abſolute neceſſaria & immutabilis, ratio autem actualitatis, in rebus creatis, contingens eſt & mutabilis. Eſt enim ratio ſufficiens

 poſſi-

poſſibilitatis illa, unde intelligitur cur aliquid poſſit eſſe (§. 107.), quam ex conceptibilitate, h. e. non repugnantia prædicatorum pendere vidimus (§. 106.), atque ideo ex principio contradictionis (§. 73), quod abſolute neceſſarium (§. 60.) & immutabile eſt (§. 62.), & ex quo nulla contingens, quà talis, ſed ſolum neceſſaria domonſtrari poteſt veritas (§. 61.). Ratio itaque poſſibilitatis non poteſt non eſſe abſolute neceſſaria & immutabilis.

Longe vero aliter comparata eſt ratio ſufficiens actualitatis in rebus creatis, quæ, quum verſetur circa actualitatem earum (§. 107.), contingentem & mutabilem (quicquid enim eſt creatum & productum, de ſe & in ſe exiſtentiam non habet, poteſt ergo illam habere & non habere), non poteſt non ipſa etiam eſſe mutabilis & contingens.

Loquor heic de ratione ſufficiente actualitatis in rebus creatis, non de eadem in Ente increato & infinito, quam abſolute neceſſariam eſſe & immutabilem, in ipſa ejus poſſibilitate ſitam facile aſſequimur, & Theologia Naturalis uberius demonſtrat.

§. III.

Mutabilium rationum diverſitas.

Mutabiles hæ rationes non unius ejusdemque ſunt ordinis in diverſo entium genere. Ex his independenter ſuo demonſtrabitur loco

co, omne accidens eſſe mutabile & viciſſim omne, quod in rebus mutari poteſt, eſſe earum accidens, omne etiam accidens poſtulare certam diſpoſitionem entis, cui competat, aliamque & oppoſitam diſpoſitionem nonniſi aliud & oppoſitum admittere accidens. Mutabiles itaque hæ rationes accidentium claſſi ſunt accenſendæ & certæ entium, quibus attribuuntur, diſpoſitioni conformandæ. Diverſa entium genera, inferiora ſcilicet, per differentias genericas, quæ heic inſtar ſpecificarum ſunt, adeoque per ſuas notiones ſe mutuo excludunt, neque poſſunt eatenus eandem poſſidere diſpoſitionem naturalem, neque easdem proinde admittere mutabiles rationes. Sed *rationes ejusdem ordinis* dicuntur, quibus eadem reſpondet notio; liquet ergo mutabiles rationes non unius ejusdemque eſſe ordinis in diverſo entium genere.

§. 112.

Ratio Phyſico-Mechanica & Logico-Moralis.

Nemo ignorat corpora & ſpiritus eſſe entia diverſiſſimo genere, rationesque ergo mutabiles, & quæ ſpectant actiones eorum, non ejusdem eſſe ordinis, ſeu definitionis (§. 111.). Recte hinc diſpeſcimus inter rationes *Phyſico-Mechanicas*, quas corpora ſequuntur in ſuis actionibus & mutationibus, quæ omnes vel in motu conſi-

ſtunt, vel mediante motu peraguntur; & rationes *Logico-Morales*, quibus Spiritus ducuntur in ſuis deſtinationibus. *Illæ*, quia corpus omne per eſſentiam ſuam indifferens eſt ad motum & quietem, ſunt ei extraeſſentiales, ſæpius externæ, ad impulſum alterius corporis excitatæ, poſitæque reddunt actionem oppoſitam Phyſicæ impoſſibilem, atque adeo Phyſicam inferunt neceſſitatem, quæ cum libertate in agendo haudquaquam conſiſtere poteſt. *Hæ* ſunt ſemper internæ, ad attactum alterius entis nunquam determinatæ, non externe trudentes, pellentes, trahentes; ſed interne incitantes, allicientes, ſuadentes.

Dari rationes Logico-Morales vel exinde etiam colligitur, quod operationes Logicæ & actiones morales poſſint aliter inſtitui quam inſtituuntur, atque ideo habeant rationem ſufficientem cur ſint potius quam non, hoc potius modo quam alio (§. 95.): Mens enim noſtra in exercitio ſuarum operationum regulas ſequitur aut diſtincte perſpectas, aut confuſe cognitas, h. e. aut Logicam artificialem, aut naturalem, & in hac, aut veris, aut imaginariis ducitur regulis. Ubique ergo adeſt operationum mentis ratio ſufficiens. Idem in Moralibus de voluntate eſt dicendum: Homines enim aut male, aut bene agunt, *ſi hoc*, ſuas actiones ad legem componunt, eamque tanquam regulam & principium determinans ſequuntur; *Si illud*, appetitu

Digitized by Google

titu ſenſitivo moventur, qui bona ex ſenſu & opinione metitur. Locum ergo heic habet ratio ſufficiens, ſive Dei mandato ſtabilita, ſive carnis cupiditatibus excitata. Neque defendimus omnem rationem ſufficientem, qua determinatur voluntas noſtra, petendam eſſe ex diſtincta objectorum repræſentatione, ſed ſufficere haud raro confuſam, & aliquando obſcuram, quorſum ſpectare videntur tacitæ conſuetudines, ab ipſis agentibus non agnitæ, tum & temperamentorum inclinationes.

Occupavimus jam dubium, quod multas apud adverſarios complet paginas, & quod ita nervoſe contrahimus: *Quicquid ratione ſufficiente ducitur, illud legibus Mechaniſmi regitur; atqui ſecundum noſtram aſſertionem non corpora ſolum in ſuis motibus, ſed & ſpiritus in ſuis appetitibus & averſationibus rationes ſequuntur ſufficientes: Spiritus ergo Mechaniſmo ſubjiciuntur.* Sed facta diſtinctione inter rationes ſufficientes Phyſico-Mechanicas & Logico-Morales concidit univerſalitas propoſitionis majoris, & per conſequens vi regularum primæ ſyllogiſmorum figuræ, tollitur omnis argumentandi nervus.

§. 113.

Ratio Pſychologica & Juris.

Tandem ne quid ſuperſit dubii circa extenſionem principii noſtri in moralibus, obſervetur diſtinguendum etiam eſſe inter rationem ſufficientem *Pſychologicam* & *Legalem*, ſeu

Juris,

Juris: illa eſt, quæ quocunque principio, ſive vero, ſive bono, ſive diſtincte, ſive nonniſi confuſe cognito, ad determinandum hunc vel illum voluntatis actum. *Hæc* vero eſt, quæ ad legem componitur & conformatur. Illa ergo juſta vel injuſta, æqua vel iniqua eſſe poteſt, hæc vero juſtitiæ & æquitatis limites non transgreditur.

Corruit hinc & evaneſcit dubium à nonnemine ita formatum: *Si datur ratio ſufficiens determinationum moralium, quævis determinatio legi eſſet conformis, juſta & æqua, conſequenter Cainum ſuo fratricidio juſtam commiſiſſe actionem, quod tamen abſonum omnes facile largiuntur; ergo ſimul concedant neceſſe eſt principium rationis ſufficientis in moralibus non habere locum.* Sed major propoſitio in hac argumentatione conditionali loquitur de ratione ſufficiente legali tantum, in concluſione autem ſermo eſt de omni ratione ſufficiente in Moralibus, & Pſychologica & Legali ſimul; quare contra præcepta Logices, quæ vetant plus ponere in concluſione, quam fuit in præmiſſis, peccat hæc argumentatio, & nihil proinde, quod nobis contrariatur, colligit. Certum de cetero manet, Cainum ex ratione ſufficiente Pſychologica, minime autem gentium Legali, interfeciſſe pium & innocentem fratrem ſuum Abelem. Immota itaque & inconcuſſa adhuc manet principii rationis ſufficientis veritas, ad contingens quodvis extenſa.

§. 114.

§. 114.

Si duo pluravé fuerint in ſe plane eadem, nulla dabitur ratio objectiva, cur alterum præ altero fiat, ſeu eligatur. Quum ea dicantur eadem, quorum unum continet id, quod in altero reperitur; ſi itaque objecta producenda ponuntur eadem, non deprehendetur aliquid in uno eorum, quod alterum in ſe non involvit. Sed ponitur objectorum identitas (per hypoth.), ergo ex conditione eorum interna eadem eſt ratio producendi unum & ſimul elegendi alterum; quare ex conditione eorum interna non intelligitur, cur unum potius fiat quam alterum, atque adeo, poſita aliqua determinatione, hujus determinationis nulla dabitur ratio objectiva (§. 101.).

Poſita eligibilium identitate nulla datur ratio eligendi unum præ altero.

Idem deductione ad abſurdum evincitur: Ratio objectiva deſumitur ex conditione rerum, ſeu objectorum producendorum (§. 101.), & ideo, in comparatione plurium objectorum, quam heic ſupponimus, ex eorum interna diverſitate; quare ſi ratio objectiva adeſſet, poſitis rebus iiſdem producendis, eſſent diverſæ & eædem ſimul: Diverſæ, quatenus ratio objectiva haberet locum, & eædem per hypotheſin, quod implicat (§. 53). Poſita igitur identitate rerum, ſeu objectorum producendorum, nulla dari poteſt ratio obje-

objectiva, cur alterum præ altero fiat ſeu eligatur.

Non heic determinamus an duæ res in ſe plane eædem dentur, vel dari poſſint, cujus rei expoſitio præſentis non eſt inſtituti, ſed per hypotheſin, quæ ſecundum Logicorum regulam in ſe veriſſimam, nihil ponit ineſſe, aſſumimus identitatem, indeque noſtrum demonſtramus aſſertum. Obſervetur de cetero nos præſenti poſitione non negare dari poſſe rationem objectivam, cur unum ex iiſdem producatur potius, quam non producatur: quæſtio enim tunc eſt inter exiſtere & non exiſtere, quæ duo diverſiſſima ſunt, rationemque objectivam agnoſcunt (§. 95.); negamus autem dari rationem objectivam, cur unum ex interne iiſdem præ altero fiat, vel eligatur: hoc enim in caſu, quia diverſitas rerum ponitur nulla, ex nihilo penderet, quod abſurdum (§. 87.). Illuſtrationis gratia applicari poteſt exemplum prius allatum: Perinde eſt artifici, utrum ex duobus inſtrumentis, propoſito operi æque aptis, æque accommodatis, eligat, h. e. nulla ducitur artifex objectiva ratione unum præ altero eligendi. Pari modo ſi Titio offerantur duo aurei nummi, ejuſdem formæ externæ & figuræ, ejuſdem bonitatis & ponderis, nulla dabitur ratio objectiva, cur unum præ altera ſumat. Non tamen negamus heic locum habere rationem ſubjectivam, vel exinde deſumtam, quod alter nummus magis altero ſit ad manus, vel inde, quod paritate nummorum

exami-

examinata & perpenſa, attentionem ſuam ultimo dirigat in nummum A, quem ergo alteri præfert. Sed hæc ſubjectiva ratio extra controverſiam eſt, qua de interna rerum quæritur diverſitate, per principium rationis ſufficientis demonſtranda, non de extrinſecus illas quomodocunque afficiente.

§. 115.

Inter idem & non idem, ſeu diverſum, non dari medium oſtendunt eorum notiones ſibi mutuo oppoſitæ, ſuo evolvendæ loco; poſita vero identitate rerum nullam locum habere rationem objectivam, cur unum præ altero eligatur, mox eſt oſtenſum (§. præc.); illa ergo non dabitur niſi ſuppoſita rerum diverſitate. *Sine poſita diverſitate rerum non datur ratio objectiva.*

§. 116.

Ulterius ex eodem pendet fundamento (§. 114), ab aſſumta identitate rerum ad negationem rationis objectivæ, exiſtentiæ unius præ alterius, tanquam abſurdam, non eſſe argumentandum. *Perverſus argumentandi modus notatur.*

Dici vix poteſt quantæ utilitatis ſit præſens conſectarium in decidendis controverſiis graviſſimis, noſtra hac ætate motis, de harmonia rerum omnium finitarum univerſali, electione mundi unice optimi, permiſſione ma-

li moralis, aliisque agnatis, quarum adhibitæ à recentionibus Philoſophis demonſtrationes, tandem reſolvuntur in hanc propoſitionem: *Quod non dentur duo ex aſſe ſimilia.* Iſthanc vero evicturi propoſitionem ita argumentantur: *Si duo darentur ſimilia, quia etiam partes loci ſimiles ſunt, nulla daretur ratio, cur in hoc loco & non in alio unum ex ſimilibus collocaretur, ſed per principium rationis ſufficientis abſurdum eſt, nullam dari rationem, duo ergo ſimilia non dantur.* Aſt nemo non videt hunc ratiocinandi modum impingere in præſens à nobis evictum corollarium, illum ergo non valere, ſed petere id, quod eſt in principio: Oſtendere ſcilicet conantur diverſitatem rerum ex principio rationis ſufficientis, quod tamen diverſitatem non evincit, ſed eandem aliunde cognitam ſupponit (§. 115.).

§. 117.

Ex principio R. ſuff. demonſtrari nequit diverſitas.

Liquet adeo hinc, ex principio rationis ſufficientis demonſtrari non poſſe diverſitatem rerum ſeu objectorum. Diverſitas objectorum interna ſcilicet, nam de illa eſt ſermo, ex diſconvenientia determinationum internarum deſumitur, quæ rationem inferunt objectivam (§. 101.). Hæc autem locum habere nequit niſi præſuppoſita objectorum diverſitate (§. 115.). Demonſtratio itaque diverſitatis rerum ex principio rationis ſufficientis fallaciam petitionis principii committit, &

& proinde demonſtrationis non meretur titulum, ſeu, quod idem eſt, demonſtratio eſt nulla.

De diſſimilitudine rerum, a recentioribus Philoſophis aſſerta, multa quidem adhuc reſtant excutienda, ſed Methodi, quam nobis propoſuimus, ſcientificæ memores, longe pleniorem hujus rei pollicemur deductionem, ubi ſimilium & diſſimilium tradidimus notiones. Heic annotaſſe ſufficiat, quousque ſe extendat noſtrum principium, cujus ne hinc putes lædi univerſitatem, ad contingens quodvis prius extenſam (§. 99.), ſequentem addere placet propoſitionem.

§. 118.

Hinc tamen non læditur univerſalitas principii.

Etſi in caſu, ubi duæ pluresve res eandem internam habent conditionem, nulla, ut vidimus, detur ratio objectiva (§. 114.) *eligendi unum præ altero, datur tamen hujus determinationis ratio ſubjectiva.* Sint duo A & B, quæ eandem internam habeant conſtitutionem, & æque ab agente ſint producibilia, quare ubi eligit A præ B, potuit ſimul eligere B præ A, & ideo potuit aliter eſſe quam eſt hæc electio & determinatio, conſequenter dabitur ratio ſufficiens electionis A præ B (§. 95.), ſed non objectiva (§. 114.), ergo non niſi ſubjectiva (§. 101.).

Digitized by Google

Pertinet huc exemplum Titii ex duobus aureis nummis, æque bonis, magnis, gravibus, &c. unum per altero ex ratione ſubjectiva eligentis. Facile hinc ſolvitur dubium à non nemine in nos vibratum: *Si in caſu, ubi duo plurave eandem internam habent conditionem, nulla daretur objectiva ratio eligendi unum præ altero, inveniretur quid, ratione deſtitutum ſufficiente; Nihil autem eſt ſine ratione ſufficiente* (§. 88.), *ergo ejusmodi dari nequit caſus: Ergo principium rationis ſufficientis diverſitatem rerum non ſupponit, ſed demonſtrat.* Largior & ſimul urgeo memoratum caſum eſſe aliquid, & per conſequens ratione ſufficiente non deſtitui (§. 88.); inde tamen non ſequitur illam rationem eſſe objectivam, ex rerum diverſitate, quæ heic ponitur nulla, deſumendam, ſed ſubjectivam, quæ præſenti caſu omnino ſufficit, ad illæſum & incolume conſtituendum principium rationis ſufficientis, quod ergo non inſervit diverſitati rerum inferendæ, ſed illam aliunde cognitam ſupponit.

§. 119.

Laudati Principii dependentia ex Princip. contradictionis.

Principii rationis ſufficientis veritas ex principio contradictionis dependet. Abſolvitur principium rationis ſufficientis Propoſitione: Quodcunque eſſe poteſt & non eſſe, hoc & alio modo, habet rationem ſufficientem cur ſit potius quam non ſit, hoc potius modo, quam alio.

alio, (§. 96.), hujus autem propoſitionis veritas reſolvitur in propoſitionem: Si res fuerint diverſæ, vel in relatione ad producentem diverſæ concipiuntur, dabitur ratio ſufficiens cur altera præ altera fiat (§. 95.). Hæc vero propoſitio dependet ex propoſitione: *nihil* eſt ſine ratione ſufficiente (§. 94.), quæ non aliunde ultimato derivatur, quam ex principio contradictionis (§. 88.). Principii ergo rationis ſufficientis veritas ex principio contradictionis dependet.

§. 120.

Affectiones hujus principii.

Duo hinc fluunt conſectaria, α) *Principium rationis ſufficientis*, quum dependeat ejus veritas ex principio contradictionis (§. 119.), quod abſolute primum eſt (§. 57.), *non eſſe primum, ſed a primo ortum* (§. 41.). (β) *Principii rationis ſufficientis veritatem eſſe abſolute neceſſariam* (§. 60. 61.).

§. 121.

Non mutat indolem contingentium.

Principium rationis ſufficientis non mutat indolem rerum, ad quas applicatur, vel circa quas verſatur contingentium. Oſtenſum eſt antea (§. 97.), principium rationis ſufficientis tantum verſari circa contingentia, non autem neceſſaria; inſinuant notiones ne-

 ceſ-

Digitized by Google

ceſſarii & contingentis, contradictorie ſibi oppoſitæ (§. 59.), rem quamvis aut eſſe neceſſariam aut contingentem (§. 64). Quam ob rem ſi principium rationis ſufficientis mutaret indolem rerum, ad quas adplicatur, contingens, ad cujus detegendam rationem applicatur, deſineret eſſe contingens, aſſumta neceſſarii natura, novum ſic oriretur neceſſarium, quod antea non erat; eſſe vero omne neceſſarium & perpetuum & immutabile, nec ullas ſubire poſſe viciſſitudines quilibet, vel non admonitus, largitur, ſuoque oſtendetur loco. Principium erga rationis ſufficientis non mutat indolem rerum contingentium, ad quas applicatur.

Idem alio adhuc evincitur argumento: Ratio ſufficiens, qua ad unicitatem exiſtentiæ reducitur contingens ab aliquo agente, aut objectiva eſt aut ſubjectiva (§. 101.): illa, ex conditione rei deſumta, talem, qualis eſt rei indoles, ſupponit, non ergo mutat; Hæc, quia ex relatione rei ad agentem depromitur (§. cit.), eſt rei extrinſeca, eamque non ingreditur, illam itaque mutare nequit. Concludimus igitur denuo principium noſtrum non mutare indolem rerum, ad quas applicatur.

Frigeſcit itaque & diſſipatur eorum metus, qui putant principii rationis ſufficientis applicationem ad res contingentes earum ideo mutare

tare indolem, quod illius veritas ex principio contradictionis dependeat (§. 119.), abſolutam inferente neceſſitatem (§. 60.). Sed neſciunt hi diſtinguere inter principii noſtri *actum ſignatum*, quo quà naturam & veritatem ſuam ſpectatur, & actum ejus exercitum, quo uſurpatur & applicatur: illo neceſſarium eſt noſtrum principium (§. 119.), non autem hoc, neque ab illius neceſſitate ad hujus licite argumentatur. Eodem modo canon veterum, *nihil eſt ſine cauſſa*, qua actum ſignatum, h. e. quà veritatem ſuam reſolvitur in principium contradictionis, & neceſſarius eſt, inde tamen non ſequitur eum actu exercito, h. e. uſurpatione, neceſſarium eſſe, ſeu, non ſequitur cauſſam neceſſario producere effectum, effectumque omnem neceſſitate laborare. Sed ut junioribus clarior adhuc reddatur, quam tuemur, ſententia, ſumamus exemplum: Deambulationis a Cajo, hoc tempore inſtitutæ, quia potuit inſtitui & non inſtitui, neceſſario dabitur ratio ſufficiens (§. 95.); inde tamen non fluit ſerenitatem & occaſionem, quæ præſentis deambulationis exhibent rationem, neceſſarias eſſe; potuit enim Cajus eandem inſtituere actionem ſanitatis conſervandæ cauſſa, potuit idem facere amici viſitandi gratia vel aliam quamvis ob rationem; neutra ergo neceſſario ponitur, neque poſita ponitur deambulationis neceſſitas, quum Cajus hoc eodem temporis momento vi facultatis ſuæ, non impeditæ, potuerit loco deambulationis aliam ſuſcipere actionem.

§. 122.

Numerus Principiorum Catholicorum.

Duo nec plura ſunt Catholica cognoſcendi principia complexa, alterum contradictionis, alterum rationis ſufficientis. Omnem veritatem eſſe vel neceſſariam vel contingentem (§. 59.), nec inter hanc & illam dari mediam, oſtendunt neceſſarii & contingentis notiones, ſibi mutuo contradictoriæ (§. cit. & 43.), omne excludentes medium (§. 64.) Demonſtrandæ veritati neceſſariæ inſervit principium contradictionis (§. 61.), non autem contingenti oſtendendæ (§. 91.), circa quam unice occupatur principium rationis ſufficientis (§. 97.). Duo itaque nec plura ſunt cognoſcendi principia, alterum contradictionis pro veritatibus neceſſariis, alterum rationis ſufficientis pro veritatibus contingentibus.

Diſputatum quidem antiquitus fuit de numero principiorum Catholicorum, alii nullum voluêre determinatum, alii ternarium dixêre, alii nonniſi unum principium, contradictionis puta, admiſêre. Tollitur vero omnis controverſia, modo accurate diſtinguatur inter veritatem neceſſariam & contingentem, quæ ex uno eodemque pendere nequit principio; utrique ergo ſigillatim ſuum convenit, unde cognoſcitur, ut adeo ſatis determinatam habeamus binarii principiorum numeri cognitionem. Haud negamus plura eſſe particularia

ria principia, utriusque veritatis ſpeciebus demonſtrandis ſubſervientia; Catholica autem pro duplici hoc veritatum genere plura quam duo admittere non poſſumus. Qui non niſi unum largiuntur principium Catholicum, illudque principium contradictionis eſſe volunt, confundunt Catholici & primi notiones. Primi principii dignitate decorandum eſſe principium contradictionis antea oſtendimus (§. 57.), ſed ſimul evicimus illud non adeo univerſale, ſeu Catholicum eſſe, ut omni veritati etiam contingenti demonſtrandæ inſerviat (§. 61. 91.). Cum primo igitur principio non confundendum eſt Catholicum, illud unicum eſſe defendimus, hoc duplex tuemur.

§. 123.

Ex his principiis pendet omnis intelligibilitas.

Poſitis adeo principiis contradictionis & rationis ſufficientis, ponitur rerum omnium intelligibilitas, iisdem autem ſublatis, hæc unà tollitur. Poſitis enim illis principiis ponitur ratio ſufficiens rerum & neceſſariarum & contingentium (§. 90. 97.), ſed præter res neceſſarias & contingentes aliæ non dantur (§. 59. 64.). Poſitis ergo iſtis principiis, ponitur ratio ſufficiens rerum omnium, & ideo earundem intelligibilitas (§. 83.).

Sublatis contra his principiis, ex quibus omnis pendet intelligibilitas (per demonſtr.),

Digitized by Google

§. 122.

Numerus Principiorum Catholicorum.

Duo nec plura ſunt Catholica cognoſcendi principia complexa, alterum contradictionis, alterum rationis ſufficientis. Omnem veritatem eſſe vel neceſſariam vel contingentem (§. 59.), nec inter hanc & illam dari mediam, oſtendunt neceſſarii & contingentis notiones, ſibi mutuo contradictoriæ (§. cit. & 43.), omne excludentes medium (§. 64.) Demonſtrandæ veritati neceſſariæ inſervit principium contradictionis (§. 61.), non autem contingenti oſtendendæ (§. 91.), circa quam unice occupatur principium rationis ſufficientis (§. 97.). Duo itaque nec plura ſunt cognoſcendi principia, alterum contradictionis pro veritatibus neceſſariis, alterum rationis ſufficientis pro veritatibus contingentibus.

Diſputatum quidem antiquitus fuit de numero principiorum Catholicorum, alii nullum voluêre determinatum, alii ternarium dixêre, alii nonniſi unum principium, contradictionis puta, admiſêre. Tollitur vero omnis controverſia, modo accurate diſtinguatur inter veritatem neceſſariam & contingentem, quæ ex uno eodemque pendere nequit principio; utrique ergo ſigillatim ſuum convenit, unde cognoſcitur, ut adeo ſatis determinatam habeamus binarii principiorum numeri cognitionem. Haud negamus plura eſſe particularia

ria principia, utriusque veritatis ſpeciebus demonſtrandis ſubſervientia; Catholica autem pro duplici hoc veritatum genere plura quam duo admittere non poſſumus. Qui non niſi unum largiuntur principium Catholicum, illudque principium contradictionis eſſe volunt, confundunt Catholici & primi notiones. Primi principii dignitate decorandum eſſe principium contradictionis antea oſtendimus (§. 57.), ſed ſimul evicimus illud non adeo univerſale, ſeu Catholicum eſſe, ut omni veritati etiam contingenti demonſtrandæ inſerviat (§. 61. 91.). Cum primo igitur principio non confundendum eſt Catholicum, illud unicum eſſe defendimus, hoc duplex tuemur.

§. 123.

Ex his principiis pendet omnis intelligibilitas.

Poſitis adeo principiis contradictionis & rationis ſufficientis, ponitur rerum omnium intelligibilitas, iisdem autem ſublatis, hæc unà tollitur. Poſitis enim illis principiis ponitur ratio ſufficiens rerum & neceſſariarum & contingentium (§. 90. 97.), ſed præter res neceſſarias & contingentes aliæ non dantur (§. 59. 64.). Poſitis ergo iſtis principiis, ponitur ratio ſufficiens rerum omnium, & ideo earundem intelligibilitas (§. 83.).

Sublatis contra his principiis, ex quibus omnis pendet intelligibilitas (per demonſtr.),

 tolli-

tollitur omnis modus res intelligendi. Nam ſi nihilo ſecius maneret rerum intelligibilitas, dependeret illa vel ex aliis principiis, vel ex nihilo; ſed alia non dantur Catholica cognoſcendi principia (§. 122.), nec ex nihilò peti poteſt ulla ratio ſufficiens & intelligibilitas (§. 87). Superſtes ergo eſſe nequit intelligibilitas rerum remotis iſtis principiis.

Sermo heic eſt, ut quilibet vel non admonitus percipit, de intelligibilitate abſoluta, non autem reſpectiva, ad hunc vel illum relata intellectum finitum, quo reſpectu lubens largior dictorum principiorum cognitionem non inferre reliquarum omnium, quæ inde pendet, rerum notitiam. Sed multa nihiloſecius & eſſe & manere intellectui finito non intelligibilia, quæ tamen abſolute loquendo & quoad intellectum infinitum concipi poſſunt & intelligi.

CAPUT III.
DE POSSIBILI ET IMPOSSIBILI.

§. 124.

Poſſibilis definitio.

Poſſibile dicitur quicquid nullam involvit contradictionem, vel repugnantiam.

Eſt hæc poſſibilitatis notio ab Ariſtotelis usque tempore apud pleroſque Peripateticorum

rum, & recentiorum Philoſophorum ſatis uſitata, communiſſimo pariter uſu comprobata. Hinc trianguli v. gr. æquilateri poſſibilitatem in Geometria dijudicamus ex non repugnantia trium rectarum æqualium ad figuram includendam. Poſſibile dicimus equo datam viam, dato tempore, percurrere, ubi nullam inter productionem hujus effectus & vires equi deprehendimus repugnantiam. Idem in aliis obtinet exemplis, ubi poſſibilis applicamus terminum.

Sunt quidem vocabula, in notione poſſibilis allata, negativa, res tamen, vocabulis denotata, non eſt negativa ſed poſitiva: negatio enim contradictionis ponit prædicatorum harmoniam, ſeu conſenſum, ut adeo poſſibilitas abſolvatur prædicatorum harmonia. His accedit, quum illud nullam involvat contradictionem, quod conceptibile eſt (§. 73), negativam, ut videtur, poſſibilis notionem æquipollere huic affirmativæ: Poſſibile eſt, quod eſt conceptibile.

§. 125.

Impoſſibilis definitio.

Impoſſibile eſt, quod contradictionem involvit.

Uſitatiſſima eſt hæc impoſſibilis notio, quæ, ut ex facta jam deductione liquet, re ipſa non affirmativa eſt, ſed negativa, nihilque importat aliud, quam inconceptibilitatem, vel repugnantiam cum principio contradictionis, disharmoniam igitur vel pugnam prædicatorum. Neque exempla deſunt, qui-

 bus

Digitized by Google

bus dicta illuſtretur notio: Circulum quadraticum, ferrum ligneum, triangulum birectangulum, Spiritum corporeum, & alia ejus generis, impoſſibilia ſtatuimus, pervidentes prædicata, illis comprehenſa, ſe mutuo deſtruere, nec ullam importare rem, ſed merum rei defectum. Homini, ut inſtar avium volatum inſtituat, impoſſibile dicimus, intelligentes hunc effectum viribus hominis contradicere naturalibus. Eadem ratione viro, juſtitiam & æquitatem amanti, impoſſibile dicimus, alios lædere, ſcientes aliorum læſiones ejus repugnare juſtitiæ & æquitati. Idem in aliis obtinet exemplis.

§. 126.

Modus oſtendendi poſſibile & impoſſibile.

Sponte fluit ex his poſſibilis & impoſſibilis notionibus (§ 124. 125.), nihil in impoſſibilium numerum referendum eſſe prius, quam prædicatorum, quæ ei aſſignantur, demonſtretur contradictio; Nec quicquam poſſibile ante pronunciandum eſſe, quam non repugnantia prædicatorum ſit deprehenſa.

Errant ergo, qui ante ullum inſtitutum examen adeo proclives ſunt ad impoſſibile pronunciandum, quod, juſta æſtimatum lance, poſſibile eſt, & viciſſim ad poſſibile proclamandum, quod, accuratius evolutum, meram involvit impoſſibilitatem. In hunc impingunt ſcopulum, qui cum *Bodino* in Diſſ. de jure mundi §. 2. & de reſervat. Divin. Majeſt.

Majeſt. Cap. 1. §. 3. non perpenſa vera & genuina Legis Naturalis indole, ſita in conformitate cum immutabili Dei eſſentia & perfectionibus, dicunt diſpenſationem ejusdem legis poſſibilem eſſe, quum tamen æque ſit impoſſibilis, ac eſt mutatio eſſentiæ & perfectionum Divinarum. Neque ab hoc errore immunes eſſe, qui æternitatem ſucceſſivam, ut poſſibilem, admittunt, ſuo demonſtrabitur loco. Taceo alia exempla, quorum plura in ſequentibus removebuntur.

§. 127.

Falſæ poſſibilis & impoſſibilis notiones notantur.

Si poſſibile definitur per id, quod eſſe vel fieri poteſt; impoſſibile per id, quod eſſe vel fieri nequit, definitio poſſibilis & impoſſibilis eſt nulla. Poſſibile, & eſſe vel fieri poſſe, quem ad modum impoſſibile, & non eſſe vel non fieri poſſe, ſunt Synonyma mere Grammaticalia, quibus in communi loquendi more eadem reſpondet notio confuſa. Etenim ſive affirmes aliquid eſſe poſſe, utrobique tamen eidem quæſtioni eſt locus, unde ſcilicet innoteſcit, num aliquid ſit poſſibile, vel impoſſibile, ſeu, num aliquid eſſe poſſit, vel non eſſe poſſit? Docet vero Logica definitiones ſynonymicas eſſe nullas: Si ergo poſſibile definitur per id, quod eſſe vel fieri poteſt, impoſſibile contra, definitio poſſibilis & impoſſibilis eſt nulla.

§. 128.

§. 128.

Impoſſibile abſolutum & hypotheticum.

Impoſſibile diximus, quod contradictionem involvit (§. 125.), ſed aut in ſe & idea ſua, citra ullam aliam determinationem, vel conditionem, ideæ ſuperaccedentem, aut non in ſe & idea ſua, ſed propter conditionem, vel determinationem ideæ ſuperaccedentem (§. 64.). Si prius, *Impoſſibile abſolutum* vocatur, ſi poſterius, non niſi *hypotheticum*, vel *reſpectivum* audit. Omne ergo impoſſibile vel abſolute vel hypothetice tale eſt, nec inter hæc duo datur medium.

Circulum quadraticum abſolute impoſſibilem pronunciamus, partiales enim ejus notiones (rectas ſcilicet a perimetro ad punctum intermedium ductas eſſe omnes æquales, & quasdam inæquales), quæ totalem conſtituerent, ſe mutuo, ſine ulla alia conditione ſuperaccedente, deſtruunt. Quod vero ferrum in aqua natet, in idea ſua nullam involvit contradictionem, reſpectu tamen habito ad legem hydroſtaticam, quod omne ſpecifice gravius deſcendat in fluido ſpecifice leviori, implicat, atque hinc natationem ferri in aqua non niſi hypothetice impoſſibilem dicimus.

De hac impoſſibilis diviſione convenit inter omnes fere, poſt *Ariſtotelis* tempora, Philoſophos, licet non omnes iisdem verbis ſuam expri-

Digitized by Google

exprimant mentem. Abſolute impoſſibile explicat *Ariſtoteles* L. V. Metaph. Cap. 12. quod ſit *cujus contrarium neceſſario eſt verum.* Quo pacto dicit Ariſtoteles *impoſſibile eſſe diametrum* (circuli) *eſſe commenſurabilem* (lateri quadrati), *quia hoc falſum eſt*, & *cujus contrarium non modo eſt verum*, *ſed etiam neceſſarium*, *nempe eſſe incommenſurabilem*. Hypothetice autem, ſeu ſecundum quid impoſſibile, non explicat quidem Ariſtoteles c. l. tamen ad mentem ejus cum *Muſæo* in *Metaph.* Cap. 8. p. 146. & aliis dicere liceat, eſſe *id*, *cujus contrarium verum eſt per naturam*. Hujusmodi ſunt, *ſolem non moveri*, *ſtupam in ignem conjectam non comburi*. Cum hac diviſione coincidit alia, qua dicunt impoſſibile aliud eſſe *natura*, aliud *naturæ*: illud ſua natura contradictionem involvit, hoc ordinarium ſuperat naturæ curſum, in ſe tamen non eſt contradictorium. Licet fatear impoſſibile abſolutum, ex Ariſtotele explicatum, & impoſſibile natura, idem plane denotare cum abſoluta impoſſibilitate, a nobis definita; hypothetice tamen impoſſibile, quod *Muſæo* dicitur ſecundum quid impoſſibile, & impoſſibile naturæ, phyſicum potius conſtituit inpoſſibile, quam noſtro ſenſu hypotheticum, quod præter phyſicum etiam includit morale, ut mox oſtendetur plenius. Majori jure cum noſtra impoſſibilis diviſione coincidit, qua *Stahlio* atque *Muſæo* dividitur impoſſibile in *id per ſe*, & *per accidens*: *illud* dicunt eſſe, quod in omni eventu & quocunque modo eſt impoſſibile, vel quod implicat contradi-

ctionem

Digitized by Google

ctionem, ſeu, ut Ariſtoteles id deſcribit, cujus contradictorium eſt neceſſario verum, & tale eſt, *hominem eſſe lapidem*, *Deum eſſe injuſtum*: *Hoc* vero eſſe volunt, quod ex natura rei & in omni eventu non eſt impoſſibile, redditur tamen impoſſibile in aliquo eventu, ſive ex hypotheſi. Sicut *Adamum non peccaſſe*, in ſe non eſt impoſſibile, poſito tamen, quod peccavit, eſt impoſſibile, eum non peccaſſe.

§. 129.

Modus dijudicandi abſolute impoſſibile.

Abſolute impoſſibile diximus, quod in idea ſua contradictionem involvit (§. 128), quam ob rem, quum illud in idea ſua contradictionem involvat, cujus notiones partiales, totalem conſtituentes, ſe mutuo deſtruunt (§. 47.), ſequitur abſolute impoſſibile eſſe, cujus notiones partiales ſe mutuo tollunt, vel ſibi mutuo contradicunt.

Pertinent huc exempla ad præcedentem adducta paragraphum, quibus abſolutam illuſtravimus impoſſibilitatem.

§. 130.

Ubi nulla adeſt via id dijudicandi.

Notiones partiales, ſeorſim exhibitas, & totalem conſtituentes, notionem totalem efficere diſtinctam Logica docet, illamque abſolvi notione clara partialium, ſeu notarum. Quo

Quo ipſo ſimul efficitur nos nullius impoſſibilitatem oſtendere poſſe, niſi quod in ſuas ideas partiales reſolvere valeamus, & quævis idea partialis clare animo obverſetur (§. 129.).

In hanc impingunt cautelam Antitrinitarii abſolute impoſſibile clamitantes, *quod in una eademque eſſentia Divina tres ſint diſtinctæ perſonæ*, quaſi poſſent hi homunciones S. S. Trinitatis myſterium reſolvere in ſuas ideas partiales, & quamlibet clare animo exhibere. Ejusdem vitii ſe reos faciunt Calviniani, veram atque realem communicationem idiomatum, quæ unionis hypoſtaticæ inter Divinam & humanam naturam in Chriſto factæ conſequens eſt, quam Apoſtolus *Paulus* 1. Tim. III. 16. ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον vocat, veram, inquam hanc idiomatum communicationem, tanquam impoſſibilem negantes, quaſi maximi hujus myſterii ideas partiales animo formare poſſent.

§. 131.

Quum impoſſibilitas abſoluta dijudicanda ſit ex idea rei (§. 128.), ſeu ex repugnantia notionum partialium (§. 129), facile intelligimus impoſſibilitatem non pendere ex repugnantia ad intellectum noſtrum. *Perverſus impoſſibilitatem dijudicandi modus.*

Peſſime itaque erravit *Soto* à *Scheiblero* L. II. Metaph. Cap. 3. n. 575. citatus; cujus opinio

nio fuit illam repugnantiam, cujus defectus requiritur ad objectum omnipotentiæ divinæ, ſumendam eſſe per ordinem ad naturale lumen intellectus. Jure autem deſeritur *Soto* ab omnibus aliis, qui repugnantiam illam non ſumunt ex parte intellectus noſtri, ſed ex parte rei.

§. 132.

Nihil & abſ impoſſibile reciprocantur.

Abſolute impoſſibile eſt nihil, & viciſſim, nihil eſt abſolute impoſſibile. Nam abſolute impoſſibile in idea ſua contradictionem involvit (§. 128.), eſt itaque inconceptibile (§. 73.), & per conſequens nihil (§. 75.).

Nihil abſolvitur prædicatis, ſive, quod idem eſt, partialibus ideis ſibi mutuo repugnantibus (§. 76.), eſt ergo abſolute impoſſibile (§. 128.).

Facit hæc reciprocatio, inter abſolute impoſſibile & nihil oſtenſa, ut illud cum hoc plane coincidat, valeantque ergo de illo, quæ de hoc antea oſtendimus.

§. 133.

Conſectaria.

Patet ergo 1:o) *de abſolute impoſſibili non prædicari poſſe aliquid* (§. 78.). 2:do. *Abſolute impoſſibile non producere & efficere poſſe aliquid* (§. 79.). 3:tio

3:tio *Ex abſolute impoſſibili non fieri poſſe aliquid* (§. 80.).

§. 134.

Abſ. impoſſibili repugnat exiſtentia & viciſſim.

Abſolute impoſſibili exiſtentia repugnat, & cui exiſtentia abſolute repugnat, eſt abſolute impoſſibile.. Ponamus abſolute impoſſibili non repugnare exiſtentiam, poſſet ergo exiſtere (§. 124.), conſequenter de abſolute impoſſibili prædicaretur poſſibilitas, ſeu non-repugnantia (§. cit.), & ideo conceptibilitas (§. 73.) ad exiſtendum, & per conſequens de eodem prædicaretur aliquid (§. 75). Sed hoc fieri nequit (§. 133. n. 1.); Ergo abſolute impoſſibili exiſtentia repugnat. Quod erat unum.

Ei abſolute loquendo exiſtentia repugnat, quod reſpectu nullarum conditionum exiſtere nequit, ſeu, quod præciſa omni relatione ad conditiones externas quasvis in ſe & ſua natura exiſtere nequit, ideoque quod ratione ideæ ſuæ contradictionem involvit (§. 43. 47.), eſt itaque inconceptibile (§. 73.) & nihil (§. 75.), & per conſequens abſolute impoſſibile (§. 132.). Quod erat alterum.

Circulum quadraticum abſolute impoſſibilem pronunciavimus (§. 128.), recte ergo inferimus eundem nunquam exiſtere poſſe. Eodem modo *extenſum indiviſibile*, quia extenſionis

ſionis idea involvit pluralitatem partium aſſignabilium, eſt abſolute impoſſibile quid. Concludimus itaque vi præſentis poſitionis illud exiſtere non poſſe. Simili ratione, *homini lapideo*, *ferro ligneo*, *animæ materiali*, & aliis ejus generis, exiſtendi poſſibilitatem recte denegamus. Veterum canon: *à non poſſe ad non eſſe valet conſequentia*, qua rem ipſam coincidit cum noſtro enunciato, eſt tamen, quum in illo non determinetur, de qua potiſſimum poſſibilitate ſit ſermo, indeterminatus, eoque ſenſu exceptionem habet: nam non omni impoſſibili repugnat exiſtentia, ut mox declarabitur, ſed tantum abſolute impoſſibili.

Quod alterum propoſitionis noſtræ membrum concernit, notetur, poſſe quidem alicui rei exiſtentiam certo reſpectu repugnare (ſic homini repugnat volare), quæ non ideo eſt abſolute impoſſibilis, ſed in ſe poſſibilis manet: Cui vero exiſtentia abſolute repugnat, nullo modo poſſibile eſſe poteſt Sic extenſo infinito exiſtentia abſolute repugnat, eſt ergo abſolute impoſſibile quid.

§. 135.

Poſſibile abſolutum, reſpectivum. Non-repugnantia iſta, quam poſſibili adjudicavimus (§. 124.), aut tantum conſiſtit in ipſa idea rei, h. e. in ipſis notionibus rei partialibus, aut una extra eas, in rebus aliis, quæ illi, quominus exiſtere poſſit, non obſtant, h. e. in conditionibus, ideæ rei ſuperaccedentibus. Si illud, *Poſſibile* audit *Intrinſecum*, vel *Abſolu-*

ſolutum; ſi hoc, *Poſſibile* vocatur *Externum* vel *Reſpectivum*.

Hoc modo intrinſece poſſibile eſt, ut v. gr. *ſiſtatur motus ſolis*, motus enim corpori ſolari non magis eſſentialis eſt quam quies, neque hæc ergo magis repugnat corpori quam ille. Extrinſece vero eſt poſſibile ut ſiſtatur idem ſolis motus, ſi exiſtunt vires, huic effectui producendo pares. Hæc eadem poſſibilis diſtinctio Veteribus etiam obverſata fuit Philoſophis. *Daniel Stahlius* ex Ariſtotelis Libr. IX. Metaph. Cap. 3. dicit poſſibile denotare id, quod, poſito in actu, nihil evenit impoſſibile; atque ſic opponi impoſſibili tantum, & ſub ſe comprehendere non contingens tantum, verum etiam neceſſarium; atque hoc ſenſu poſſibile eſſe dicit, *Deum eſſe*, *hominem eſſe animal*, *poſſe videre*. Loqui heic Philoſophum nonniſi de intrinſeca poſſibilitate docet impoſſibilis, cui heic opponit Ariſtoteles poſſibile, explicatio L. V. Metaph. Cap. 12. quam de abſoluta impoſſibilitate valere obſervavimus (§. 128.). Idem inde evincitur, quod dicant hoc poſſibilile ſub ſe comprehendere ens neceſſarium, Deum, Cui, ob ſummam independentiam ab omni conditione externa, competere nequit alia poſſibilitas, quam intrinſeca. Propoſitam a nobis poſſibilitatis diſtinctionem clarius introſpexit *Thomas* 1. p. Q. 25. a. 5. affirmans poſſibile aliquando ſumi per denominationem ad aliquam potentiam; aliquando ſumi abſolute & negative citra reſpectum ad potentiam, atque hoc modo ex habitudine terminorum

denotare id, quod non involvit repugnantiam. Circa hanc Thomæ diviſionem nihil habeo, quod moneam aliud, quam juſto anguſtiorem eſſe conceptum poſſibilitatis extrinſecæ, neque comprehendere omnes ejus ſpecies, mox evolvendas.

§. 136.

An & quousque extrinſecum poſſibile ſit intrinſecum, & viciſſim.

Evolutæ notiones (§. præc.) ſatis declarant, *omne extrinſecum poſſibile eſſe ſimul intrinſecum, ſed non viciſſim omne intrinſecum poſſibile eſſe ſtatim extrinſecum.* Diximus enim extrinſecum poſſibile eſſe, quod, præter non-repugnantiam notionum partialium, ſimul infert non-repugnantiam ad conditiones rei externas (§. præc.), includit ergo illud intrinſecam poſſibilitatem (§. cit.). De cetero ſi extrinſecum poſſibile, tantum quoad conditiones rei externas, nullam inferret repugnantiam, in ſe vero non eſſet intrinſecum poſſibile, in idea ſua contradictionem involveret (§. cit.), adeoque eſſet abſolute impoſſibile (§. 128.), conſequenter ei exiſtentia repugnaret (§. 134.), & reſpectu nullius conditionis externæ exiſtere poſſet (§. cit.), non itaque eſſet extrinſecum poſſibile (§. 135.); ponitur tamen extrinſecum poſſibile (per hypoth.), adeoque eſſet tale & ſimul non. Quod omnino implicat (§. 53.). Quicquid ergo eſt extrinſecum

ſecum poſſibile, ſimul intrinſecum eſt. Quod erat unum.

Si omne intrinſecum poſſibile eſſet extrinſecum, præter non-repugnantiam in idea, involveret ſimul non repugnantiam ad conditiones externas (§. 135.), ſed intrinſecum poſſibile, præter non-repugnantiam in idea, non involvit ſimul non-repugnantiam ad conditiones externas (§. cit.). Ergo quod intrinſecum eſt poſſibile, non ſtatim eſt extrinſecum. Quod erat alterum.

Quoad vires Dei infinitas nihil eſt intrinſece poſſibile, niſi quod ſit per easdem vires producibile, ſeu extrinſece poſſibile; reſpectu tamen noſtri & finitarum virium multa ſunt extrinſece impoſſibilia, quæ tamen intrinſecam habent poſſibilitatem. Ita conſtructionem navigii, quo in medio aëris, globis æneis evacuatis, ſuſtentati, velis remisque agi quiret, a *Franciſco Lana* (ut *Sturmius* memorat in Colleg. curioſ. p. m. 97. & 56.) inventam, in ſe poſſibilem eſſe, viribus tamen naturæ impoſſibilem calculo clariſſimo demonſtravit Illuſtr. *Leibnitius* in Miſcellaneis Berolin. Vol. I. p. m. 127. Nemo ergo non intelligit, cur ab intrinſeca poſſibilitate ad extrinſecam univerſalis non valeat concluſio.

Diximus in relatione ad infinitas Dei vires nihil eſſe intrinſece poſſibile, niſi quod ſit per easdem vires producibile, cui ſententiæ obſtare videtur, quod antea ad §. 135. obſer-

vavimus ad intrinſece poſſibilia etiam referri Deum, Qui per nullas vires eſt producibilis. Sed aliud eſt loqui de Deo, aliud de Deo producibili: ille habet intrinſecam poſſibilitatem, hic impoſſibilitatem abſolutam. Hinc ergo non ſequitur dari aliquod intrinſece poſſibile, cui producendo non ſufficiunt infinitæ vires.

§. 137.

Abſolute poſſibilis & impoſſibilis oppoſitio.

Abſolute poſſibile contradicit abſolute impoſſibili, neque inter hæc duo datur medium. Nam abſolute poſſibile nullam involvit repugnantiam inter notiones rei partiales (§. 135.), involvit vero illam repugnantiam abſolute impoſſibile (§. 128.), conſequenter ſibi mutuo contradicunt (§. 43), neque inter illa dabitur medium (§. 64.).

Quodcunque ergo non eſt abſolute impoſſibile, erit abſolute poſſibile, & quod abſolute impoſſibile eſt, abſolute poſſibile eſſe nequit, & inverſim.

§. 138.

Aliquid & poſſibile ſunt reciproca.

Evicimus modo (§. 132.) abſolute impoſſibile eſſe nihil, & viciſſim quidquid nihil eſt, abſolute eſſe impoſſibile; Quare, quia abſolute poſſibile contradicit abſolute impoſſibili, neque inter hæc duo datur medium (§. 137.), quia etiam

etiam aliquid & nihil ſibi mutuo contradicunt, neque inter hæc duo datur medium (§ 77.), intelligimus *omne abſolute poſſibile eſſe aliquid, & viciſſim omne aliquid eſſe abſolute poſſibile.*

§. 139.

Hypothetice impoſſibile eſt abſ. poſſibile.

Quicquid eſt hypothetice impoſſibile, intrinſece ſeu abſolute eſt poſſibile. Quod enim hypothetice eſt impoſſibile contradictionem quidem involvit quoad determinationes ideæ ejus ſuperaccedentes, nullam tamen in idea ſua infert repugnantiam (§. 128.); ſed quod in idea rei nihil habet contradictorii, intrinſece eſt poſſibile (§. 135.). Quodcunque ergo hypothetice eſt impoſſibile, intrinſece eſt poſſibile.

Sic ſub hypotheſi finalis incredulitatis & malitiæ impoſſibile eſt ut Judas ſalvetur; in ſe vero id impoſſibile non eſt. Eodem hactenus modo ſub hypotheſi legis Hydroſtaticæ impoſſibile eſt, ut ferrum natet in aqua, abſolute vero impoſſibilis non eſt hic caſus.

§. 140.

Conditionata repugnantia ad ex-

Cui itaque nonniſi ſub certa conditione vel hypotheſi exiſtentia repugnat, intrinſece eſt poſſibile. Quicquid enim non niſi ſub certa

iſtendum conſiſtit cum intrinſeca poſſibilitate. conditione exiſtere nequit, in ſe & ſua natura, h. e. abſolute nullam habet ad exiſtendum repugnantiam, ideoque non eſt abſolute impoſſibile (§. 128.), & per conſequens non poteſt non eſſe intrinſece poſſibile (§. 137.).

Sic navigio *Franciſci Lanæ* (conf. §. 136.) nonniſi quoad præſentes naturæ vires repugnat exiſtentia; eſt ergo & manet intrinſece poſſibile.

§. 141.

Abſolute poſſibile includit exiſtendi poſſibilitatem. *Abſolute poſſibili exiſtentia non repugnat, & cui exiſtentia non repugnat, abſolute eſt poſſibile.* Si abſolute poſſibili repugnaret exiſtentia, eſſet abſolute impoſſibile (§. 134.), eoque ſenſu ſibi mutuo non contradicerent (§. 43.), quod tamen abſurdum eſſe modo demonſtravimus (§. 137.). Recte ergo affirmamus abſolute poſſibili exiſtentiam non repugnare. Quod erat unum.

Si id, cui exiſtentia non repugnat, non eſſet abſolute poſſibile, eſſet ergo abſolute impoſſibile (§. 137.). Huic autem exiſtentia repugnat (§. 134.), ergo id, cui exiſtentia non repugnat, ſimul repugnaret. Quod quum fieri nequeat (§. 53.), patet omne, cui exiſtentia non repugnat, eſſe abſolute poſſibile.

Non

Digitized by Google

Non negamus abſolute poſſibili ſub certa hypotheſi repugnare exiſtentiam, ſic, ut ferrum in aqua natet, in ſe quidem eſt poſſibile, reſpectu tamen virium naturalium effici nequit; ſed eo in caſu ſalva manet ejus abſoluta, ſeu intrinſeca poſſibilitas (§. 139.). Aſt ſi abſolute poſſibili, quà tali, i. e. ſine ulla relatione ad conditionem quamvis externam, exiſtentia repugnaret, abiret abſolute poſſibile in abſolute impoſſibile, atque hoc ſenſu dicimus abſolute poſſibili repugnare exiſtentiam.

§. 142.

Modus inquirendi in poſſibilitatem vel impoſſibilitatem aſſumti.

Habemus hinc modum dijudicandi, an aſſumtum aliquod abſolute ſit poſſibile vel impoſſibile: *Ubi enim demonſtrari poteſt modus, quo aſſumtum illud fieri, ſeu exiſtere poteſt, abſolute eſt poſſibile.* Nam ſi quod ſumitur, fieri vel exiſtere poſſe demonſtrari, h. e. ex immotis principiis legitime deduci poteſt (§. 15.), quia omnis demonſtratio certitudinem generat, ut in logicis oſtenditur, certi reddimur idem aſſumtum eſſe abſolute poſſibile (§. 141.).

Ubi *vero, per omnes poſſibiles modos legitime percurrendo, nullus demonſtrari poteſt, quo aſſumtum fieri vel exiſtere poteſt, abſolute eſt impoſſibile.* Hac enim ratione aſſumto exiſtentia abſolute repugnabit, & per conſequens abſolute impoſſibile erit (§. 134.).

Vi regulæ prioris triangulum v. gr. æquilaterum, poſtquam definitione nominali ab aliis figuris fuit diſcretum, vi conſtructionis, propoſ. 1. L. 1. apud *Euclidem* traditæ, abſolute poſſibile agnoſcitur.

Vi regulæ poſterioris, poſtquam evicit *Euclides* Prop. VII. El. 1, fieri non poſſe, quod ex iisdem extremis lineæ rectæ ad easdem ejus partes ductæ lineæ ad alium punctum, quam ad quod ex iisdem extremis ducuntur aliæ, ſint æquales, utraque utrique, neque ſi punctum illud cadit extra, nec ſi intra lineas, nec ſi in alterutra linearum, & plures caſus non eſſe poſſibiles per ſe liquet, univerſaliter concludit, aſſumtum eſſe abſolute impoſſibile.

Præcipitant vero judicium, qui, nondum examinatis vel cognitis omnibus modis, quibus aliquid fieri poteſt, abſolute illud pronunciant impoſſibile. Non valet argumentatio, qua, vi noſtræ regulæ, ad aſſumti impoſſibilitatem colligere volumus, niſi oſtendatur alium exiſtendi modum præter allegatos non dari, nullumque horum fieri poſſe.

§. 143.

Quicquid exiſtit abſolute eſt poſſibile.

Quicquid exiſtit abſolute eſt poſſibile. Si non, eſſet igitur abſolute impoſſibile (§. 137), & per conſequens, quia exiſtere ponitur (per hypoth.), abſolute impoſſibili exiſtentia non repugnaret; repugnat tamen (§. 134.). Eidem ergo ſimul repugnaret & ſimul non, quod

quod abſurdum (§. 53.). Quicquid itaque exiſtit, abſolute eſt poſſibile.

Veteribus placet Philoſophis hanc eandem regulam ita enunciare: *Ab exiſtentia ad poſſibilitatem*, ſeu, *ab eſſe ad poſſe valet argumentatio.* Sic recte infero: homo ſaltat, ergo poteſt ſaltare. Vapores in vacuo adſcendunt, ergo poſſunt in vacuo adſcendere.

§. 145.

Alius modus dijudicandi poſſibilitatem.

Per immediatam hinc deducimus conſequentiam, *poſita rei exiſtentia poni ejus abſolutam poſſibilitatem.* Quo ipſo ſimul patet modus à poſteriori cognoſcendæ poſſibilitatis rei: quando enim obſervavimus aliquam rem exiſtere, nullum amplius erit dubium de interna ejus poſſibilitate.

Obſervarunt Phyſici exiſtere grandines, incluſum habentes nucleum nivalem, quales in halonibus explicandis ſuppoſuit *Hevelius*; nullum ergo eſt dubium de poſſibilitate ejusmodi grandinum.

§. 146.

Poſſibile non ſtatim exiſtit.

Non omne, quod abſolute eſt poſſibile, ideo ſtatim exiſtit. Id abſolute poſſibile aſſeruimus, quod in idea ſua nullam involvit contradictionem (§. 135.), adeoque quod eſt conceptibile

ptibile (§. 73.). Si ergo omne abſolute poſſibile exiſteret, nihil eſſet conceptibile, niſi quod actualitatem ſtatim poſſideret. Ens itaque intelligens nullam ideam animo formare poſſet, niſi ei reſpondens objectum actu ſtatim daretur. Cujus abſurditatem etſi nullus non per ſe intelligat, ne tamen adeſſe videatur defectus, illam inſtantia ſat evidenti ante oculos ponam. Scientiæ Mechanicæ peritus, machinæ ad determinatum effectum producendum aptæ, excogitat ideam, principiis mechanicis non repugnantem, agnoſcit itaque ejusmodi machinam eſſe abſolute poſſibilem (§. 135.). Quis vero niſi inſaniens, cum quo non eſt diſputandum, ideo exiſtere hanc machinam dicet? Nunquam certe exſtitura niſi artifex ideæ conformiter operam ſuam ejus productioni actu ipſo applicuerit. Pertinet huc navigium, cujus inventor eſt FRANCISCUS LANA, & cujus intrinſecam poſſibilitatem agnovimus (§. 136.), licet nunquam in rerum natura exiſtat. Docent Obſervationes Aſtronomorum ſedecim corpora opaca, quæ planetæ vocantur, circa ſphæram ſolarem, in centro fere noſtri ſyſtematis quieſcentem, certa magnitudine, certaque diſtantia in orbitis diverſimode inter ſe inclinatis ferri: Notum vero ex Geometria eſt, non hanc definitam dictorum corporum magnitudinem & mutuam diſtantiam unice

Digitized by Google

ce poſſibiles eſſe, ſed alias immenſo numero æque dabiles; nihilque abſolute loquendo impedit, quominus obſervata licet diſtantiarum magnitudine & proportione eadem, eſſe potuiſſent hæc corpora in eodem plano. Ob vim centrifugam, vi centripetæ adverſam, motumque planetarum vertiginis, quo dierum noctiumque efficiuntur viciſſitudines, colligimus figuras planetarum & ipſius ſolis eſſe ſphæroideas, quod de Jove ex accuratiſſimis CASSINI & DELAHIRII obſervationibus eſt evidens; de terra autem idem conſtat ex immotis illuſtris NEWTONI argumentis, obſervationibusque Gallorum recentioribus ad utrumque polum factis. Variam autem connexionem Syſtematis planetarii in ſe poſſibilem eſſe agnoſcunt Aſtronomi, unde Syſtema Ptolomaicum, Thyconicum, Semi-Thyconicum, Copernicum, &c. in ſe æque ſunt poſſibililia, etiamſi non exiſtant omnia & ſingula. Viciſſitudines itaque diei & noctis tempeſtatumque anni, vario modo oriri potuerunt, vel ex motu telluris annuo & vertiginis, vel ex motu ſolis annuo & diurno circa tellurem, vel ex hujus motu vertiginis & illius annuo, &c. Sublato igitur motu vertiginis, telluris figura eſſet ſphærica, non ſphæroidea. Sed præter has figuras aliæ innumeræ, ut Geometria docet, ſunt poſſibiles, quæ tamen ideo non exiſtunt. Ponamus

namus dari has ſedecim tantum partes mundi totales, quibus conſtat noſtrum ſyſtema Planetarium, illæ inter ſe transponi poſſent, mutata ſemper ſerie, vicibus 1494486992000, ut ex arte combinatoria colligitur. Sed ex his ſeriebus poſſibilibus non niſi una exiſtit. Præter ſedecim partes mundi totales, aliæ adhuc dantur numero indefinito. Nudis oculis cernuntur bis mille ſtellæ fixæ, teleſcopiis innumeræ, quæ certum inter ſe obſervant ordinem, infinities, ut ex eadem arte combinatoria liquet, mutabilem. Taceo infinitum numerum partialium partium, quum ſatis conſtet præter hunc mundum exiſtentem alios innumeros eſſe poſſibiles non exiſtentes, & proinde non omne poſſibile ſtatim exiſtere.

Profligatur hinc peſſimus *Spinozæ* error, quo poſſibile metitur ex defectu noſtræ cognitionis; quatenus ignoramus cauſſam, quæ determinet exiſtentiam: *Sat*, inquit in Cogitat. Metaph. P. 1. Cap. 3. *ſi nobis concedet hæc duo, nempe poſſibile & contingens, non niſi defectus noſtræ perceptionis, nec aliquid reale eſſe.* Atque ideo in Eth. P. IV. Def. 4. definit poſſibilia *per res ſingulares, quatenus dum ad cauſſas, ex quibus produci debent, attendimus, neſcimus, an ipſæ determinatæ ſint ad eandem producendum.* Dici vix poteſt quam abſurda ſit hæc ſententia, infinitarum abſurditatum & impietatum in ſyſtemate ſpinoziſtico,

co, h. e. atheiſtico cauſſa. Tollere hinc conatur contingentiam mundi, unoque ictu ſubvertere argumenta omnia, quibus exiſtentiam Dei ex contemplatione hujus univerſi, rerumque creatarum contingentia recte inferunt ſana præditi mente. Attendat vero atheus nos præſenti poſitione poſſibilitatem rerum non exiſtentium haud metiri ex defectu noſtræ cognitionis, ſed ex non-contradictione notionum partialium, inconcuſſis ſuperſtructa fundamentis, quorum ultimum & firmiſſimum eſt, ut ex evolutione allatæ demonſtrationis liquet, ipſiſſimum, ut ſic loquar, contradictionis principium, ſine omni exceptione verum.

Abelardus, *Wiclefus* & alii Scholaſticorum, non eodem quidem cum Spinoza inſtituto, affirmarunt tamen cum poſſibilibus actualia eſſe coëxtenſa. Recte obſervat *Bülfingerus* tum in Dilucidat. Phil. §. 37. tum in Tractat. de Orig. & P. Mali §. 145. 146. exinde ortum eſſe hunc Abelardi & ſociorum errorem, quod reſpectu Dei voluntatem miſcuerint potentiæ ejus, rati quicquid voluntati incongruum, vel inconveniens eſt, id eſſe quoad potentiam Deo impoſſibile. Contra eosdem, poſſibile definientes ex relatione ad voluntatem Dei, diſputat quoque, etſi obſcurius, *Rodericus de Arriaga* Diſp. II. Metaph. Sect. 1. Subſ. 3. tota, celebratiſſimus inter Scholaſticos Philoſophus.

Parum ab his deflectit *Canzius* eximius noſtræ ætatis Philoſophus, putans in Ontol. Polem. p. 352. omnem poſſibilem exiſtere ſubſtantiam, nec ullam amplius dari in ſtatu meræ poſſibili-

poſſibilitatis. Herculeum ejus argumentum eſt: *Non repugnat ut omnes ſubſtantiæ creentur, nam una ſubſtantia alteri non contrariatur. Quicquid autem fieri non repugnat, id, ut fiat actu, Majeſtas Dei, ejusque manifeſtatio depoſcit. Ergo omnes ſubſtantiæ ſunt creatæ, ergo omnitudo perfectionum in genere entis, ut ſic, in eas ſparſim collocata eſt. Mundus igitur infinitum molis, in quo plura, ſed omnia ſunt, quæcunque exiſtere poſſunt.* Eodem modo ex illimitata Dei potentia & bonitate mundi infinitatem inferre conatur *Carteſius* Part. III. Princip. Falſam vero eſſe hanc argumentationem facile perſpiciunt, intelligentes ad quamlibet ſubſtantiam finitam mere poſſibilem actu producendam, infinitam requiri potentiam, nec majorem poſtulari ad plura, quam pauciora actuanda. Ceterum nemo facile dixerit ad Majeſtatem Dei ejusque manifeſtat ionem pertinere, quod initio rerum tot productæ ſint ſubſtantiæ, quot creabiles, ita ut nulla amplius ſit creabilis, & ita ut nullas alias ſubſtantias in locum earum, quæ exiſtunt, Deus creare amplius poſſit. Nihil certe minus quam hoc infinitam Dei manifeſtat Majeſtatem, quum Deo peſſime eripiat libertatem quicquam amplius creandi. Facile hinc ſubvertimus ejusdem *Canzii* c. l. p. 354. ſententiam, qua putat *pluralitatem poſſibilium mundorum non metiendam eſſe majori ſubſtantiarum numero, ſed varia earum combinatione.* Fateor ex combinatione varia eorum, quæ in mundo exiſtunt, nos colligere poſſe ad pluralitatem mundo-

rum

rum poſſibilium, quem ad modum actu ipſo collegimus præſenti paragrapho; inde tamen non ſequitur alias ſabſtantias, præter exiſtentes, non eſſe poſſibiles, niſi incongrue ſtatuere velis, aliam exiſtentem compoſitionem non eſſe aliam ſubſtantiam, cujus tamen veritatem in ſequentibus evicturi ſumus, niſi etiam ſimul Deo eripere velis (re ipſa non eripere vales) omnem libertatem creandi alias ſubſtantias. Et quid quæſo contradictionis eſt ſtatuere præter animam humanam & angelos exiſtere poſſe alia entia ſimplicia intermedia, quæ majorem diſtinctionis gradum in totali ſua cognitione poſſideant, quam anima humana, minorem vero, quam angeli? Eſtne major & minor gradus diſtinctionis & claritatis in cognitione poſſibilis? Docet hoc analyſis notionum, à Logicis recte defenſa; Ejusmodi tamen intermediam ſubſtantiam non exiſtere novimus. Vides ergo præter creatas ſubſtantias dari alias poſſibiles. Plura in re manifeſta addere non vacat, redimus itaque in viam.

§. 147.

Prohibetur modus argumentandi à poſſe ad eſſe.

Perſpicue hinc colligimus *immenſum eſſe poſſibilium numerum*, & longe plura dari abſolute poſſibilia quam exiſtentia, atque adeo ab *abſoluta poſſibilitate ad exiſtentiam non valere concluſionem*, niſi de Ente Infinito ſit ſermo, cujus abſoluta poſſibilitas

ſibilitas includit exiſtentiam, prout in Theologia Naturali demonſtratur.

Cum his conſentit pervulgata Philoſophorum regula, cuivis etiam ex plebe notiſſima: *A poſſe ad eſſe non valet conſequentia.* Multarum quippe rerum intrinſecam perſpicimus poſſibilitatem, quæ aut defectu virium, aut defectu applicationis illarum non exiſtunt. Obſervat *Keſlerus* in Log. Photinianæ examine pag. m. 6. & 7. Photinianos, ſenſum Scripturæ ſacræ detorquentes, multoties ita argumentari: *Poteſt hic locus ita accipi, poteſt hæc vox aliter intelligi, ergo.* Quo ipſo indicant ſe impingere in planiſſimum rectæ rationis præceptum, præſenti expoſitum §.pho, & ab omnibus, quibus ſanum eſt ſinciput, approbatum; innuunt proinde ſe contra propria peccare dogmata, quibus rationem Theologiæ principium conſtituere, & Scripturæ ſacræ præponere non erubeſcunt, multiplici ergo nomine errant & hallucinantur.

§. 148.

Poſſibile merum, & non-merum. Exhibent mox evicta (§. 147.) fundamentum diſtinguendi inter *Poſſibile merum* & *non-merum: illud* eſt, quod poſſibilitatem abſolutam ſine exiſtentia habet; *hoc* eſt, quod poſſibilitatem abſolutam cum exiſtentia conjunctam habet. Quoniam enim omne exiſtens eſt ſimul poſſibile (§. 143.), ſed non omne poſſibile

Digitized by Google

le eſt exiſtens (§. 146.), ſat firmo nititur præſens diſtinctio fundamento.

Antequam mündus à Deo producebatur, erat poſſibile merum, quod exiſtenti opponitur; poſtquam vero productus eſt, exſpirat mera illa poſſibilitas, ſuccedente poſſibilitate non-mera, quæ non-exiſtenti opponitur. Scilicet quum mundus hic exiſtens non involvat contradictionem, & dum exiſtit, poſſit etiam exiſtere (§. 143.), verum eſt, mundum exiſtentem eſſe poſſibilem. Nam alias impoſſibilis foret, quod omnino implicat (§. 134.).

§. 149.

Excludit medium. Quia exiſtere & non-exiſtere de eodem contradictoria ſunt (§. 43.), quia etiam merum poſſibile eſt abſolute poſſibile non-exiſtens, poſſibile autem non-merum eſt abſolute poſſibile exiſtens (§. 148), inter poſſibile merum & non-merum non datur medium (§. 64.).

§. 150.

Aliquid ejusdem eſt diſtinctionis. Per immediatam hinc deducimus conſequentiam, quicquid eſt aliquid eſſe vel poſſibile merum vel non-merum (§. 138.).

§. 151.

Mera poſ- Datur merum poſſibile, cum quo

ſibilitas non eſt ratio ſufficiens exiſtentiæ. exiſtentia non connectitur (§. 148), ſeu, de quo non ideo affirmatur exiſtentia, quia poſſibile eſt; ex mera itaque rei poſſibilitate nondum intelligere licet cur exiſtat. Eſt ergo in mera poſſibilitate nonniſi inſufficiens ratio exiſtentiæ (§. 83.).

Obvia ubivis experientia veritatem hujus aſſerti illuſtrat. Nam etſi optime ſciamus machinam v. gr. eſſe poſſibilem, principiisque Mechanico-Phyſicis conformem; inde nondum intelligimus, cur Machina exiſtat. Adeſt quidem in poſſibilitate ratio remota, cur Machina exiſtere poſſit, quatenus nihil exiſtere poteſt, niſi quod ſit poſſibile (§. 143.); non tamen ſufficit interna poſſibilitas ad proximam rationem poſſibilis exiſtentiæ exhibendam, multo minus ad exiſtentiam machinæ determinandam. Idem locum habet in alio quovis caſu.

§. 152.

Ratio ſufficiens meri poſſibilis eſt in poſſibili non-mero. *Si merum poſſibile exiſtit, vel, ſi placet, fit exiſtens, datur in poſſibili non-mero, ſeu in aliquo exiſtente, ratio ſufficiens cur exiſtat.* Merum poſſibile eſt abſolute poſſibile non-exiſtens (§. 148.), exiſtere tamen poteſt (§. 141.), poteſt itaque exiſtere & non exiſtere, ideoque, dum exiſtit, habebit rationem ſufficientem cur

cur potius exiſtat, quam non exiſtat (§. 95.), quæ ratio non in nihilo (§. 87.), ſed in aliquo ſita erit (§. 86.), & per conſequens aut in poſſibili mero aut in non-mero (§. 150.). Si in poſſibili mero ratio iſta deprehenderetur, aut in eodem poſſibili mero, quod exiſtere ponitur, aut non in eodem, ſed in alio eſſet ſita (§. 64.). Verum in eodem poſſibili mero ratio ſufficiens exiſtentiæ ejus contineri nequit (§. 151.), neque in alio poſſibili mero, nam de illo eadem recurrit conſideratio (§. cit.), idque ſine fine, quamdiu ad aliud & aliud merum poſſibile provocatur. Quam ob rem aut dabitur progreſſus rationum in infinitum, aut ſubſiſtendum eſt in aliquo poſſibili non-mero (§. 64.). *Sed* non datur progreſſus rationum in infinitum (§. 105.); ergo ſubſiſtendum eſt in aliquo poſſibili non-mero, h. e. ſi merum poſſibile exiſtit, dabitur ejus exiſtentiæ ratio in aliquo poſſibili non-mero ſeu exiſtente.

Quamquam ex iis, quæ in præſenti adducta ſunt demonſtratione, manifeſto patet merum poſſibile non poſſe eſſe rationem ſufficientem exiſtentiæ alterius; quinto tamen capite, ubi evicimus merum poſſibile ineptum eſſe ad agendum & per conſequens ad producendum aliud, idem adhuc clarius patebit. Eſt de cetero præſens propoſitio inter notiones communes referenda, quam omnes ſecum habitantes non poſſunt non ultro largiri.

 Quis

Quis enim unquam dixerit poſſibilitatem unius ædificii v. gr. eſſe rationem ſufficientem exiſtentiæ alterius? ideam unius machinæ, principiis mechanices conformem, & tantum in intellectu artificis ſubſiſtentem, eſſe rationem ſufficientem vel exiſtentiæ ſuæ ipſius, vel alterius machinæ? Ultro potius fatebuntur omnes nonniſi exiſtens eſſe, quod producat aliud exiſtens.

§. 153.

Merum poſſibile exiſtere nequit niſi exiſtant vires ei producendo pares.

Sequitur hinc, *merum poſſibile exiſtere non poſſe, niſi exiſtant vires, exiſtentiæ ejus producendæ pares.* Ponamus enim merum poſſibile exiſtere poſſe, etiamſi non dentur vires, exiſtentiæ ejus producendæ ſufficientes; tunc, quia hæ vires applicatæ exhibent rationem ſufficientem exiſtentiæ (§. 83.), exiſtere poſſet merum poſſibile, licet vel maxime non daretur exiſtens, in quo exiſtentiæ ejus continetur ratio, quod tamen abſurdum eſſe modo evicimus (§. 152.).

Si artifex deſtituitur viribus producendi hanc vel illam Machinam, neque illa ab eo artifice exiſtere poteſt; quare ſi nullum daretur ens, viribus inſtructum ſufficientibus, neque ullo modo exiſtere poſſet ulla machina. Quare ſi ponimus machinam exiſtere poſſe, ponamus ſimul neceſſe eſt exiſtere vires, ei pro-

producendæ pares. Certum quidem eſt ad poſſibilem exiſtentiam requiri internam rei poſſibilitatem (§. 143), hæc tamen exhibet illius nonniſi rationem remotam, minime vero proximam, quam in virium alicujus exiſtentis ſufficientia recte collocamus, præſenti & proxime præcedenti poſitione convicti.

§. 154.

Duplex poſſibilis non-meri conſideratio.

Quod poſſibile non-merum vocavimus & quod cum abſoluta poſſibilitate exiſtentiam habet conjunctam (§. 148.); aut tale eſt, ut poſſit etiam non exiſtere, ſeu abire in poſſibile merum, aut id non poteſt (§. 64.). Si prius, exiſtentia non intelligitur ex ejus abſoluta poſſibilitate, adeoque abſoluta poſſibilitas non eſt ratio ſufficiens exiſtentiæ ejus (§. 83.); Si poſterius, poſita rei abſoluta poſſibilitate ponitur exiſtentia, illa ergo continet rationem ſufficientem hujus (§. 83.).

Ad priorem claſſem referuntur omnia contingenter exiſtentia, quorum omnium & ſingulorum eam eſſe indolem, ut, dum exiſtunt, poſſint non exiſtere, ſuo demonſtrabitur loco. Quod vero ita exiſtit, ut ejus exiſtentiæ ratio ſufficiens contineatur in ejusdem abſoluta poſſibilitate, non eſt niſi unicum ens, quod Neceſſarium dicitur, & Dei nomine veneramur.

Digitized by Google

§. 155.

Poſſibile non-merum prioris claſſis exiſtere nequit, niſi exiſtant vires alicujus exiſtentis.

De poſſibili ergo non mero, cujus exiſtentiæ ratio non continetur in ejus abſoluta poſſibilitate, idem omnino valet, quod mox de mero poſſibili evicimus (§. 153.), *illud ſcilicet non exiſtere poſſe, niſi dentur vires, exiſtentiæ ejus producendæ pares.* Si enim nihilominus exiſtere poſſit, propria id exiſteret virtute, adeoque ejus exiſtentiæ ratio ipſi eſſet interna, h. e. ſita in ejus abſoluta poſſibilitate. Sed (per hypoth.) in hac non continetur exiſtentiæ ratio, & nequit eandem continere & ſimul non (§. 53.); recte ergo affirmamus exiſtere non poſſe ejusmodi poſſibile non-merum, niſi exiſtant vires, exiſtentiæ ejus producendæ pares.

§. 156.

Exiſtibilis definitio.

His inducti principiis definimus *Exiſtibile* per id, ad cujus exiſtentiam præſtandam vel producendam ſufficientes adſunt vires, ſeu, eſt id, quod per vires exiſtentes exiſtere poteſt.

Addit notio exiſtibilis notioni abſolute poſſibilis reſpectum ad ſufficientiam virium, quibus poſitis intelligimus, cur actualitatem conſequi

qui poſſit abſolute poſſibile, ex interna rei poſſibilitate plene id non intellecturi (§. 151.).

§. 157.

Quæ ſub exiſtibili comprehendantur.

Exiſtibilium ergo claſſi non accenſentur niſi mere poſſibilia (§. 153.), illaque poſſibilia non-mera, quorum exiſtentiæ ratio non continetur in eorum abſoluta poſſibilitate (§. 155.). Poſſibile autem non-merum, cujus exiſtentiæ ratio eſt in ejus abſoluta poſſibilitate, & ideo propria exiſtit virtute, nullis indiget viribus, nec ullas admittere poteſt, producendi ſui exiſtentiam, & per conſequens exiſtibile aliquod eſſe nequit (§. 156.).

Quivis itaque ſua, ut dicitur, ſponte percipit, cur non vocemus Deum Ens exiſtibile, retenta hac, quam dedimus, exiſtibilis notione: Nam quum exiſtentia Ejus abſoluta Ejusdem includatur poſſibilitate, reſpuit omnem à quibuscunque viribus externis dependentiam, neque dicere licet Deum viribus ſuis internis, h. e. poſſibilitati ſuæ incluſis Se Ipſum produxiſſe; quum inde ſequeretur, Deum eſſe cauſſam Sui Ipſius, quod tamen implicare omnes ultro concedunt & nos ſuo loco demonſtrabimus.

§. 158.

Ab exi-

Non omne exiſtibile exiſtit. In-

 nume-

ſtibilitate ad exiſtentiam non valet concluſio. numera enim dantur abſolute poſſibilia, quæ tamen non exiſtunt (§. 147.); ſunt autem hæc poſſibilia mera (§. 148.), quorum quodlibet eſt exiſtibile (§. 157.), innumera ergo dantur exiſtibilia, quæ non exiſtunt.

Poſita ſcilicet virium ſufficientia, quæ ad exiſtibile requiritur, nondum ponitur earum applicatio ad effectum præſtandum, ſine qua exiſtibile erit exſtiturum. Ex ſola igitur exiſtibilitate nondum intelligitur, an quid actu ipſo detur.

§. 159.

Exiſtibile eſt Poſſibile externum. *Omne exiſtibile eſt poſſibile externum.* Quoniam enim omne exiſtibile exiſtere poteſt (§. 156.), abſolute eſt poſſibile (§. 141.), & per conſequens in idea ſua nullam involvit contradictionem (§. 135.); ſed præter hanc nonrepugnantiam etiam in exiſtibili adeſt noncontradictio quoad vires, quæ ejus exiſtentiæ præſtandæ ſufficiant (§. 156.). Conſtat præterea ad exiſtibilia non referri niſi mere poſſibilia, illaque poſſibilia non-mera, quorum exiſtentiæ ratio non continetur in eorum abſoluta poſſibilitate, minime autem poſſibile non-merum, cujus exiſtentiæ ratio eſt abſolutæ ejus poſſibilitati interna (§. 157.). Vires igitur, quæ ſufficiant exiſtibilis exiſtentiæ pro ducen-

ducendæ, ſunt ejus abſolutæ poſſibilitati externæ. Quam ob cauſſam, quum poſſibile externum ſit, quod præter non-repugnantiam in idea ſua, h. e. præter abſolutam poſſibilitatem, ſimul non-repugnantiam habet quoad res externas, quæ illi, quo minus exiſtere poſſit, non obſtant (§. 135.), perſpicuum evadit omne exiſtibile eſſe poſſibile externum.

Hinc quidam, poſſibile externum definituri, dicunt eſſe id, quod non modo in intrinſeca ſua natura nullam involvit contradictionem, ſed rebus quoque externis, cauſſæ ſcilicet efficientis viribus externis, tempori, loco non repugnet. Sed eſt hæc poſſibilis externi notio juſto anguſtior; mox enim patebit conditiones externas, quibus extrinſecum conſtituitur poſſibile, non unice deſumendas eſſe ex ſufficientia virium, ſed ſimul ex aliis conſiderationibus. *Canzio* in Ontol. polem. § 9. p. 8. poſſibile externum, ad quod præſtandum ſufficientes adſunt vires, dicitur *Poſſibile externum Metaphyſicum*, ſine dubio quia ejus conſideratio Metaphyſices eſt inſtituti. Nobis vero commodior videtur appellatio exiſtibilis, uſuque magis recepta.

§. 160.

Exiſtibile eſt abſ. poſſibile.

Omne exiſtibile eſt poſſibile externum (§. 159.), ſed omne poſſibile externum eſt abſolute poſſibile (§. 136.). *Ergo omne exiſtibile eſt abſolute*

lute poſſibile. Idem exinde perſpicitur, quod omne exiſtibile exiſtere poſſit (§. 156.), & proinde non poſſit non eſſe abſolute poſſibile (§. 141.).

§. 161.

Abſolute impoſſibile non eſt exiſtibile. Quicquid itaque abſolute eſt impoſſibile, nequit eſſe exiſtibile (§. 137.), & per conſequens, quia quod in ſe & ſua natura repugnantiam involvit, abſolute eſt impoſſibile (§. 135.), quod in ſe contradictorium eſt, ejus exiſtentiæ præſtandæ, vel producendæ non ſufficiunt ullæ vires (§. 156.).

Ullas vires, verbis utor Inſignis *Bülfingeri* in Tr. de O. & P. M. §. 133. pares eſſe iis quoque præſtandis, quæ contradictionem in ſeſe continent, repugnat ideis omnibus; namque infert vires illas, etiamſi contra ſeſe invicem applicatas, & reſiſtentes mutuo, producere effectus tamen, atque idem aliquid in effectu ſimul exiſtere & non exiſtere, viresque in cauſſa dari contradictorias. Foret hæc generalis ſpongia, qua cognitionem humanam omnem & ſcientias uno ductu abſtergere animis univerſas liceret. Eliminanda igitur hæc eſt e circo ratiocinationum omnium.

§. 162.

Poſſibile & exiſti- *Non omne abſolute poſſibile eſt exiſtibile.* Ad abſolute poſſibilia refe-

referuntur poſſibile merum & non-merum (§. 148.), quod ſub ſe comprehendit & illud, cujus exiſtentiæ ratio non continetur in abſoluta poſſibilitate, & illud, cujus abſoluta poſſibilitas rationem exiſtentiæ includit (§. 154), quorum hoc ſub exiſtibili non comprehenditur (§. 157.). Non omne ergo abſolute poſſibile eſt exiſtibile. *bile non ſunt coextenſa.*

Latius itaque patet abſoluta poſſibilitas quam exiſtibilitas, & quid miri? ipſæ earum notiones diſcrimen evincunt: abſoluta enim poſſibilitas præter non-repugnantiam in idea ſua aliud præterea involvit nihil (§. 135.); ſed exiſtibilitas præter hanc non-repugnantiam in idea, quam mox de exiſtibili demonſtravi (§. 160.), ſimul reſpectum habet ad ſufficientiam virium (§. 156.). Fieri ergo nequit, ut æque extenſa ſint abſolute poſſibilia & exiſtibilia.

§. 163.

Poſſibile in genere non definiendum eſt per id, cui producendo ſuppetit aliqua cauſſa, vel quod per potentiam finitam ſive infinitam eſt producibile, vel cujus exiſtentiæ præſtandæ ſufficiunt vires alicujus rei exiſtentis. Omnes enim hæ definitiones, quæ inter ſe conſentiunt, non exponunt quid poſſibile in ſe & ſua natura ſit, ſed quid in relatio- *Vitioſæ poſſibilis definitiones deteguntur.*

relatione ad cauſſam vel vires involvat; non ergo niſi poſſibile externum (§. 135.), & ſpeciatim exiſtibile (§. 156.) exponunt, cum quo non coëxtenſa eſt notio abſolute poſſibilis (§. 162.), neque ergo notio poſſibilis in genere, ſub quo comprehenditur abſolute poſſibile (§. 135.). Sunt itaque allatæ definitiones ſuo definito anguſtiores, & ideo, ut Logica docet, vitioſæ.

Contra quosdam Scholaſticorum, poſſibile definientes ex denominatione extrinſeca ad cauſſam, vel potentiam Dei, aut creaturarum, diſputant *Thomas* Part. 1. Qu. 25. art. 3. *Rodericus de Arriaga* Diſp. Metaph. 2. Sect. 1. ſubſ. 1. *Svarezius* Diſp. Metaph. 30. Sect. 17. n. 10. *Scheiblerus* L. 11. Metaph. Cap 3. n. 571. *Hebenſtreitius* in Philoſ. Prima. p. m. 561. pluresque alii, rectiſſime contendentes in demonſtranda omnipotentia Dei ex his poſſibilis notionibus circulum committi manifeſtum, quum juxta eas dicendum ſit, *Deum ea poſſe producere, quia iis producendis ſufficit, h. e. quia ea producere poteſt.* Deum ſcilicet eſſe omnipotentem, quia poſſibilia facere poteſt, & iterum aliquid eſſe poſſibile, quia Deus id facere poteſt. Quam ab rem vere noſtræque aſſertioni conformiter ſtatuunt iidem poſſibilis indolem poſitam eſſe in non-contradictione terminorum, ſeu prædicatorum. Vocat hanc poſſibilitatem *Arriaga* c. l. *Remotam*, quam intrinſecam ipſis rebus & fundamentum eſſe ſtatuit, ut poſſit ſupra

Digitized by Google

ſupra illam cadere denominatio ab omnipotentia Dei: Ab hac remota poſſibilitate ſecundam, ſeu *proximam*, judicat eſſe diſcretam, quam in eo conſiſtere cenſet, quod res, in ſuo conceptu non includens contradictionem, poſſit abſolute poni extra cauſſas. Quo ipſo intelligimus poſſibile remotum *Arriagæ* coincidere cum abſolute poſſibili, quod nos explicuimus (§. 135.): Poſſibile autem proximum idem eſt cum exiſtibili (§. 156.).

Bülfingerus tum in Dilucid. Phil. §. 8. tum in Tract. de O. & P. Mali §. 127. approbat quidem receptam poſſibilis definitionem, *qua id dicitur, quod nullam involvit repugnantiam*, quoad originem tamen poſſibilium determinandam, ſibi magis placere dicit, ſi definiatur *poſſibile per id, cujus exiſtentiæ præſtandæ vel producendæ ſufficiunt vires alicujus rei exiſtentis*. Priorem definitionem vocat Bülfingerus nominalem, poſteriorem ſtatuit realem; illam huic tanquam præliminari ſuo fundamento innixam vult. Lubentiſſimus fateor cum Illuſtri *Leibnitio*, cujus verba citat *Bulfingerus*, *omnem realitatem debere fundari in aliquo exiſtente, & ſine Deo non ſolum exiſtens nihil eſſe, ſed neque poſſibile*; Affirmare tamen nequeo, ob rationes modo allegatas, poſſibile in genere definiendum eſſe per relationem ad potentiam divinam, ſeu vires divinas. Neque unquam concipere licet, ut mox dictum (§. 161.) & ipſe Bulfingerus concedit, aliquid habere relationem ad potentiam vel vires alicujus exiſtentis, niſi quod in ſe nullam involvit repugnantiam. Atque hanc

hanc ob cauſſam affirmare convenit, non-repugnantiam in idea eſſe potius præliminarem ſententiam relationis ad vires exiſtentis, quam hanc illius. Quod etiam ſuo calculo mihi omnino confirmare videtur idem Bulfingerus, dum §. 133. Tr. de O. & P. M. ex non-repugnantia concludit ad ſufficientiam virium infinitarum, illasque pares eſſe præſtandis omnibus, quæ in ſe contradictionem non involvunt, abſolute vero impoſſibilium præſtandorum vires deſiderari nullas, & in ſe eſſe contradictorias. Sin vero virium nomine indigitet Vir acutiſſimus non tam omnipotentiam Dei, quam vim Ejus intelligendi ſufficientiſſimam, ita ut poſſibile ſit, cui præſtando ſufficit intellectus Divinus, quod eum indigitare, vel minimum ſub ſua notione comprehendere docent varia, quæ citatis locis & proxime ſequentibus §§:phis occurrunt teſtimonia: ſi, inquam, hoc cogitet, ambabus largior manibus rem ita ſe habere, intellectum ſcilicet Divinum eſſe ſufficientiſſimam & ultimam ſcaturiginem omnium poſſibilium, nihilque adeo eſſe poſſibile, niſi cui præſtando ſufficiat intellectus Divinus; putaverim tamen receptam poſſibilis definitionem hac eſſe priorem, non quaſi daretur aliquod realitatis principium Deo antiquius & prius, vel ipſæ poſſibilitates ab intellectu Divino independentes eſſent; ſed quod pro noſtro concipiendi modo, in adſtruendo objecto intellectus Divini, recepta definitione, tanquam notione priori, non poſſimus non uti, novamque illam, qua dicitur

poſſibile

poſſibile eſſe, cui præſtando ſufficit intellectus Divinus, ſine circulo adhiberi non poſſe. Etenim uno ore fatemur omnes, cuncta poſſibilia eſſe objectum intellectus Divini, & ideo aliquid eſſe objectum intellectus Divini, quia eſt poſſibile. Jam vero ſi poſſibile dicatur, cui præſtando ſufficit intellectus Divinus, ſeu, quod eodem redit, quod eſt objectum intellectus Divini; Ergo ideo aliquid eſſet objectum intellectus Divini, quia eſt objectum Ejusdem intellectus. Ut itaque hunc evitemus circulum, potius receptam poſſibilis definitionem retineamus, quæ quum ponatur in non-repugnantia prædicatorum, continet in ſe rationem, quæ adeſſe debet (§. 88.), cur intellectus Divinus ideas rerum ſic potius formet quam aliter. Convenientius itaque erit, minimum pro noſtro concipiendi modo, adhibere & uſurpare receptam poſſibilis definitionem, quam hanc novam ex Bülfingero aſſumere. Neque noſtræ ſententiæ prorſus refragatur Vir Doctiſſimus, qui §. 131. Tr. de O. & P. M. judicat receptam definitionem ſuæ in illis anteferendam eſſe caſibus, cum ſermo eſt de cognoſcenda, in applicatione, rerum poſſibilitate aut impoſſibilitate. Facilius eſſe hoc criterium, ſi attendamus ideæ rei diſtinctæ & completæ, &, quantum fieri poteſt, adæquatæ: an ejus naturam aliqua ingrediantur, quæ mutuo ſeſe excludant, eoque viribus combinari nullis poſſint, quoniam ipſæ ſibi reſiſterent, atque alteræ id ex effectu delerent, quod inferrent alteræ; putat ta-

men ſuam receptæ definitioni anteponendam eſſe, dum quæſtio incidit de prima poſſibilium origine metaphyſica. Sed neque hanc ſententiam admittendam eſſe evici, niſi poſſibile dicatur, cui præſtando ſufficiunt vires intellectus Divini: Eſt enim non Dei omnipotentia, nec voluntas, ſed Ejus unice intellectus origo poſſibilium; neque tamen ex hac poſſibilium definitione, quam ingreditur conſideratio virium intellectus Divini, ſine circulo probari poteſt, eorundem poſſibilium originem ex intellectu Divino eſſe repetendam. Quin potius putaverim receptam definitionem & huic quoque præclaro inſervire ſcopo, quo, cur commendetur & retineatur, novum ei accedit robur.

§. 164.

Infinitarum virium exiſtentia.

Dantur ſeu exiſtunt infinitæ vires, omnis poſſibilis exiſtentiæ producendæ ſufficientes. Nam præter poſſibilia, quæ exiſtunt, datur immenſus numerus non-exiſtentium (§. 147.), mere talium (§. 148.), quorum quodlibet, quia abſolutam continet poſſibilitatem (§. 148.), exiſtere poteſt (§. 141.). Datur itaque immenſus mere poſſibilium numerus, quorum quodlibet exiſtere poteſt, exiſtere vero nequit, niſi exiſtant vires exiſtentiæ ejus producendæ ſufficientes (§. 153.). Datur ergo immenſus virium numerus, h. e. dantur immenſæ, ſeu infinitæ, vires, omnis meri

meri poſſibilis exiſtentiæ producendæ pares. Et quia poſſibilium non merorum, quorum exiſtentiæ ratio non continetur in eorum poſſibilitate, eadem prorſus eſt relatio ad virium ſufficientiam (§. 155.), nec præterea datur quicquam exiſtibile (§. 157.), & per conſequens abſolute poſſibile (§. 160.), quod ad vires exiſtentes eandem admittit relationem (§. 157.). Liquet ergo dari infinitas vires, omnis poſſibilis exiſtentiæ producendæ pares.

Has infinitas vires nonniſi Enti infinito competere ſuo demonſtrabitur loco, ubi notiones infiniti & finiti evolvimus. Ceterum obſerves, licet nos ex infinito poſſibilium numero ad infinitarum virium exiſtentiam collegerimus, non tamen negare, ſed potius affirmare, ad cujusvis mere poſſibilis exiſtentiam, eadem aliunde non transſumta, producendam, requiri infinitas vires: Nam quum omnium poſſibilium, quæ de ſe & in ſe exiſtentiam non habent, neque eam habere poſſunt, niſi per applicationem virium ſufficientium in cauſſa efficiente, quum, inquam, omnium poſſibilium hoc reſpectu eadem ſit conditio, quæ actio unum eorum poteſt reddere exiſtens, illa etiam & reliqua omnia; efficacia enim, quæ ſe exercet verſus unum poſſibile, eadem eſt, quæ ſe exercet verſus alterum. Productio igitur exiſtentiæ unius poſſibilis infert facultatem, quæ ſe eodem modo extendit ad infinitum poſſibilium numerum, h. e. infert facultatem infinitam.

Digitized by Google

Poſſunt quidem entia finita etiam producere aliqua, quæ eodem modo antea non extitêre, poſſunt, inquam, ſed exiſtentia aliunde transſumta, & in aliam jam mutata formam; mere autem poſſibilibus, nec ullo modo prius exiſtentibus, nec transſumta aliunde exiſtentia, exiſtentiam largiri nequeunt finitæ entium finitorum vires.

§. 165.

Poſſibilis phyſici definitio. Licet adeo finitæ vires mere poſſibile, non transſumta aliunde exiſtentia, conſtituere nequeant exiſtens; quatenus tamen ex exiſtentibus aliud, quod ſub illa forma non exiſtebat, vi ſibi conceſſa producere poſſunt exiſtens; Eatenus relatione ad ſufficientiam virium finitarum alia exſurgit exiſtibilis ſpecies, virium ſufficientiam, quam in exiſtibilis generali notione requiſivimus (§. 156.), determinans ad entia finita, quæ in mundo hoc phyſico exiſtunt. Oritur hinc *Phyſicum Poſſibile*, cujus exiſtentiæ præſtandæ ſufficiunt vires naturales, ſeu, quod reſpectu virium naturalium, vel ordinis naturæ, jam conſtitutæ, nullam infert ad exiſtendum repugnantiam. *Sufficere* vero dicuntur *vires Naturales*, quando quantitas effectus non excedit quantitatem virium in cauſſa, ſeu, ubi quantitas effectus non requirit quantitatem virium majorem, quam præſto eſt in agente.

Petrus

Petrus Muſæus in Inſtit. Metaph. Cap. VIII. p. m. 142. & quidam alii poſſibile phyſicum tam late ſumentes, ac nos exiſtibile accepimus, phyſicum poſſibile definiunt per id omne, *quod de non-eſſe ad eſſe deduci poteſt*; placuit tamen nobis, ad magis propriam Phyſices acceptionem, qua ad res finitas & naturales reſtringi ſolet, attendentibus, ab hoc latiori diſcedere ſignificatu, & in phyſica poſſibilitate dijudicanda, ſolum ad potentias & vires naturales advertere.

Abit hoc poſſibile phyſicum, pro diverſo rerum naturalium ordine, in varias claſſes. Sic aliud *Poſſibile eſt corporum*, cui producendo ſufficiunt vires corporum: ut ignem urere admotas ſtipulas: aliud *Poſſibile Spirituum* ſcilicet finitorum, cui producendo ſufficiunt vires eorundem Spirituum: Sic poſſibile eſt animæ humanæ pervenire ad notitiam exiſtentiæ divinæ. Sed de his poſſibilitatis phyſicæ ſpeciebus, ut & aliis, quæ ſub his continentur, in Metaphyſicis agendi non eſt locus, ſed vel in Phyſicis vel in Pneumatologicis.

§. 166.

Phyſicum poſſibile eſt exiſtibile, ſed non vice verſa.

Phyſicum poſſibile per vires exiſtentes in natura rerum exiſtere poteſt (§. 165.), quod autem per vires exiſtentes exiſtere poteſt, exiſtibile audit (§. 156.). *Phyſicum ergo poſſibile eſt exiſtibile.*

Hæc theſis univerſaliter converti nequit, quoniam enim infinitæ dantur vires (§. 164.), immenſa ratione ſuperantes finitas & naturales, quarum ſufficientia denominatur phyſicum poſſibile (§. 165.), non omne exiſtibile eſt phyſicum poſſibile. Sic per vires Dei infinitas adſcendere poteſt ferrum, aquis ſubmerſum; adſcenſus tamen ferri phyſice non eſt poſſibilis.

§. 167.

Conſectaria. Perſpicue hinc conſequitur α) *Phyſicum poſſibile eſſe abſolute poſſibile* (§. 160.), β) *poſſibile phyſicum eſſe poſſibile externum* (§. 159.).

Sic phyſice poſſibile eſt, ut vis magnetica per denſiora metalla ſine imminutione ſui transeat, ergo etiam abſolute poſſibilis eſt hic tranſitus.

Præterea obſerves poſſibile phyſicum non conſtituere novam poſſibilis externi ſpeciem, ſed ſub exiſtibili comprehenſam, ſcilicet in exiſtibilis notione non determinatur, an ſufficientes vires, ad poſſibilis exiſtentiam præſtandam requiſitæ, ſint vel naturales vel ſupernaturales. Pro duplici ergo hac determinatione duæ oriuntur exiſtibilis ſpecies, quarum hæc ad vires infinitas relata, comprehendit omne, quod exiſtibile dicitur; illa vero tantæ non eſt extenſionis, ſed ad virium naturalium ſufficientiam extenditur tantum.

§. 168.

§. 168.

Quod abſolute eſt poſſibile, non ideo ſtatim externum poſſibile dici debet (§. 136.); Phyſicum autem poſſibile eſt poſſibile externum (§. 167.). Quod ergo abſolutam poſſidet poſſibilitatem, non ideo ſtatim habet phyſicam, ſeu, *ab abſoluta poſſibilitate ad phyſicam non valet argumentatio.*

Addit ſcilicet phyſica poſſibilitas abſolutæ relationem ad ſufficientiam virium naturalium, quæ abſolutam non ingreditur poſſibilitatem, non ergo mirum ab hac ad illam male concludi. Abſolute poſſibilis eſt diſtincta omnium rerum cognitio, non ideo tamen ab anima humana præſtari poteſt. In ſe poſſibile eſt è phiala vitrea non omnem modo extrahere aërem, ſed & omnem ſubtiliſſimam materiam, intus incluſam; phyſice tamen id non eſt poſſibile, quum naturales vires huic effectui producendo ſint impares. In ſe poſſibile eſt navigium in medio aëris, globis æneis evacuatis ſuſtentatum; viribus tamen naturæ, adeoque phyſice non eſt poſſibile. Et quid multis? quantum infinitæ vires, omni poſſibili producendo ſufficientes, ſuperant naturales & finitas, quarum ſufficientia phyſicum æſtimatur poſſibile; tantum quoque poſt ſe relinquit numerus abſolute poſſibilium numerum phyſice poſſibilium.

§. 169.

Quod phyſice eſt poſſibile, non ideo *Phyſica*

 deo

Poſſibilitas & exiſtentia non ſunt coëxtenſa.

deo ſtatim exiſtit, ſeu, à poſſe phyſico ad eſſe non valet argumentatio. Quod phyſice eſt poſſibile, eſt exiſtibile (§. 166.), quod vero exiſtibile eſt, non ideo ſtatim exiſtit (§. 158.). Quod ergo phyſice eſt poſſibile, non ideo ſtatim exiſtit.

Si phyſica rei poſſibilitate poſita, ſimul poneretur ejus exiſtentia, illud omne exiſteret, ad quod ſufficientes in natura adſunt vires (§. 165.), exiſteret ergo machina v. gr. quam primum per vires naturæ Mechanicus eam conciperet producibilem. Quid tum quæſo opus haberet actuali earundem virium applicatione? ſine qua tamen machinam non exſtituram eſſe certo certius novimus. Quid opus haberet Architectus, virium inſtructus ſufficientia, actuali earum applicatione ad exſtruendam domum? cur ipſe jam non ſurgerem, quia vires ſurgendi habeo? Vides ergo, niſi manifeſtam admittere velis abſurditatem, non omne eſſe exiſtens, quod phyſice eſt poſſibile.

Illuſtris *Wolfius* in Coſmol. Lat. §. 112. arbitratur, numerum extrinſece poſſibilium, ſeu poſſibilium in hoc mundo, adæquare numerum actualium, ita, ut nihil ſit in hoc mundo poſſibile, niſi quod vel extitit, vel actu præſens eſt, vel olim exiſtet. Sed ne quis exiſtimet hanc Wolfii aſſertionem ducere ad Spinoziſmum, quo ſtatuitur poſſibibilia quævis actualibus eſſe coëxtenſa, notetur

tetur Wolfium poſſibilia extrinſeca, ſeu poſſibilia in hoc mundo, non ea ſumere ſignificatione, qua nos magis uſitata & recepta phyſicum diximus poſſibile: Definit enim cit. l. §. 111. *Poſſibile in hoc mundo* per id, quod determinatam cauſſam in mundo adſpectabili habet, adeoque ad hoc poſſibile conſtituendum 1:o) præter intrinſecam rei poſſibilitatem, 2:do) viriumque in cauſſa ſufficientiam, quam Scholaſtici rationem cauſſandi appellant, ſimul 3:o) requirit ipſam cauſſæ cauſſabilitatem, h. e. applicationem earundem virium ad effectum, vel præteritum, vel præſentem, vel futurum, quod ex demonſtratione §. 98. c. l. colligere licet. Quare, quum ad mentem omnium Philoſophorum, poſita cauſſa in actu cauſſandi, ponatur cauſſatum, poſito poſſibili ſub his tribus requiſitis, non poteſt non poni actuale, recteque ſtatuitur poſſibilia hoc ſenſu adæquare actualibus. Licet ergo innoxia ſit hæc Wolfii aſſertio, præſertim ubi extra ejus Syſtema & hypotheſin de harmonia rerum univerſali ſpectatur; quoniam tamen, etiam judice *Bülfingero* in Dilucid. Phil. §. 18. ſiniſtris interpretationibus occaſionem facile præbeat arctiſſimus hic poſſibilium in hoc mundo ſenſus, potiori jure, uſuique magis recepto conformiter ſtatuimus, poſſibile in hoc mundo, quod nobis Phyſicum vocatur, nonniſi duobus prioribus abſolvi requiſitis, intrinſeca ſcilicet rei poſſibilitate, & virium naturalium ſufficientia, quibus poſitis nondum ponitur rei actualitas: Atque

hoc ſenſu phyſice poſſibilia cum actualibus eſſe coëxtenſa neque affirmavit *Wolfius*, nec affirmare licet.

§. 170.

Phyſici impoſſibilis definitio. Phyſice poſſibili opponitur *phyſice impoſſibile*, quod non in ſe & idea ſua, ſed quoad virium naturalium ſufficientiam, ſeu ordinem naturæ, contradictionem involvit.

Muſæo Cap. 8. Metaph. p. m. 145. phyſice impoſſibile vocatur, quod per nullam vim ac potentiam activam fieri poteſt: opponit ergo phyſicum impoſſibile exiſtibili (§. 156.). Quamvis fateamur quod exiſtibile non eſt, ſeu, quod per nullas vires exiſtere poteſt, neque per eas, quæ in natura rerum dantur, exiſtentiam acquirere poſſe; quoniam tamen aliud eſt loqui abſolute de viribus, earumque ſufficientia, vel inſufficientia, aliud reſpective de viribus in natura rerum creatarum obviis, earumque ſufficientia, vel inſufficientia, maluimus confuſionis evitandæ gratia illud exiſtibile, vel non-exiſtibile, hoc vero phyſice poſſibile, vel impoſſibile vocare. Neque *Muſæo* prorſus diſplicet anguſtior hic phyſicæ impoſſibilitatis ſenſus, quamvis eum, ut antea obſervavimus (§. 128.), hypothetica impoſſibilitate commiſcere videatnr.

Hujus modi plura dantur phyſice impoſſibilia, ut: *crines in ignem conjectos non comburi: Aquam ad inclinationem alvei in flumine non defluere, ſed*

ſed inſtar muri perpendiculariter ad horizontem, adſcenſam ſubſiſtere, quod tempore Joſuæ factum legimus. Joſ. III. *Ferrum natare: Septem panes & paucos piſciculos ſufficere ſaturandis quater mille viris absque mulieribus & puerulis, ita ut ſeptem ſportæ plenæ fragmentorum ſuperſint.* Matth. XV. *Hominem naſci de muliere virum non experta.* Ad hanc impoſſibilium claſſem referas etiam occiſionem animæ, quæ hominibus denegatur Matth. X, 28. Illam hominum, conſilia & molimina Dei penitus perſpiciendi, impotentiam, de qua Pſ. CXXXIX. 6. De hoc impoſſibili inter alia Deus Jobum compellavit Job. XXXVIII. & XXXIX.

Quem ad modum poſſibile phyſicum, ut antea monuimus, ita & ejus oppoſitum impoſſibile phyſicum, pro recepto rerum creatarum diſcrimine in corpora & Spiritus, in duas dirimitur claſſes. Nam aliud eſt *impoſſibile corporibus*, quod quoad vires corporibus vel inſitas vel eis quomodocunque competentes, contradictionem involvit: *aliud Spiritibus finitis*, quod quoad vires Spiritibus inſitas implicat.

§. 171.

Ex definitione phyſici impoſſibilis ſponte fluit illud eſſe nonniſi hypothetice impoſſibile. Nam quod phyſice impoſſibile eſt, non in idea ſua implicat (§. 170.), adeoque abſolute impoſſibile non eſt (§. 128.), implicat *Phyſici impoſſibilis hypothetica natura.*

tamen

tamen quoad virium naturalium ſufficientiam (§. 170.), quæ indolem rei producendæ non ingreditur, ſed conditionem ejus extraneam conſtituit. Eſt ergo non niſi hypothetice impoſſibile (§. 128).

Verum quidem eſt, abſolute impoſſibili producendo nullas (§. 161.), adeoque nec naturales, ſufficere vires & per conſequens omne abſolute impoſſibile eſſe quoque phyſice impoſſibile; uſu tamen receptum eſt abſolutam impoſſibilitatem non vocare phyſicam, ſed potius illam huic contradiſtinguere: In illa enim dijudicanda non neceſſe eſt virium reſpicere inſufficientiam, ad nudam repugnantiam notionum partialium attendere (§. 129.): Ad hanc vero, ſeu phyſicam impoſſibilitatem dijudicandam, ſuppoſita nonrepugnantia in idea, utpote de qua in præſenti non quæritur, debemus quantitatem effectus conferre cum quantitate virium in cauſſa: ſi illa hanc ſuperaverit, effectum phyſice impoſſibilem pronunciamus, ſin minus, phyſice poſſibilem dicimus.

§. 172.

Erroneus argumentandi modus.

A phyſica igitur impoſſibilitate ad abſolutam non valet argumentatio. Quod enim phyſice eſt impoſſibile, non abſolute ſed hypothetice eſt impoſſibile (§. 171.).

Multa, immo innumera ſunt phyſice impoſſibilia, quæ tamen abſolute ſunt poſſibilia, immo

immo, relatione facta ad infinitam Dei potentiam, exiſtibilia. Pertinent huc effectus mox enumerati (§. 170.), pluresque alii, vere miraculoſi, quorum uberrimam exhibet Scriptura ſacra copiam. Profecto, ſi quod phyſice eſt impoſſibile, abſolutam ſimul inferret impoſſibilitatem, locus miraculis relinqueretur nullus, Deoque immutandi effectus naturales omnis denegaretur potentia. Unde ſimul liquet, quantæ ſit neceſſitatis & utilitatis præſens regula, quæ docet à phyſica impoſſibilitate ad abſolutam non eſſe concludendum.

§. 173.

Tranſitus ad moralem poſſibilitatem & impoſſibilitatem.

Hæc de phyſica poſſibilitate & impoſſibilitate ſufficiant, ſequitur alia reſpectivæ poſſibilitatis & impoſſibilitatis ſpecies, determinationem, & ideæ rei & ſufficientiæ virium in agente ſuperaccedentem, importans: Uſu enim eſt receptum communi in adhibendis vocabulis ſæpius nominatis, non ſemper ad ideam rei, nec ſemper ad ſufficientiam virium agentis reſpicere, ſed alias conſiderationes, ex boni, ſive veri, ſive imaginarii cognitione, ſeu rectitudine actionum utcunque approbata & æſtimata hauriendas, applicationem virium heic & nunc aut promoventes aut impedientes ſimul negotio involvere. Hæc poſſibilitatis & impoſſibilitatis ſpecies *Moralis* appellari ſuevit,

vit, ſenſu tum indicativo, tum diminutivo: illo, ut oſtendat fontem, unde ſcaturiet, hoc, ut improprie dictam minusque rigidam indicet.

§. 174.

Moralis poſſibilis definitio. Eſt igitur *Moraliter Poſſibile*, quod ſalva actionis rectitudine ab agente fieri, ſeu exiſtere poteſt. *Agens* vero heic vocatur, qui viribus gaudet, ad actionem producendam ſufficientibus.

Ad poſſibilitatem hanc moralem in communi ſermone haud raro reſpiciunt homines, dicentes ſe id præſtare poſſe, qnod judicant rectitudinem actionum non deſtruere. Ita Mævius v. gr. dicens ſibi poſſibile eſſe, ducere uxorem, non tam virium naturalium ad hanc actionem reſpicit ſufficientiam, ſed potius quod ſine ulla rectitudinis actionum læſione uxorem ducere liceat.

§. 175.

Moraliter impoſſibilis definitio. *Moraliter* contra *impoſſibile eſt*, quod non in ſe, nec reſpectu ſufficientiæ virium, ſed unice reſpectu rectitudinis actionum, contradictionem involvit.

Sic alteri v. gr. reipublicæ ſubinde eſt, fœdus offenſivum & defenſivum, ſeu mutuæ defenſionis cum altera pangere, non quod hoc fœdus

fœdus in ſe ſit contradictorium, vel vires rei-publicæ deſint ſufficientes ad hoc ineundum fœdus, ſed quod perfectioni ſtatus ſui id adverſari ſentiat. Eſt ergo nonniſi moraliter impoſſibile. Eodem ſenſu homini impoſſibile eſt ſumere cibos ea quantitate, ut ſanitati noceatur, licet nulla adſit quoad naturales vires repugnantia. Eodem ſignificatu patri familias impoſſibile eſt, ſuos v. gr. equos alii, eos petenti, commodare, eo præſertim tempore, quo ipſe illis indiget. Nullam hoc involvit impoſſibilitatem ob defectum potentiæ in patre familias, ſed ob læſionem perfectionis ſtatus ejus, quæ heic rectitudinis ſubit menſuram. Ad hanc impoſſibilium claſſem pertinet, quod ſanctior Scriptura de *Chriſto* dicit Marc. VI. 5. Illum in patria ſua non potuiſſe ullam virtutem edere, propter incredulitatem eorum; nempe repugnabat miraculorum perpetratio, non in ſe, neque quoad ſufficientiam virium *Chriſti* infinitarum, ſed quoad actionis rectitudinem, qua non decuit ingratos tanto beneficio dignari. Hoc ſenſu non poſſunt filii thalami præſente ſponſo jejunare Marc. II. 19. quia talis σκληραγωγία cum nuptiarum feſtivitate non convenit. Hac mente non potuêre Apoſtoli, quia mundato Dei repugnabat, reticere quæ viderunt & audiverunt Act. IV. 20. Idem intendit quoque Apoſtolus *Paulus*, quando ſcribit 2. Cor. XIII. 8. *Nihil poſſumus contra veritatem*,

vit, ſenſu tum indicativo, tum diminutivo: illo, ut oſtendat fontem, unde ſcaturiet, hoc, ut improprie dictam minusque rigidam indicet.

§. 174.

Moralis poſſibilis definitio. Eſt igitur *Moraliter Poſſibile*, quod ſalva actionis rectitudine ab agente fieri, ſeu exiſtere poteſt. *Agens* vero heic vocatur, qui viribus gaudet, ad actionem producendam ſufficientibus.

Ad poſſibilitatem hanc moralem in communi ſermone haud raro reſpiciunt homines, dicentes ſe id præſtare poſſe, qnod judicant rectitudinem actionum non deſtruere. Ita Mævius v. gr. dicens ſibi poſſibile eſſe, ducere uxorem, non tam virium naturalium ad hanc actionem reſpicit ſufficientiam, ſed potius quod ſine ulla rectitudinis actionum læſione uxorem ducere liceat.

§. 175.

Moraliter impoſſibilis definitio. *Moraliter* contra *impoſſibile eſt*, quod non in ſe, nec reſpectu ſufficientiæ virium, ſed unice reſpectu rectitudinis actionum, contradictionem involvit.

Sic alteri v. gr. reipublicæ ſubinde eſt, fœdus offenſivum & defenſivum, ſeu mutuæ defenſionis cum altera pangere, non quod hoc fœdus

fœdus in ſe ſit contradictorium, vel vires reipublicæ deſint ſufficientes ad hoc ineundum fœdus, ſed quod perfectioni ſtatus ſui id adverſari ſentiat. Eſt ergo nonniſi moraliter impoſſibile. Eodem ſenſu homini impoſſibile eſt ſumere cibos ea quantitate, ut ſanitati noceatur, licet nulla adſit quoad naturales vires repugnantia. Eodem ſignificatu patri familias impoſſibile eſt, ſuos v. gr. equos alii, eos petenti, commodare, eo præſertim tempore, quo ipſe illis indiget. Nullam hoc involvit impoſſibilitatem ob defectum potentiæ in patre familias, ſed ob læſionem perfectionis ſtatus ejus, quæ heic rectitudinis ſubit menſuram. Ad hanc impoſſibilium claſſem pertinet, quod ſanctior Scriptura de *Chriſto* dicit Marc. VI. 5. Illum in patria ſua non potuiſſe ullam virtutem edere, propter incredulitatem eorum; nempe repugnabat miraculorum perpetratio, non in ſe, neque quoad ſufficientiam virium *Chriſti* infinitarum, ſed quoad actionis rectitudinem, qua non decuit ingratos tanto beneficio dignari. Hoc ſenſu non poſſunt filii thalami præſente ſponſo jejunare Marc. II. 19. quia talis σκληραγωγία cum nuptiarum feſtivitate non convenit. Hac mente non potuêre Apoſtoli, quia mundato Dei repugnabat, reticere quæ viderunt & audiverunt Act. IV. 20. Idem intendit quoque Apoſtolus *Paulus*, quando ſcribit 2. Cor. XIII. 8. *Nihil poſſumus contra veritatem*,

§. 176.

Digitized by Google

§. 176.

Moralis poſſibilitatis prærequiſitum.

Nihil eſt moraliter poſſibile, niſi quod per vires iſtius entis, cui quid moraliter poſſibile dicitur, ſit exiſtibile. Illud enim moraliter poſſibile vocatur, quod ſalva actionis rectitudine ab agente fieri poteſt (§. 174.); Agens vero heic intelligitur, qui viribus ad actionem producendam ſufficientibus eſt inſtructus (§. cit.). Moraliter ergo eſt poſſibile, quod ſalva actionis rectitudine, ab eo, qui viribus ad actionem producendam ſufficientibus gaudet, fieri poteſt, & per conſequens quod per vires ejusdem agentis eſt exiſtibile (§. 156.).

Scilicet in morali hac conſideratione non tam quæritur, an vires ſint effectui producendo pares, ſed potius an applicatio virium ſalva actionis rectitudine licite ſuſcipi poſſit. Eſt itaque virium ſufficientia in agente neceſſarium moralis poſſibilitatis prærequiſitum.

§. 177.

In agente phyſico.

Si itaque agens fuerit naturale & phyſicum, nihil ei moraliter erit poſſibile, niſi quod eidem phyſice ſit poſſibile (§. 165.).

Veritatem hujus conſectarii loquuntur exempla paſſim obvia. Sic quando dicimus poſſibile eſſe Titio uſuras compenſatorias a Sempronio

pronio ſumere, ſupponimus Titium naturales poſſidere vires accipiendi uſuras, exiſtimantes harum virium applicationi ad præſentem caſum non obſtare rectitudinem actionum obſervandam. Pari ratione pronunciantes venatori poſſibile eſſe luporum inſtituere venationem, ſupponimus eum callere artem venatoriam, nec ullam obſtare circumſtantiam phyſicam artis executioni.

§. 178.

Modus argumentandi a morali poſſibilitate ad exiſtibilitatem & abſ. poſſibilitatem.

A morali itaque poſſibilitate ad exiſtibilitatem (§. 176.), &, ubi de ente naturali agitur, ad phyſicam poſſibilitatem (§. 177.), & in omni caſu ad abſolutam (§. 160. 167.) valet argumentatio.

Illuſtrationis gratia advertamus animum ad exempla mox prolata ad §. 177. quæ & abſolutam & phyſicam continent poſſibilitatem cum morali conjunctam.

§. 179.

Moralis poſſibilitatis differentia ab exiſtibilitate & phyſica poſſibilitate.

Quod exiſtibile eſt & ſpeciatim, quod, quoad agentia naturalia, phyſice eſt poſſibile, non ideo moralem obtinet poſſibilitatem. Nam præter non-repugnantiam cum viribus, ad actionem producendam ſufficientibus,

præter exiſtibilitatem ergo & phyſicam poſſibilitatem (§. 156. 165.), quam utramque in poſſibilitate morali ſupponendam eſſe evicimus, illam quidem generaliter (§. 176.), hanc ſpeciatim quoad agentia naturalia (§. 177.), ad moralem poſſibilitatem conſtituendam requiritur inſuper non-repugnantia cum rectitudine actionum obſervanda (§. 174.). Ex defectu itaque hujus requiſiti, quod conſiderationem virium in exiſtibilitate & phyſica poſſibilitate eo minus ingreditur, quo certius eſt illud huic ſuperaccedere, moralemque conſtituere reſpectum (§. 173.), quod exiſtibile eſt, & ſpeciatim, quod quoad agentia nataralia phyſice eſt poſſibile, non ideo ſtatim moraliter tale eſt.

§. 180.

Notatur perverſus argumentandi modus.

Ab exiſtibilitate ergo & phyſica poſſibilitate ad moralem non valet argumentatio. Et, quia ab abſoluta poſſibilitate ad phyſicam non eſt concludendum (§. 168.), *multo minus ab abſoluta poſſibilitate ad moralem ſine vitio colligitur.*

Egregie errat qui ita v. gr. arguere vellet: Viribus gaudeo ſufficientibus ad occidendum Titium innocentem, ergo actio illa mihi moraliter eſt poſſibilis, h. e. facinus hocce ſalva actionis rectitudine, a me obſervanda, peragi

peragi poteſt. Ejusmodi falſæ argumentationis multos obſervare licet reos, qui a perfectionibus phyſicis, vel virium naturalium ſufficientia ad imperandum, colligunt ad jus imperandi, h. e. ad facultatem moralem tenendi imperii. Confundunt hi cum *Hobbeſio* vocabula *jus* & *vis*, & vix aliud, ut cum *Puffendorffio* loquar, inter hæc duo agnoſcunt diſcrimen, quam quod in nuda transpoſitione literarum conſiſtat. Sufficiat ex fundamento genuino fallaciam argumentationis indicaſſe, & ſimul uſum præſentis canonis moralem exhibuiſſe; in Jure vero naturæ, tanquam propria ſede, hæc controverſia, qua ſingula momenta, proponi ſolet & debet.

§. 181.

A morali poſſibilitate ad exiſtentiam argumentum non valet.

Quod moraliter eſt poſſibile, non ideo ſtatim exiſtit: Si enim exiſtentia morali poſſibilitati ita eſſet involuta, ut hac poſita illa ſimul poneretur, nuda non-repugnantia cum rectitudine actionum, in qua moralis verſatur poſſibilitas (§. 174.), ſufficiens eſſet ad actualitatem producendam, etiamſi vires effectui producendo actu ipſo non applicarentur, quod manifeſtam incurrere abſurditatem omnes facile agnoſcunt; recte ergo ſtatuitur, a morali poſſibilitate ad exiſtentiam non valere concluſionem.

Idem ſic quoque oſtenditur: Quod moraliter eſt poſſibile, eſt ſimul exiſtibile (§. 176.); ſed quod exiſtibile eſt, non ideo exiſtit (§. 158.). Ergo quod moraliter eſt poſſibile, non ideo exiſtit.

Ex. gr. Creationem mundi ante actualem ejus productionem Deo moraliter fuiſſe poſſibilem, h. e. hanc actionem, quæ creatio vocatur, ſanctiſſimæ Dei naturæ, quæ quoad Deum unica eſt rectitudinis menſura, non fuiſſe, nec eſſe adverſam, nemo negaverit. Sed quis ideo dicere auſit, mundum eo ipſo extitiſſe, niſi abſurde ſtatuere velit, mundum extitiſſe antequam exiſteret, niſi etiam abſone non minus quam impie admittere cupiat, mundum ſine actuali virium Dei infinitarum applicatione ſuam poſſidere exiſtentiam, a nuda illa non-repugnantia cum ſanctiſſima Dei natura dependentem, ſed a potentiæ Divinæ exercitio independentem. Succurrere egeno viro diviti & inſuper probo moraliter eſt poſſibile, quum rectitudini actionum non ſolum non repugnet, ſed & eidem amiciſſime conveniat; actu tamen ipſo non ideo ſuccurrit egeno dives, niſi pecuniam, vel aliam, qua ſublevetur, rem actu ei det.

§. 182.

Moralis impoſſibilitatis poſſibilitas.

Quod moraliter eſt impoſſibile, & abſolute eſt poſſibile & exiſtibile, &, ſi de ente naturali fuerit quæſtio, phyſice eſt poſſibile. Hæc pro-

propoſitio axiomatis inſtar ex definitione impoſſibilis moralis immediate ſequitur: Illud enim moraliter impoſſibile diximus, quod non in ſe nec reſpectu ſufficientiæ virium in agente, ſed unice reſpectu rectitudinis actionum contradictionem involvit (§. 175.). Eſt ergo abſolute poſſibile (§. 135.), & exiſtibile (§. 156.), &, ſi agens fuerit naturale, phyſice eſt poſſibile (§. 165.).

Sed ais tu quidem, ſequi hoc ex noſtra definitione, alia autem poſita, aliud ſecuturum. Definitionis ergo realitatem cupis probatam? id feci (§. 175.), exempla, in quibus definitum occurrit, allegando, paucisque examinando. Idem heic ex abundanti alia quoque præſtiturus ſum ratione: Si quod moraliter eſt impoſſibile, in ſe & ſua natura contradictorium eſſet, abſoluta impoſſibilitas cum morali coincideret (§. 128.), fruſtraque quæreretur, num rectitudini actionum conveniens eſſet vel minus, quum hoc eſſet purum putum nihil (§. 132.). Sin vero moraliter impoſſibile contradiceret pariter ſufficientiæ virium agentis, moralis impoſſibilitas cum non-exſtibilitate (§. 156.), &, ſi agens fuerit naturale, cum phyſica impoſſibilitate (§. 170.), una foret eademque. Nec ſine ridiculo quæreretur, an hæc actio obſervandæ rectitudini congrueret vel minus, quum ab illa cauſſa nullo præſtari poſſet modo. Corruit itaque objectio & ſimul ſua luce radiat noſtra impoſſibilis moralis definitio,

Solvitur objectio.

finitio, noſtrumque præſens inde deductum axioma.

§. 183.

Modus hinc argumentandi. *Perſpicimus hinc ab impoſſibilitate morali ad non-exiſtibilitatem, phyſicam & abſolutam impoſſibilitatem non eſſe argumentandum.* Impoſſibilitas enim moralis, ut vidimus, non afficit rei ipſius internam indolem, nec ſufficientiam virium, quæ ad rei producibilitatem requiruntur, ſed exercitium earum ob intercedentem diſpoſitionem moralem, deſumtam ex rectitudine actionum, eo certius ſuſpendit, quo verior & eminentior eſt illa rectitudo, & quo excellentior eſt agentis diſpoſitio illam obſervandi. Excludit itaque è producendorum claſſe, quod in ſe & ſua natura ſpectatum, & ad vires effectui producendo neceſſarias collatum, producibile eſt dicendum.

§. 184.

Moraliter poſſibile vel impoſſibile dijudicaturus quid præſtabit. Quam ob rem, quum impoſſibilitas & poſſibilitas moralis reſpectum tantum habeat ad rectitudinem actionum, ab hoc vel illo agente obſervandam (§§. 174. 175.), dijudicaturus an hæc actio huic agenti moraliter ſit poſſibilis vel impoſſibi-

poſſibilis. 1:o) *Inveſtigabit actionis naturam & indolem*, vel ſeorſim, ſi ſola offertur agenda, vel in collatione cum aliis, ſi una ex pluribus, quoad ſufficientiam virium æque exiſtibilibus, eſt ſuſcipienda. 2:do) *Inquiret quam rectitudinem obſervet ille agens*, & quam ejus inſtituat menſuram. 3:o) *Collationem* inſtituet inter detectam actionis indolem & hanc rectitudinem. Quibus rite peractis, ſi invenit actionem huic rectitudini non contradicere, ſed potius amice conſentire, illam huic agenti moraliter poſſibilem pronunciabit (§. 174.); ſin minus, moraliter impoſſibilem dicet (§. 175.).

Poſſumus etiam à poſteriori ex ſuſcepta actione rectitudinem ejusque menſuram, quæ à dato agente obſervatur, ſecundum regulam ſatis notam: Ab eſſe ad poſſe valet conſequentia (§. 143.), hac eruere ratione: 1:o) *Attendamus ad actiones*, quas communiter edere ſolet agens. Non ſufficit conſideratio unius vel alterius actionis, quam ſi limitatæ, præſertim vero corruptæ, fuerit naræ agens, ab aliam quamvis edere poteſt circumſtantiam, vel phyſice vel moraliter coactus, non vero ob rectitudinem, quam ipſe ſibi obſervandum ſumſit. 2:do) *Harum* actionum convenientiam eruamus, quæ rectitudinis menſuram, qua ille agens ducitur, exhibet. Hinc pateſcit 3:o) quæ actiones huic agen-

agenti moraliter ſint poſſibiles, quæ impoſſibiles. Ubi vero ſimul attendimus ad actiones, quas communiter omittere & averſari ſolet agens; quia oppoſita, juxta ſe poſita, magis eluceſcunt, clarius & evidentius ad rectitudinem ejusque menſuram colligere licet. Sed hæc obiter dicta ſunto, quæ, meo quidem judicio, potius ad Philoſophiam practicam univerſalem quam Metaphyſicam pertinebunt.

§. 185.

Quid poſſibile & impoſſibile Ethicum & Juris.

Poſſibilitas & impoſſibilitas moralis pro duplici menſura rectitudinis, ex cujus conſideratione ſuam habet denominationem (§. 174. 175.), in duo abit membra: Aut enim rectitudinem metitur agens ex affectibus & confuſa, aut ex diſtincta agendi cognitione. Illius objectum eſt bonum & malum apparens; hujus verum bonum, verumque malum. Illa fundat *poſſibile & impoſſibile Ethicum*, hæc conſtituit *poſſibile & impoſſibile Juris*. Eſt ſcilicet *Ethicum poſſibile*, quod ſalva actionis rectitudine, determinata ex affectibus & confuſa cognitione, fieri ab agente poteſt, *Poſſibile Juris*, quod ſalva actionis rectitudine, æſtimata ex diſtincta cognitione, fieri ab agente poteſt. Quid

Impoſ-

Impoſſibile Ethicum & Juris ſit, oppoſita liquet ratione.

Uſus moralis & Theologicus.

Habet hæc diſtinctio poſſibilis & impoſſibilis moralis præclarum in diſcipina morali & Theologia Naturali uſum. Sunt qui in definienda obligatione morali dicunt eam eſſe neceſſitatem moralem, h. e. non obligari ad actionem, cujus oppoſita eſt moraliter impoſſibilis. Sed ſi verum eſt, eſt autem veriſſimum, dari impoſſibile morale Ethicum, non omnis neceſſitas moralis obligationem abſolvit, h. e. non ad omnem actionem, cujus oppoſita eſt moraliter impoſſibilis, obligamur: Solent enim haud raro homines actionum ſuarum rectitudinem ex evitanda inconvenientia cum uſu & conſuetudine vulgaribus, etiam ad tempus receptis, dijudicare & æſtimare, contendentes ſe non poſſe aliter agere, ſalva ſcilicet manente convenientia cum uſu & conſuetudine vulgari, parum vel nihil ſolliciti, an huic uſui & conſuetudini juſta ex jure ſuperioris inſit determinandi ratio. Sic avarus, qui conſuetudinem acervos pecuniæ accumulandi, nihil erogandi contraxit, ſibi impoſſibile eſſe dicit, ulla pecunia ſublevare Lazari inopiam. Sic vindictæ cupidus, qui iræ & invidiæ habenas effundendi, vix unquam conſtringendi, adſcivit conſuetudinem, contendit ſibi impoſſibile eſſe vel leviſſimo delicto dare veniam. In his & aliis ejusmodi caſibus moralis, quæ adeſt, impoſſibili-

ſibilitas, non eſt niſi Ethica, veri nominis obligationem eo minus fundans, quo certius eſt, nos ad ejusmodi affectuum ſervitium non obligari. In Theologia Naturali recte defendimus, ſanctiſſimum Numen nihil agere poſſe, quod eſſentiæ & perfectionibus Ejus non eſt conveniens, v. gr. innocentem condemnare: Eſt vero hæc impoſſibilitas non abſoluta & phyſica, quaſi hæc actio in ſe eſſet contradictoria, vel viribus Dei ſufficientiſſimis repugnaret, ſed moralis, non tamen Ethica; quia nulla affectuum turbo, nulla confuſa cognitio in Deo locum invenit; ſed Juris, qua Deus diſtinctiſſime perſpicit hujus actionis cum attributis ſuis moralibus inconvenientiam.

Ad hoc impoſſibile juris pertinet, dum Theologi dicunt Impoſſibile eſſe, duodecim Apoſtolos, aliosque magno numero cordatos & veraces viros, temporum & locorum intervallo ſejunctos, doctrinæ Evangelii cum periculo mortis & metu omnium malorum, falſum teſtimonium perhibuiſſe.

§. 186.

Impoſſibile pro difficili.

Contingit haud raro, ut, quod in ſe eſt poſſibile, tamen ob agentis affectionem phyſicam vel moralem, difficultatem vel remoram pariat, *Impoſſibile* vocetur.

Celebre hujus Impoſſibilitatis exemplum exſtat Matth. XIX. ubi *Chriſtus* v. 23. diviti ado-

adoleſcenti, qui noluit, ſuas vendendo opes, opera miſericordiæ exercere, dicit, *divitem difficulter intrare in regnum cœlorum*, & v. 26. vocat hoc difficile *impoſſibile hominibus*, *ſed non impoſſibile Deo*. Voluit optimus Salvator ſignificare divitem, non modo ut reliquos omnes homines, eſſe natura filium iræ, nullasque recipiſcendi phyſicas habere vires, adeoque converſionem ſalutiferam eſſe ei phyſice impoſſibilem (§. 165.); ſed etiam quamdiu omnem ſpem in divitiis collocet, indeque actionum ſuarum rectitudinem metiatur, morali ſenſu impoſſibile eſſe, ut ad meliorem frugem, gratiam ſcilicet, ſe convertat. Facile vero patet, hanc moralem impoſſibilitatem, qua hic dives fuit circumſcriptus, non eſſe juris ſed ethicam, quatenus nonniſi apparens bonum, ex perverſo effectu menſuratum, pro objecto habuit.

Eidem huic impoſſibilitatis claſſi adſcribendum eſt, quando dicimus, amorem, tuſſim, ſcabiem non poſſe celari. Sic etiam *Joſephus* diu ſatis fraternum comprimens animum, tandem non poterat ſe continere, quin calidis lacrymis illum teſtaretur Gen. XLV. 1. Amici Jobi exulceratum animum his verbis poſt moroſum ſilentium prodiderunt: Continere ſermonem quis poteſt Job. IV. 2.

CAPUT

CAPUT IV.

DE DETERMINATO ET INDETERMINATO.

§. 187.

Neceſſitas & uſus doctrinæ.

Quamvis vocabula, *determinatum & indeterminatum*, cuivis fere ex confuſa, quam de iis habet, notione ſint admodum familiaria, atque ideo eis antea, non vero ut principiis demonſtrandi, uſi ſimus; quia tamen horum terminorum diſtincta explicatio multum facit tum ad demonſtranda tum ad rectius intelligenda, non ſolum quæ ad notionem entis pertineant, aliaque plura Metaphyſices capita, ſed etiam quæ in reliquis Philoſophiæ diſciplinis occurrunt varia maximi ponderis momenta. In Theologia quoque revelata, reliquiſque altioribus facultatibus, haud infrequens eſt uſurpatio horum terminorum. Dicto fidem facturus unum adferam exemplum: Notum eſt Socinianos negare præſcientiam Dei, quod putent nullam dari determinatam contingentium veritatem: Hanc controverſiam maximi, ſine dubio, momenti vix ac ne vix quidem ad liquidum perducere valemus, diſtincta determinati & indeterminati notione deſtituti. Ergo vel ex hoc unico, plura alia ſciens

ens prætereo, patet exemplo, quantæ neceſſitatis & utilitatis ſit doctrina, quæ de determinato & indeterminato agit.

§. 188.

Indeterminatum & determinabile quid?

Si aliquod ſpectatur ut id, cui aliquid competere poteſt, ut tamen illud ei competat, adhuc ſtatuere non licet, *Indeterminatum* vocatur. Quatenus autem conſideratur ut id, cui aliquid competere poteſt, *Determinabile* audit.

In definitione trianguli rectilinei, *quod ſit figura plana tribus rectis lineis terminata*, ratio linearum, ut indeterminatum quid ſpectatur, quatenus eæ, vel æquales omnes, vel inæquales, vel binæ tantum æquales eſſe poſſunt; nihil tamen eorum adhuc affirmare licet, per ea, quæ in definitione ponuntur: Quatenus tamen certum eſt, non poſſe triangulum conſtitui, niſi alterum eorum de eo affirmetur, laterum quantitas tanquam determinabilis conſideratur. In Logicis propoſitio indeterminata dicitur, quando per ea, quæ illam ingrediuntur, non conſtat, an affirmanda an neganda ſit? Quatenus vero vel affirmari vel negari poteſt, determinabilis nuncupatur. v. gr. *Homo eſt dives*, indeterminata eſt, quia ad illam & affirmando & negando reſponderi poteſt, atque eatenus determinabilis dicitur. Oſtenſo autem quis hominum intelligatur, *Crœſus* v. c. determinata

minata evadit propoſitio, ad quam non niſi affirmando reſpondere licet. De voluntate noſtra, quatenus ſpectatur ut facultas appetendi vel averſandi, affirmari nequit actualis averſatio vel appetitus. Eſt ergo eatenus indeterminatum quid; & quatenus de voluntate, ſpectata ut facultas, affirmari poteſt actus, eatenus ut determinabilis conſideratur.

Ex his, aliisque ejusmodi exemplis, abunde liquet, datas determinabilis & determinati notiones eſſe genuinas, & ex ſingularibus vere abſtractas. Si vero cui diſpliceat notio indeterminati, à nobis expreſſa, definiat *id per indifferens ad recipiendum vel habendum hoc, vel illud, quod tamen habere vel recipere poteſt.* Res eodem redit. Neque ego aliud heic obſervare poſſum diſcriminis, quam quod vocabulum, *indifferens*, mihi non videatur notius termino *indeterminatus*, quippe quibus eadem reſpondeat notio confuſa. Notioribus ergo, & quibus non eadem cum definito reſpondet notio, in definitione indeterminati uti maluimus terminis, quos vel antea explicuimus, vel ex Logica cognitos ponere licet.

Fonſecæ L. IV. Comm. Metaph. Ariſtot. Cap. 2. Qv. 2. S. VIII. obverſata fuit notio indeterminati, quando in quæſtione: ex cauſſisne an ex eventibus judicanda ſit veritas enuntiationum de futuris contingentibus? dicit *cauſam non eſſe determinatam ad alteram eventus partem, quatenus natura ſua eſt indifferens ad utramque*; obverſata, inquam, licet mentem

mentem ſuam ex genio ſeculi Scholaſtici diſtincte explicare non valuerit. Facile vero patet, noſtram definitionem menti hujus Philoſophi eſſe conformem, adeoque non novam & recentiori demum ætate inventam.

§. 189.

Nexus indeterminati & determinabilis.

Quoniam indeterminatum concipiendum eſt ut id, cui aliquid competere poteſt (§. 188.), omne indeterminatum ut determinabile eſt concipiendum (§. cit.).

Faciunt huc exempla ad præcedentem adducta §:phum, quæ ſatis indicant indeterminatum omne eſſe determinabile. Voluntas ſpectata ut facultas appetendi & averſandi indeterminata eſt, qua hunc vel illum actum. Nunquam vero ut determinata concipi poſſet, niſi eſſet facultas, vel potentia, adeoque niſi eſſet determinabilis.

§. 190.

Diſcrimen à nihilo.

Quod eſt nihil, indeterminatum eſſe nequit, & quod indeterminatum eſt, nihil eſſe nequit. Quoniam de nihilo prædicari nequit aliquid (§. 78.), nihil nunquam ſpectari poteſt ut id, cui aliquid competere poteſt. Indeterminatum ergo eſſe nequit (§. 188.). Q. E. U. Quod indeterminatum eſt, concipitur ut determinabile (§. 189.), adeoque ut aptum, cui aliquid

Digitized by Google

aliquid competere poteſt (§. 188.), & per conſequens nihil eſſe nequit (. 78.). Q. E. A.

§. 191.

Nexus cum aliquo. Quam ob rem, quia inter nihil & aliquid non datur medium (§. 77.), quicquid eſt indeterminatum, aliquid eſſe debet (§. 190.), & quod aliquid eſt, indeterminatum eſſe poteſt (§. cit.).

Dixi aliquod indeterminatum eſſe poſſe; nam nihil amplius ex præcedenti ſequitur poſitione; Non vero: *Quod aliquid & indeterminatum coincidant.* Hujus enim theſeos falſitatem mox declarabo. Nec repugnat idem alio reſpectu conſiderari ut determinatum, alio ut indeterminatum. Sic voluntas, quatenus denotat potentiam appetendi & averſandi, quoad actum hunc vel illum, eſt indeterminata, quoad ceteras vero animæ facultates, à quibus ſufficienter hoc conceptu diſtinguitur voluntas, determinata eſt.

§. 192.

Determinatum quid? Indeterminato opponitur *Determinatum*, cui aliquid certi competere, ſtatuere licet: Seu, ſi aliquid ſpectatur ut id, cui quid cum certitudine competit, *Determinatum* eſt.

Communi & recepto ſignificatu id determinare dicimur, quod in idea ſua vagum, generale, indifferens, reducitur ad aliquod certum,

Digitized by Google

certum, ſpeciale & definitum. Ita Cajus v. gr. quamdiu animo fluctuat circa certum vitæ genus ſibi eligendum, nondum ſe ad fixum quid determinaſſe dicitur; ubi vero ſtudiis literarum, ceteris vitæ generibus neglectis, ſe totum addixit, eum ſe determinaſſe dicimus. Sic quoque, quando definitur ſpiritus per ſubſtantiam intelligentem & volentem, notio ſpiritus determinata eſt: Ei enim certo competere ſtatuitur, quod ſit α) ſubſtantia, β) intelligens, γ) volens.

§. 193.

Ulterius explicatur.

Docet Logica, quod certum eſt, removere omnem oppoſiti formidinem, ſeu excludere oppoſitum; Eſt ergo determinatum, cui quid ita competit, ut oppoſitum hujus, quod competit, ſimul excludatur (§. 192.).

Dicit hinc *Bülfingerus* in Dilucid. §.182. determinatum eſſe, de quo una propoſitionum contradictoriarum eſt vera & altera falſa. Sic determinate vera eſt hæc propoſitio: *Titius eſt dives*, nam ejus oppoſita: *Titius non eſt dives*, falſa eſt. Similiter dum ſcribo, determinata eſt mea ſcriptio, nam excluditur ſcriptionis oppoſitum, non-ſcriptio. Cum Upſaliæ exiſto, tum exiſto in loco determinato, quia fieri non poteſt, ut ſimul Upſaliæ non exiſtam. Idem obtinet in aliis caſibus, ita ut pateat determinatum excludere quod ei, ſpectato ut tale, opponitur.

§. 194.

Determinare quid?

Unum dicitur *Determinari* per alterum, quando illud ideo competit alicui rei, quia eidem hoc competit, ſeu, ſi de A affirmatur B, vel B, E, & F, atque ideo de eo quoque affirmandum C; C *determinari* dicitur per B, vel per B, E & F.

Ex. gr. Trium angulorum æqualitas in triangulo æquilatero determinatur per trium laterum æqualitatem: Poſito enim triangulum tria latera poſſidere æqualia, ſtatim inde ponitur omnium angulorum æqualitas. Eodem modo ex ſimplicitate animæ determinatur ejus indeſtructibilitas, quia hæc de anima ob ejus ſimplicitatem affirmatur.

§. 195.

Determinantia & Determinata quid?

Ea, per quæ determinantur alia, dicuntur *Determinantia.* Quæ vero per alia determinantur, *Determinata* vocamus.

Ex. gr. In triangulo æquilatero tria latera æqualia determinantium nomine veniunt; tres vero anguli æquales determinatorum titulo inſigniuntur.

§. 196.

Nexus determinantium &

Poſitis adeo determinantibus, ponuntur determinata. Poſitis enim determinantibus, ponuntur ea, per

per quæ determinantur alia (§. 195.); id vero determinatur per alterum, quod ideo ponitur, ſeu affirmatur, quia ponitur alterum (§. 194.). Poſitis igitur determinantibus ponuntur ea, quibus poſitis ponuntur alia. Alia autem hæc, quæ ideo ponuntur, quia ponuntur determinantia, ſunt determinata (§. 195.). Poſitis ergo determinantibus ponuntur determinata. *determinatorum.*

Quivis per ſe videt ſermonem heic eſſe de omnibus determinantibus, quæ ad determinandum determinatum concurrunt: Ubi enim plurium determinantium poſtulatur concurſus, omnia iſta ponantur neceſſe eſt, antequam poni poſſit determinatum, nam alioquin contra principium contradictionis (§. 53.) ſtatueretur aliquod prærequiri quod tamen non prærequireretur, illudque quod non eſt determinans, remoto ſcilicet ejus neceſſario requiſito, fingeretur determinans. Sic ex ineptitudine materiæ, noſtraque ſimul aptitudine ad cogitandum, ceu duobus determinantibus partialibus, unum complexum conſtituentibus, determinatur nobis ineſſe ſubſtantiam ſimplicem intelligentem. Non ſufficit unum horum partialium, ſed bina conjunctim adeſſe debent, quibus poſitis, ponitur determinatum. Pari fere modo quamvis ad actualem appetitum, ab anima noſtra exercendum, prærequiratur facultas appetendi; hæc tamen, quia determinabilitatem modo inſinuat (§. 188.), nequit

quit eſſe determinans illius. Actus ergo appetendi præter potentiam ſimul poſtulat excitationem illius facultatis, qua demum poſita, ponitur actualis appetitus.

§. 197.

Nexus determinatorum & determinantium.

Poſito determinato, ponuntur ejus determinantia. Poſito enim determinato ponitur id, quod per alia determinatur (§. 195.); Ea vero ſunt determinantia (§. cit.). Poſito igitur determinato, ponuntur ejus determinantia.

Sic poſita æqualitate trium angulorum, tanquam determinato, ponitur æqualitas trium laterum, tanquam determinans. Eodem modo poſita diviſibilitate corporis, quæ nonniſi ex extenſione determinatur, ponitur extenſio, ut determinans.

Eſt hæc propoſitio, quem ad modum prior (§. præc.), e numero notionum communium, quas nemo ſine propriæ conſcientiæ læſione negare poterit: Impoſſibile enim eſt aliquod cogitare ut determinatum, niſi ſimul cogitemus aliquod adeſſe, unde determinetur, ut adeo notio determinati notionem determinantium involvat, haud aliter ac effectus cauſſam infert; quamvis longe latior ſit notio determinati & determinantium, quam effectus & cauſſæ.

Digitized by Google

§. 198.

Determinantia ſunt ratio ſufficiens determinati. Determinata ſunt, quæ per alia determinantur (§. 195.), per quæ vero determinantur alia, ſunt determinantia (§. cit.). Ergo determinata ſunt quæ determinantur per determinantia, adeoque quæ ſubjecto ideo competunt, quia ei conveniunt determinantia. Ex his itaque ſufficienter intelliguntur illa (§. 196.) & per conſequens hæc ſunt ratio ſufficiens illorum (§. 83.). *Determinantium cum ratione ſufficiente identitas.*

Quod ad §. 196. modo annotavimus, ſermonem ſcilicet eſſe de omnibus determinantibus, quæ ad determinatum conſtituendum requiruntur, idem heic quoque valet: Complexus enim omnium eorum, quæ in determinationem rei influunt, rationem ejus conſtituit ſufficientem. Si aliquod eorum defuerit, nondum, defectu requiſiti, adeſt ratio ſufficiens, niſi quis contradictorie ſtatueret non requiri, quod tamen requiritur, neque ideo adeſſe poteſt determinatum defectu ſcilicet requiſiti.

Hinc eſt quod Leibnitius rationem ſufficientem vocet *Rationem determinantem.* Quæ phraſis, licet in ſe ſit innoxia, ab illa tamen merito abſtinemus, ne quis putet nos, veritatem principii rationis ſufficientis defen- *Ratio determinans Leibnitii.*

 dentes,

dentes, ſimul prædeterminationem Leibnitianam per naturales præparatas cauſſas defendere; Quod tamen quam longiſſime à nobis remotum eſſe volumus.

§. 199.

An poſita ratione ſufficiente ponatur id, quod per eam eſt?

Poſita ratione ſufficiente, ponitur id, quod per eam potius eſt, quam non eſt. Id enim, quod per rationem ſufficientem potius eſt, quam non eſt, per illam intelligitur (§. 83.), & ideo affirmatur, quia affirmatur illa; per illam ergo determinatur (§. 194.), & per conſequens determinati loco eſt (§. 195.). Ipſa vero ratio ſufficiens per determinantia conſtituitur (§. 198.). Sed poſito determinante ponitur determinatum (§. 196.). Poſita igitur ratione ſufficiente, ponitur id, quod per eam potius eſt quam non eſt.

Licet hoc aſſertum in ſe ſit veriſſimum, inde tamen non ſequitur id, quod per rationem ſufficientem ponitur, non eſſe niſi neceſſarium, quum contingentiam quoque habere queat (§. 89.). Sic poſita non ſolum diſtincta repræſentatione deambulationis, tanquam mihi bonæ, ſed & poſitis ſimul facultate non impedita, occaſione, aliisque omnibus ad ambulandum requiſitis, ponitur ambulatio, ſina ulla tamen neceſſitate, vel abſoluta vel phyſica. Neque hoc tibi intellectu diffici-

le

le pono, modo ſcias diſtinguere inter actum compoſitum & diviſum.

Deinde in applicatione hujus propoſitionis ſollicita animi cura videndum eſt, ad quod & quouſque ratio ſit ſufficiens: illa enim, quæ ad poſſibilitatem ſufficit, non vero ad actualitatem, poſita, poni nequit actualitas, quam non determinat, ſed poſſibilitas tantum. Non ergo ſine reſtrictione admittimus hanc theſin: *Ubicunque adeſt ratio ſufficiens, ibi res fit.* Nam ubicunque adeſt ratio ſufficiens ad id, ut actu fiat A, ibi A fit. Ubi vero adeſt ratio ſufficiens ad id tantum, ut A fieri poſſit, A non fit, ſed fieri tantum poteſt. Hinc eſt quod in præſenti propoſitione non dicamus, poſita ratione ſufficiente, poni quodvis, ſed poſita ratione ſufficiente poni id, quod per eam potius eſt quam non eſt. Atque his inſtructi & muniti cautelis, putamus præſentem theſin etiam in applicatione eſſe certiſſimam & ab omni labendi periculo remotiſſimam.

§. 200.

Quæ vel in aliqua re, vel ad illam quomodocunque pertinentia, ſumuntur ut determinata, *Determinationis* nomine veniunt. *Determinatio quid?*

Ita circa perſonam Titii ut determinatum ſumitur, illum poſſidere animam rationalem & corpus organicum, & præterea ad eundem, ut determinatum quid, pertinere cenſemus, certis tempore & loco exiſtere, his & non aliis

aliis parentibus eſſe natum. Omnia ergo hæc determinationes ſunt Titii.

§. 201.

Determinatio interna, externa quid.

Conficitur hinc, aliam eſſe determinationem rei *internam*, aliam *externam: illa* abſolvitur iis, quæ in ipſa re ſumuntur ut determinata; *hæc* iis conſtituitur, quæ ad rem quomodocunque pertinentia, ſumuntur ut determinata.

Ita anima rationalis & corpus organicum ſunt internæ Titii, ſpectati ut hominis, determinationes. Exiſtere autem certo loco, certis parentibus eſſe natum, ſunt determinationes externæ, quæ quidem ad perſonam Titii pertinent, illam tamen non ingrediuntur.

CAPUT V.

DE EXISTENTIA, SEU ACTUALITATE.

§. 202.

An ex poſſibilitate determinetur exiſtentia?

Ex nuda poſſibilitate rei non determinatur ejus exiſtentia. Non exiſtere niſi quod ſit poſſibile (§. 143.), & meram poſſibilitatem (§. 148.) ad exiſtentiam non ſufficere, ſeu, hac poſita vel affirmata, non

Digitized by Google

non poni vel affirmari exiſtentiam evicimus (§. 151.). Ex illa ergo hæc non determinatur (§. 194.).

Non negamus, ſed conſtantiſſimi potius contendimus (§. 154.), dari ens, in cujus poſſibilitate continetur exiſtentia: Sed de illo nulla heic eſt quæſtio, verum de eo unice, an ſola poſſibilitas, absque ulla relatione ad hoc vel illud ens, quæ in nuda non-repugnantia prædicatorum conſiſtit, actualitatem inferat? quod præſenti theſi negandum eſſe evicimus.

§. 203.

Nuda poſſibilitas non ſufficit ad exiſtentiam.

Præter nudam igitur poſſibilitatem aliud adhuc requiritur ad exiſtentiam. Nam ſi aliud deſideraretur nihil, ex ſola poſſibilitate determinaretur exiſtentia, quod modo demonſtratis (§. 202.) repugnat.

Inquiremus ergo, quid præter poſſibilitatem ad conceptum exiſtentiæ formandum deſideretur.

§. 204.

Poſſibile merum agere & pati nequit.

Poſſibile merum & agendi & patiendi aptitudine deſtituitur. Poſſibile merum vocatur, quod poſſibilitatem abſolutam ſine exiſtentia habet (§. 148.), quod itaque unice abſolvitur non-repugnantia notionum

partialium, quæ totalem conſtituunt (§. 135.). Si ergo poſſibile merum aptum eſſet ad agendum vel patiendum, illam poſſideret aptitudinem, quam primum adeſt ejus in mente concipientis idea. Jam vero interna convincimur conſcientia, nos multarum rerum ideas animo formare, quibus tamen ideo agendi vel patiendi aptitudinem non competere novimus. Ex mille aliis, exemplum eſto Mechanicus, qui optime videt ſe non poſſe machinæ, cujus nonniſi poſſibilitatem animo etiamnum concepit, laudatam tribuere aptitudinem, niſi abſurde, i. e. cum propriæ conſcientiæ læſione, dicere vellet machinam poſſe actionem vel paſſionem deſideratam producere, etiamſi adhuc idealiter tantum in intellectu ejus verſetur. Mero igitur poſſibili non competit aptitudo ad agendum vel patiendum.

Supponimus heic actionis & paſſionis notiones confuſas, cuivis cognitas, ſuo loco diſtinctius evolvendas. Neque illis, diſtincte exhibitis, opus etiamnum habemus, ex interna animi conſcientia argumenti noſtri deducentes principium. Ut vero eo fortius de veritate præſentis convincamur propoſitionis, in ſubſidium vocare liceat Theologiam Naturalem, ex qua abunde conſtat poſſibilitates rerum dependere ex intellectu Divino, & in illo radicaliter fundari. Quare ſi poſſibile merum, quod extra intellectum Divinum

vinum non datur, aptum eſſet ad agendum vel patiendum, locum haberent in Deo paſſiones, immo & aliarum rerum actiones, quam Ipſius Dei. Quod, quum ſine multiplici abſurditatum caterva admitti nequeant, omnino eſt rejiciendum. Meræ igitur poſſibilitates aptitudine ad agendum & patiendum deſtituuntur.

§. 205.

Existens agere vel pati poteſt.

Omne exiſtens aptum eſt ad agendum vel patiendum. Anima enim noſtra, penitius ſe examinans, deprehendit ſe, mediante conſcientia ſui, ſentire ſuam exiſtentiam, ſe etiam, quatenus hanc exercet conſcientiam, agere quidpiam. Suæ porro in ideis ſuis ſucceſſionis, quarum non omnium rationem in ſe deprehendit, conſcia, ſentit ſe exiſtentem pati. Hinc vero colligere nequit aliud, quam ſe exiſtentem aptam eſſe ad agendum & patiendum. Neque hoc ex natura mentis, quæ nihil niſi ex præmiſſis colligit, ſtatui poteſt, niſi præmiſſa generali propoſitione: Omne exiſtens aptum eſt ad agendum vel patiendum. Hanc ergo propoſitionem ex natura mentis veram eſſe non poſſumus non agnoſcere.

Idem quoque, brevi inſpectione, res, quæ exiſtunt, percurrendo facile patet. Quicquid exiſtit, aut finitum eſt, aut infinitum. Infinito agendi competere potentiam, ab omni patien-

patiendi facultate plane remotam, extra dubium ponunt ſumma Ejus independentia & omnipotentia. Entium vero finitorum quodvis, ſive angelum, ſine hominem, ſive corpora, eademque vel animata vel inanimata, debitæ ſubjicimus conſiderationi, nullum profecto deprehendere licebit agendi vel patiendi aptitudine deſtitutum.

§. 206.

Num agendi vel patiendi aptitudo exiſtentiam inferat?

Quod aptum eſt ad agendum vel patiendum, illud exiſtit. Aptitudinem ad agendum, vel patiendum, ponere aliquid omnes ultro concedunt. Non itaque de nihilo (§ 78.), ſed vi oppoſitorum, de eo, quod aliquid eſt, prædicatur (§. 77.). Valet ergo de conceptibili (§. 75.) & proinde de eo, quod nullam involvit repugnantiam (§. 73.), conſequenter de poſſibili (§ 124.). Hoc vero quum merum ſit, vel non-merum (§. 149.), illudque aptitudine ad agendum vel patiendum deſtituatur (§. 204.); liquet nihil eſſe aptum ad agendum, vel patiendum, niſi quod ſit poſſibile non-merum, h. e. niſi præter poſſibilitatem exiſtentiam poſſideat (§. 148.).

Idem confirmat experientia ubivis obvia, ſine ulla indicans exceptione, nihil laudata gaudere aptitudine, niſi quod exiſtat. Noluimus tamen hanc theſin experientia externa munire,

munire, quum ex principiis antea poſitis ſponte fluat.

§. 207.

Sic demum intelligimus, quid præter poſſibilitatem ad exiſtentiam requiratur, nihil ſcilicet aliud, quam aptitudo ad agendum vel patiendum, qua poſita, ponitur exiſtentia (§ 206), & hac viciſſim poſita, ponitur illa (§. 205.). Recte ergo, ut Logica docet, definimus *Exiſtentiam*, vel *Actualitatem* per illud poſſibilitatis complementum, quo apta eſt ad agendum, vel patiendum. *Exiſtentia quid?*

Dici vix poteſt, quam fœcunda ſit hæc exiſtentiæ notio & quam applicata ſit praxi: Quamprimum enim evicimus aliquod ens agere vel pati, ſtatim evicta ejus eſt exiſtentia. Hinc ex creatione, quam Deus præſtitit, exiſtentiam Dei infert Theologia Naturalis. Ex operationibus Angelorum, quarum mentionem facit Scriptura S., illorum exiſtentiam deducit Theologia revelata. Ex cogitatione exiſtentiam mentis intulit *Carteſius*, juxta illud notiſſimum: *cogito*, *ergo ſum*. Ex operationibus & paſſionibus corporum, eorum exiſtentiam colligit phyſicus. Verbo, omnium rerum exiſtentiam, ex earum aptitudine ad agendum vel patiendum, communiſſimo conſenſu dijudicare ſolemus.

Dicimus vero exiſtentiam eſſe poſſibilitatis complementum, duplicem ob cauſſam: primum

mum ut ſignificemus nihil exiſtere niſi quod ſit poſſibile (§. 143), deinde ut indigitemus, præter nudam poſſibilitatem aliud quid ad exiſtentiam requiri (§. 203.). Putant nonnulli, Illuſtrem *Wolfium* §. 1-4. Ontol. ſequentes, exiſtentiæ definitionem abſolvi mentione complementi poſſibilitatis. Non quidem male, modo in qua re conſiſtat illud complementum determinetur; alioquin enim notio exiſtentiæ caſibus obviis vix ac ne vix quidem applicari poſſet.

Tandem obſerves notanter nos dixiſſe, exiſtentiam eſſe illud poſſibilitatis complementum, *quo apta eſt ad agendum*, *vel patiendum*, disjunctive, non vero, cum *Bütnero* in Phil. Pr. §. 6. p. 121. copulative, *quo apta eſt ad agendum & patiendum*. Exiſtit enim ens infinitum, ſummæ independens & potens, omnique patiendi potentia, ut ei indigna, carens. Neque ullo legitimo argumento cum agendi aptitudine ſimul in exiſtente conjungendam eſſe patiendi, & viciſſim cum hac illam ſemper eſſe copulandam demonſtrabitur unquam.

§. 208.

Exiſtentia non eſt nova poſſibilitas.

Eſt exiſtentia poſſibilitatis complementum (§. 207.); Omne vero poſſibile exiſtere poteſt (§. 141.). Exiſtentia ergo novam poſſibilitatem poſſibilitati non addit, ſed præſtructam complet tantum.

Non

Non levis inter Scholaſticos agitata eſt controverſia, an exiſtentia addat novam poſſibilitatem, novam realitatem? & an reale detur inter poſſibilitatem & exiſtentiam diſcrimen? Has quæſtiones, aliis affirmatas, aliis negatas, aliis cum diſtinctione reſolutas, expendendi heic non eſt locus, qui in Cap. de Neceſſario & Contingente dabitur. Unum tamen contra noſtram aſſertionem non contemnendum & adferre & reſolvere placet dubium: *Exiſtentia aut eſt aliquid, aut nihil; non nihil, quia illud exiſtere nequit. Ergo aliquid, conſequenter poſſibile. Novam itaque infert exiſtentia poſſibilitatem.* Fatemur exiſtentiam eſſe aliquid, non tamen eſt novum aliquid, ſed prius illud cum ſuo complemento; non ergo novam infert exiſtentia poſſibilitatem. Sin vero nihilo ſecius urgeas eam eſſe novam, ego viciſſim urgebo in allato argumento minus eſſe in concluſione quam fuit in præmiſſis: Nam exinde quod exiſtentia ſit poſſibilitas, inferre conaris illam eſſe novam poſſibilitatem, quum tamen prius non eviceris, neque evincere poſſis exiſtentiam eſſe poſſibilitatem, à poſſibilitate, quam complet, diverſam.

Dubii reſolutio.

§. 209.

Ceterum ex definitione exiſtentiæ (§. 207.) colligimus omne exiſtens aptum eſſe ad agendum, vel patiendum, ſuamque exiſtentiam teſtatam facere vel actione vel paſ-

Quomodo exiſtens ſuam teſtetur exiſtentiam.

ſione

ſione ſigillatim, vel utraque ſimul, ſed ſucceſſive: Neutrum ex ſuppeditata exiſtentiæ notione determinari.

Hinc vulgus, quamvis diſtincta exiſtentiæ notio ei non obverſetur, ſolet tamen ex confuſa, quæ menti ejus inſita eſt, de rebus exiſtentibus judicium laturus, non ad actionem unice, ſed etiam ad paſſionem attendere, immo in hac ſola, pro exiſtentia rei probanda, haud raro acquieſcere. Senſum itaque deſerunt communem, qui arbitrantur, exiſtentiam conſiſtere in continuo agendi conatu, ſeu perpetua tendentia poſſibilitatem teſtatam reddendi. Atque hinc deducere volunt omnem ſubſtantiam, h. e. omnem eſſentiam exiſtentem, vi agendi eſſe inſtructam. Fateor exiſtens aliquo indicio debere teſtatam facere ſuam exiſtentiam, alioquin neque à Deo, neque ab homine dignoſceretur poſſibilitas ab exiſtentia; hinc tamen minime gentium ſequitur, illud indicium agendi conatu abſolvi, quum ſola patiendi aptitudo eidem ſufficiat fini: Neque aliud quidpiam, niſi contra verioris Logicæ præcepta, ex definitione exiſtentiæ, quam ipſi adverſarii nobiscum approbant, colligi poteſt.

Error notatur.

§. 210.

Exiſtens, non exiſtens quid?

Subjectum, quod exiſtentiam habet, *Exiſtens* dicitur, ſeu, quod illud poſſibilitatis ſuæ poſſidet complemen-

plementum, quo aptum eſt ad agendum vel patiendum. *Non-exiſtens* contra, quod illo ſuæ poſſibilitatis deſtituitur complemento.

Terminum abſtractum, legitime definitum, ſine vitio ingredi definitionem termini concreti, docet Logica. Ex præſtructa ergo exiſtentiæ definitione (§. 207.), recte heic in concreto definiuntur exiſtens & non-exiſtens.

§. 211.

Exiſtentis & non-exiſtentis poſſibilitas.

Manifeſto hinc colligimus tam exiſtens, quam non-exiſtens, eſſe poſſibile quid: illud eſſe poſſibile non-merum, hoc vero poſſibile merum. Omne exiſtens eſſe poſſibile antea evicimus (§. 143.). Omne vero non-exiſtens, quatenus deſtituitur poſſibilitatis ſuæ complemento (§. 210.), habeat neceſſe eſt poſſibilitatem ſibi competentem. Eſt ergo omne non-exiſtens poſſibile quid, ſed ſine exiſtentia (§. 210.), adeoque non niſi poſſibile merum (§. 148.). Exiſtens vero, quia exiſtentia gaudet (§. 210.), eſt poſſibile non-merum (§. 148.).

Solvitur objectio.

Neque eſt heic objectioni locus: *Exiſtens & non-exiſtens per notiones ſuas ſibi opponuntur, & oppoſitorum oppoſita eſt ratio: Eſt vero exiſtens poſſibile; Ergo non-exiſtens erit impoſſibile.* Nam opponuntur qui-

dem inter ſe exiſtens & non-exiſtens, non tamen qua poſſibilitatem, quæ utrobique eadem eſt, ſed qua complementi ejus vel præſentiam, vel defectum. Et quamvis abſolute impoſſibile exiſtere nequeat (§. 134.), non-exiſtens tamen, quatenus dicto modo opponitur exiſtenti, etiam ſecundum receptum loquendi morem, ad poſſibilia unice referimus.

§. 212.

Excluſio medii inter exiſtens & nonexiſtens.

Inter poſſibile merum & non-merum non dari medium (§. 149.), omneque quod aliquid eſt eſſe poſſibile vel merum, vel non-merum (§. 150.), demonſtravimus. Quam ob rem neque *inter exiſtens & non-exiſtens datur medium, & omne quod aliquid eſt, eſt vel exiſtens, vel non-exiſtens* (§. 211.).

§. 213.

Cujus eſt agere vel pati.

Ex data exiſtentis & non-exiſtentis definitione (§. 210.), per modum immediatæ fluit conſequentiæ, *actiones & paſſiones non eſſe niſi exiſtentium, non-exiſtentis vero nullas eſſe actiones, nullas paſſiones.*

Nihil privativum.

Theologis & quibusdam Philoſophis non-exiſtens *nihil* dicitur, ſenſu ſcilicet privativo, quatenus defectu exiſtentiæ,

quam

quam habere poteſt, laborat, non autem ſenſu negativo, quem antea explicuimus (§. 75.), & quem nos vitandæ confuſionis gratia ſemper retinebimus. In eo conveniunt nihilum negativum & privativum, quod utrique operationes denegentur, illi ob abſolutam repugnantiam ad operandum, huic ob reſpectivam. Contra veritatem præſentis conſectarii objicitur: *Finem agere, dum agentem ad hoc vel illud perficiendum movet; finem vero non exiſtere, antequam agens ſua actione illum obtinuit. Non-exiſtentis ergo dari actiones.* Confunditur heic ipſe finis, quatenus ultimus eſt in exſecutione, cum ejus repræſentatione, quatenus primus in intentione dicitur. Non ille proprie agit & movet, ſed hæc, quæ in intellectu repræſentantis vere exiſtit, haud aliter ac recordatio factorum, non amplius exiſtentium, nos afficit & movet, vel etiam ut extremi judicii cogitatio invitat homines ad pœnitentiam, vitæque probitatem. Sic ratione decreti divini & meriti, morali æſtimatione, ſemper exiſtentis, *Chriſtus* dicitur *Agnus occiſus ab origine mundi*: Cauſſa ſalutis Patrum in V. T. ac omnium fidelium in novo fœdere. Id quod contra Socinianos obſervamus, qui fingunt Chriſti meritum, quod in V. T. phyſice non extitit, non potuiſſe tunc ſalutis eſſe cauſſam.

Objectioni occurritur.

Sociniani notantur.

§. 214.

Non-exiſtens ſe ipſum præſtare

Non-exiſtens ...

 nequit

Digitized by Google

ſtens ſe ipſum præſtare nequit exiſtens. *nequit exiſtens, ſeu: non-exiſtens rationem exiſtentiæ ſuæ præſtandæ ſufficientem in ſe ipſo habere nequit.* Etenim præſtare exiſtentiam, ut nemo non intelligit, actionem infert, non-exiſtenti denegandam (§. 213.). Non-exiſtens ergo ſeipſum præſtare nequit exiſtens.

Alia ratione idem ſic oſtenditur: Eſt non-exiſtens poſſibile merum (§. 211.), quod ſi rationem exiſtentiæ ſuæ exhibendæ ſufficientem in ſe ipſo haberet, non eſſet nonexiſtere (§. 199.), quod tamen indoli meræ poſſibilitatis e diametro adverſatur (§. 148.), nunquam ergo aſſumendum (§. 53.).

Rem heic loquor omnibus & ſingulis notiſſimam; unde apud veteres Philoſophos axiomatis loco obtinuit: *Nihil eſt cauſſa ſui ipſius.* De cujus ulteriori explicatione uſu & abuſu in Parte Metaphyſices altera, Capite de Cauſſa & Cauſſato.

§. 215.

Ratio exiſtentis non eſt in non-exiſtente. *Si aliquid exiſtit, ejus exiſtentiæ ratio ſufficiens contineri nequit in non-exiſtente.* Continere in ſe rationem ſufficientem exiſtentiæ alterius, nihil involvit aliud, quam ſua activitate alterum producere. Quare ſi in non-exiſtente daretur ratio ſufficiens exi-

ſtentiæ

ſtentiæ alterius, non-exiſtenti tribueretur actio, vel operatio, quod tamen implicat (§. 213.).

Eſt hæc propoſitio inter notiones communes, cuivis ſatis obvia, indeque nemo noſtrum dicit hominem v. gr. nondum natum interfeciſſe Abelem: Inſtrumentum bellicum nondum exiſtens concuſſiſſe mœnia Trojæ, & alia ejusmodi innumera.

Ceterum obſerves præſentem propoſitionem hoc etiam exprimi poſſe modo: *A non-exiſtente effici, vel produci nequit quidpiam: A nihilo privativo nihil efficitur.* Ubi particula *a* vel *ab*, quem ad modum ante indicavimus (§. 79.), cauſſam denotat efficientem.

§. 216.

Sed in exiſtente.

Quicquid exiſtit, rationem ſufficientem ſuæ exiſtentiæ aut in ſe ipſo habet, aut in alio exiſtente. Quicquid exiſtit, eſt poſſibile (§. 143.), adeoque aliquid (§. 138.). Ejus itaque dabitur aliqua ratio ſufficiens (§. 88.). Sed aut in exiſtente, aut in non-exiſtente (§. 212.). Non hoc (§. 215.); Ergo illud. Seu, ratio ſufficiens, cur aliquid exiſtit, datur in exiſtente. Aut itaque in eodem ipſo, cujus ratio quæritur, aut in alio exiſtente (§. 63.).

Certum quidem eſt, nihil poſſe ſe ipſum præſtare exiſtens (§. 214.), ſed hoc longe aliud

Digitized by Google

eſt quam continere rationem exiſtentiæ in ſe ipſo. Illud negat aliquid eſſe ſui ipſius cauſſam, hoc ponit exiſtentiam in abſoluta poſſibilitate contineri: Illud valet de nullo ente, hoc de ſolo Ente neceſſario locum habet.

§. 217.

Omnimode & nonomnimode determinatum quid?

Determinatum diximus eſſe id, quatenus ei cum certitudine quid competit (§. 192.). Quare, quum non repugnet aliquid uno reſpectu eſſe determinatum, altero indeterminatum, vel etiam omni reſpectu determinatum, jure diſtinguimus determinatum in *omnimode determinatum*, & *non omnimode*, ſeu, *ſecundum quid determinatum. Illud* eſt, in quo nihil datur indeterminati, quo nondum determinato, cetera, quæ ei competunt, actu eſſe nequeunt. *Hoc* vero eſt, in quo aliquid reperitur indeterminati, quo nondum determinato, cetera, quæ ei competunt, actu eſſe nequeunt.

Ne quid obſcuritatis in his definitionibus crepent, abſtractis animo formandis, nondum adſueti, illuſtrationis gratia perſpicuum addere lubet exemplum; *Leibnitium* ut omnimode determinatum quid concipimus, ei enim competunt non ſolum determinationes eſſentiales, anima & corpus, quibus notio ſpeciei humanæ abſolvitur, verum etiam aliæ determinationes internæ accidentales, immo

immo & externæ, quibus diſtinguebatur Leibnitius ab aliis hominibus. Scilicet determinatam habebat corporis ſtaturam & formam, determinata ejus erat eruditio & virtus; Ex certis parentibus, certis tempore & loco natus erat; certo educatus modo; determinatum habebat vitæ tempus, loco exiſtebat determinato. Et quis dicat Leibnitium, ſi aliquid horum ſive ſimilium indeterminati ponatur, actu ipſo ceteras poſſediſſe determinationes. Hinc *Canzius* in Ont. Polem. p. m. 172. recte dicit, *omnimode determinatam eſſe rem*, quando in illa eſt ratio decidendi omnem quæſtionem, quæcunque tandem de ea poteſt formari. Sic quærenti an Leibnitius fuit eruditus vel minus? pius vel impius? magnus vel parvus? hoc vel alio loco exiſtens? & ejusmodi infinita alia, ex determinationibus Leibnitii internis vel externis dabitur reſponſio. Quatenus vero quid omnimode determinatum non eſt, eatenus indifferens eſt ad hoc vel illud recipiendum (§. 188. in not.), eatenus etiam in eodem non invenitur, ex quo ad datam quæſtionem poſſit reſponderi. Sic ſi conſideratur triangulum, tantum ſecundum notionem Geometricam, non eſt aliquod omnimode determinatum, nam per eam indifferens eſt an exiſtat vel minus, à quo & ex qua materia deſcribatur, quo loco, quo tempore, & quæ hujus rei ſunt alia.

§. 218.

Quicquid exiſtit, vel actu da- *Exiſtens tur*

Q 4

quale? *tur, omnimode eſt determinatum.* Si enim quid ſine omnimoda determinatione actu daretur, in eo concipiendum eſſet aliquid indeterminati, quo certo modo determinari neceſſe eſt, ut cetera, quæ ei competunt, actu eſſe queant (§. 217.): Quo itaque nondum determinato, ceteris, quæ rei propoſitæ conveniunt, actu non daretur locus, conſequenter nec ipſa res exiſteret. Quod, quia hypotheſin evertit, admitti nequit (§. 52.). Quicquid ergo exiſtit, vel actu datur, omnimode eſt determinatum.

Axiomatis loco merito aſſumitur hæc propoſitio, vi definitionis omnimode determinati, ex qua, ut vides, unice fluit. Unde exemplum, prius allatum, huc etiam quadrat. Nam ut homo exiſtat, habeat neceſſe eſt omnes determinationes, ibi enumeratas (§. 217. not.), quarum ſi vel unica deficeret, impoſſibile omnino eſſet hominem ut exiſtens concipere.

§. 219.

Omnimode determinatum exiſtit. *Quicquid eſt omnimode determinatum, exiſtit.* Nam quod omnimode determinatum eſt, nihil continet indeterminati, quo nondum determinato, cetera, quæ ei competunt, actu eſſe nequeunt (§. 217.), conſequenter neque indeterminatum eſt quoad agendi vel patiendi aptitudinem, ſed illam determinate

nate poſſidet, utpote ſine qua ceteris determinationibus nulla competeret actualitas (§. 207.). Exiſtit ergo omnimode determinatum (§. 206.).

§. 220.

Spuriæ definitiones exiſtentiæ notantur.

Poſtquam vidimus veram exiſtentiæ definitionem, cum ſuis, quæ ſponte inde fluunt, conſectariis, majoris adhuc evidentiæ cauſſa, ſimul notabimus ſpurias exiſtentiæ notiones, ut noſtra eo felicius & ſecurius in ſequentibus utamur, & ut eo promtius falſum à vero diſcernere diſcamus. *Qui dicunt exiſtentiam eſſe id, per quod aliquid extra ſuas cauſſas ponitur, vel per quod aliquid deſinit eſſe intra ſuas cauſſas, nullam tradunt exiſtentiæ definitionem.* Duplici nomine peccat hæc, ſi ita diceuda ſit, definitio contra verioris Logicæ præcepta. Nam α) definitum tacite ingreditur ipſam definitionem: Cauſſa enim definitur per principium, ex vel à quo dependet exiſtentia rei diverſæ. Poſita igitur ſecundum Logicos definitione cauſſæ loco definiti in definitione exiſtentiæ, hæc erit id, per quod res ponitur extra principium, ex vel à quo dependet exiſtentia rei diverſæ, vel, per quod deſinit eſſe intra ejusmodi principium. Ad oculum jam patet in memoratis exiſtentiæ definitionibus

bus ipſum contineri definitum, illasque proinde logice eſſe nullas.

β) Eo quoque contra Logices præcepta peccant aſſumtæ definitiones, quod definitum latius pateat definitionibus, h. e. quod ſua deſtituantur univerſalitate. Illud enim, ſecundum communem loquendi morem, deſinit eſſe intra alterum, vel extra alterum eſſe dicitur, quod exiſtentiam habet ab altero illo diverſam. Illud igitur per memoratas exiſtentiæ definitiones exiſteret, quod actualitatem à cauſſa diverſam obtinet, vel, quod à cauſſa ita eſt conſtitutum, ut diverſam actualitatem ab ipſarum actualitate obtineat. Sunt ergo allatæ definitiones particulares, entibus unice finitis, quæ cauſſam agnoſcunt, minime autem Enti infinito, & à quavis cauſſa independenter exiſtenti, applicabiles. Hinc *Svarezius*, cui alioqui placet definire exiſtentiam per actum, quo conſtituitur eſſentia extra ſuas cauſſas, fatetur Diſp. Met. XXX. T. II. illam entibus tantum creatis competere, quod multis porro in locis Diſput. XXXI. Tom. cit, haud obſcure indicat. Idem ante *Svarezium* perſpexit *Fonſeca* T. I. comment. in Ariſtot. Metaph. L. IV. Cap. 2. Q. 3. p. m. 754. dicens *eſſe extra cauſſas*, nihil ſignificare aliud, *quam accepiſſe exiſtentiam à cauſſa ſua & nondum amiſiſſe*; has vero formulas eſſe *conjunctas cum actuali exiſten-*

exiſtentia creaturarum. Nihilo tamen ſecius putat *Scheiblerus*, qui L. IV. cap. 15. Art. VI. approbat Svarezianam exiſtentiæ definitionem, illam quoque ad exiſtentiam divinam applicari poſſe contendens, modo verba, *eſſe extra cauſſas*, non intelligantur *poſitive*, quaſi omne actuale conſtitueretur per influxum cauſalem, ſed *negative*, hoc ſenſu, *quod ens exiſtens non lateat intra cauſſas.* Fruſtraneam vero eſſe hanc explicationem, quivis ultro intelligit, quum τῷ *eſſe extra cauſſas*, vel τῷ non *latere intra cauſſas*, eadem, ſecundum receptum terminorum uſum, reſpondeat notio. Neque præterea dicere poſſumus, aliquid non latere intra ſuas cauſſas, niſi tacita minimum illius rei fiat relatio ad cauſſam, quæ tamen non niſi de entibus creatis prædicari poteſt. His accedit definitionem, qua dicunt exiſtentiam eſſe actum, ſecundum quem res eſt extra cauſſas, non formalitatem exiſtentiæ, ut obſervat *Fonſeca* l. c. h. e. non ipſam internam exiſtentiæ naturam involvere, ſed ſolum indicare quam relationem externam habeat ad cauſſam; quare & hoc nomine contra indolem bonæ definitionis peccat, quæ non externis, ſed definito internis abſolvitur notis.

§. 221.

Melius quidem rem ſuam agere *Idem conviden-*

tinuatur. videntur, qui exiſtentiam per id definiunt, quo res actu & nemine cogitante in hac rerum univerſitate præſens eſt ac exiſtit, vel, quo ens citra omnem intellectus noſtri operationem in rerum natura vere & actu poſitum eſt. Videntur, inquam; re tamen ipſa in eadem cum prioribus (§. 220.) *incidunt incommoda.* Oppido enim in his definitionibus explicatur idem per idem. Exiſtere, actu eſſe, actu dari, ſunt, ut quivis intelligit, æque obſcura ac exiſtentia ipſa, immo, nonniſi hujus ſynonyma, unde promiſcue dicere ſolemus, dicunt & ipſi harum definitionum patroni: *Ens exiſtit, ens vere in rerum natura datur, actu eſt.* Jubet vero Logica, in condendis definitionibus, removendas eſſe notas obſcuras, idem ſonantes. Memoratæ ergo definitiones nullæ ſunt, neque explicationum nomine dignæ, quum illæ ſemper debeant eſſe re explicanda notiores. Deinde per univerſitatem & naturam rerum, ſecundum communem loquendi morem, non intelligere ſolemus aliud, quam ipſum mundum & res ad eum pertinentes. Definitiones igitur iſtæ particulares ſunt, res unice mundanas & creatas, minime vero Increatum Ens, ſuo comprehendentes ambitu. Sunt itaque per conſequens ſuo definito anguſtiores. Evitant quidem hoc incommodum, qui, exterminando voca-

vocabula *univerſitatis*, vel *naturæ rerum*, dicunt exiſtentiam eſſe id, *quo res citra omnem intellectus operationem*, vel, *nemine cogitante vere datur*; retinent tamen, quod primo loco indicavimus, vitium, in termini ſynonymici uſurpatione conſiſtens, & ſimul cum prioribus (§. 220.) in eo etiam peccant, quod ipſam exiſtentiæ naturam non exponant. Id enim, ſi genuina exiſtentiæ notio deſideratur, niſi omnia me fallant, quæritur, in qua re conſiſtat, hoc eſt, quibus internis notis characteriſticis internoſcatur exiſtentia, quæ in memoratis definitionibus per externam, quam habet ad intelligentem vel cogitantem, relationem deſcribitur, non vero ex internis explicatur notis. Præterea neminem, niſi extreme Scepticum, vel Egoiſtam, tantæ concipere licet hebetudinis, vel, ſi placet, ignorantiæ, ut neſciat vel dubitet res externas eſſe extra ſuum intellectum. Quærenti igitur, ex occaſione dum videt lapidem v.gr. exiſtere, quid ſit exiſtentia? ſi reſponderem, eſt id, quo res citra omnem intellectus operationem vere datur, ſeu, in rerum natura vere & actu poſita eſt; nihil, in quo deſiderium ejus acquieſceret, quod etiam ille antea non intelligeret, & tacite ſub ſua quæſtione ſubintellectum vellet, proferrem. De cetero ſunt ſæpius dictæ definitiones applicationi non ſatis accommodæ;

prius

prius enim, quam adhiberi poſſunt, diſtincte evolvendum eſt, quid denotet τὸ *eſſe citra intellectus operationem*, quod facturus vereor ne ad id, quod definiendum erat, recedat.

Abſit itaque ut cum Erh. *Weigelio* in exiſtentiæ Divinæ demonſtratione, virtutum ſpeculo annexa, p. 4. *Hebenſtreitio* in Phil. Prim. p. m. 135. *Holmanno* in Phil. Prim. aliisque, has exiſtentiæ definitiones, jam ſatis confutatas, retineamus.

§. 222.

Hinc intelligi arbitror, cur neque hæ exiſtentiæ definitiones ſint admittendæ: Exiſtentia eſt *eſſentiæ entis actualitas*, ſeu, eſt *eſſentia in actu conſtituta*, vel, *ultima rei actualitas*: Actualitas enim & τὸ in actu conſtitutum, nullam clariorem & diſtinctiorem ipſo difinito ſubminiſtrant ideam. Nec mirum; ſunt, ut modo notavi (§. 221.), definiti nonniſi ſynonyma, quibus nulla condi debet definitio.

§. 223.

Neque placet nobis eorum aſſertio, qui dicunt exiſtere rem, quæ repræſentari poteſt, neque tamen ipſa eſt repræſentatio, & idcirco exiſtentiam eſſe rei repræſentabilis cum repræſentatione, ab ipſa tamen diver-

diverſæ, *convenientiam*. Fateor mere poſſibilia non exiſtere niſi in concipiente, ſeu repræſentante; fateor nihil repræſentari niſi quod ſit repræſentabile, vel poſſibile; largior itaque eatenus dari convenientiam inter repræſentationem & rem repræſentabilem; concedo denique rem repræſentabilem non eſſe ipſam repræſentationem, & per conſequens illam ab hac eſſe diverſam. Non ideo tamen admittendam arbitror hanc exiſtentiæ definitionem, quum in eo cum mox (§. 221.) improbata conveniat, quod nullum internum exiſtentiæ characterem exhibeat, neque ſatisfaciat quærenti ex occaſione, dum videt v. gr. domum exiſtere, & à ſua repræſentatione diverſam, quid ſit exiſtentia? Accedit hanc definitionem ſuo in applicatione deſtitui uſu, niſi diſtincte explicetur quid ſit eſſe diverſum à repræſentatione, vel, quid ſit eſſe extra repræſentationem. Valde dubito hujus phraſeos dari poſſe explicationem non recurrendo vel ad idem, quod erat explicandum, vel ad noſtram exiſtentiæ notionem.

Inter recentiores *Schubertus* in ſua Metaph. §. 73. hanc defendere conatur exiſtentiæ definitionem, alia tamen, præter modo examinata, in robur ſuæ ſententiæ non adfert argumenta, ulteriori ergo illius ſententiæ examine non indigemus.

§. 224.

§. 224.

Neque eorum favemus ſententiæ, qui definiunt exiſtentiam per id, quo aliquid eſt extra nihil. Quoniam enim nihil in ſenſu non negativo, ſed privativo heic ſumitur, quo non-exiſtens (§. 213.), & per conſequens merum poſſibile denotat (§. 211.); nihil aliud eſt ac ſi dicerent, exiſtentiam eſſe id, quo aliquid eſt extra meram poſſibilitatem, ſeu quo aliquid præter meram poſſibilitatem habet aliquid amplius. Non male quidem, nam eandem & nos tuemur ſententiam (§. 203), inſufficienter tamen ad exiſtentiæ tradendam definitionem, qua ſine dubio indicare debemus, quodnam ſit, quod præter meram poſſibilitatem ad exiſtentiam requiritur, & quod in hac exiſtentiæ notione non exprimitur. Potiori ergo jure hac omiſſa, retinemus noſtram, quæ internas exiſtentiæ notas characteriſticas clare & perſpicue indicat (§. 207.).

Præter priorem illam, quam mox repudiavimus (§. 221.), & hanc habet exiſtentiæ notionem *Hebenſtreitius* l. c. qui rectiſſime urget, creaturas ante ſui creationem & exiſtentiam fuiſſe nihil, ſenſu ſcilicet privativo, poſt creationem vero eſſe extra nihil; hinc tamen non ſequi vidimus, exiſtentiæ indolem exprimi, ſi dicamus eam eſſe id, quo aliquid eſt extra nihil.

§. 225.

§. 225.

Putant alii exiſtentiam accurate definiri non poſſe ob ſuam univerſalitatem, genus & differentiam ſpecificam, quæ neceſſaria omnis accuratæ definitionis requiſita exiſtimant, non admittentem. Sed hi iidem ſunt, qui univerſaliorem non dari conceptum arbitrantur, quam qui circa actualia verſetur. Falſam vero eſſe hanc opinionem mox declarabo. Extra dubium etiam ponunt antecedentia poſſibilis notionem, quam dedimus (§. 124.), tam univerſalem eſſe, ut ſub ſe comprehendat poſſibile merum & nonmerum (§. 148.) h. e. non-exiſtens & exiſtens (§. 211.), tanquam duo genera inferiora, quorum cujuslibet notio completa, quæ definitione exprimi debet, ut ex Logicis liquet, genere & differentia ſpecifica, quæ hoc loco cum differentia generica coincidit, abſolvitur. Exiſtentia ergo definiri poteſt per genus & differentiam ſpecificam. Immo in noſtra definitione (§. 207.) hæc duo occurrunt requiſita: *Poſſibilitas* enim generis obtinet locum, *completa aptitudine agendi vel patiendi* differentiam conſtituit ſpecificam, qua a mera poſſibilitate, altera illa poſſibilis in genere ſpecie, accurate & ſufficienter diſtinguitur (§. 204.). Falluntur itaque, qui ex allegatis bonæ definitionis re-

An exiſtentia definiri poſſit.

R quiſi-

quiſitis opinantur exiſtentiam definiri non poſſe.

Ceterum an omnis definitio, logice bona, genere & differentia ſpecifica ſemper abſolvatur, alia eſt quæſtio, quæ ad præſens non pertinet inſtitutum; Uno tamen alterove verbo heic annotare ſufficiat; in Logicis nunquam demonſtrari poſſe, hæc duo requiſita quamvis ingredi debere definitionem, ſed ſolum ſpeciei & generis inferioris definitiones memoratis non carere poſſe notis, unde nonniſi inepte, impingendo videlicet in Logices præcepta, infertur cuivis definitioni hæc competere requiſita, genusque ſupremum, quod nulli ſubeſt ſuperiori, definiri non poſſe. Præter conceptum entis, quo non datur univerſalior, omnes reliqui, eidem ſubordinati, genere & differentia ſpecifica abſolvuntnr. Si ergo univerſaliter verum eſſet, quod tamen non concedimus, omnem definitionem his contineri criteriis, à definitionis rigore non niſi Ens ſupremum exciperetur, minime vero exiſtens, quod ſub illo, generis inferioris loco, ſubordinatur.

Caput VI.

De ENTE ET EJUS OPPOSITO NON-ENTE.

§. 226.

Ens quid? Præmiſſis, quæ ad notionem Entis plenius intelligendam faciant,

Digitized by Google

ant, in offenſo jam pede ad illius pergimus expoſitionem. Eſt vero *Ens* id, cui exiſtentia non repugnat, ſeu, quicquid exiſtere poteſt, ſive exiſtat, ſive minus.

Ita roſa, æſtate effloreſcens, ens eſt; nam exiſtentia ei non repugnat, quia actu exiſtit. Nec minus roſa, hyeme in ſemine deliteſcens, verno demum proditura tempore, ens eſt, quia ei non repugnat exiſtentia.

Innatam eſſe hanc entis ideam antea probavimus (§. 9.), & ſimul evicimus innatam principii contradictionis naturam (§. 52.); ex quo idea poſſibilis dependet (§. 124.): oſtendimus quoque exiſtentiæ ideam menti humanæ impreſſam eſſe (§. 205. 207.). Quare de novo hinc fluit, entis conceptum, in quo ſine ulla contradictione exiſtens & poſſibile conjunguntur (§. 141. 211.), innatum eſſe, ſuaque ideo gaudere certitudine. Sed ut magis pateat, entis conceptum vere à nobis eſſe expreſſum, contra negantes, & ſimul neſcientes diſtincte evolvere, quod intimiori animi ſenſu concluſum tenent, pluribus id oſtendere conabimur. *Innata ideæ entis origo.*

§. 227.

Ens, prout eſt Objectum Metaphyſices, in ea ſumi debet latitudine, ut ſub ſe comprehendat & actualia & mere poſſibilia, & idcirco recte definitur per id, cui exi- *Data entis definitio demonſtratur.*

ſtentia

ſtentia non repugnat. Dubio caret, fatentibus id adverſariis, Metaphyſicam tradere debere univerſaliſſima omnis cognitionis noſtræ principia, indeque Reginam & Principem omnium diſciplinarum vocari. Jam vero conſtat nos non de exiſtentibus ſolum, verum etiam de præteritis & futuris, immo & futuribilibus, judicia & rationes inſtituere, harumque rerum ſcientiam in ſe eſſe poſſibilem; non enim niſi poſſibilia objecti loco habet. Tradere ergo debet Metaphyſica hujus etiam ſcientiæ principia. Sed ſi objectum ejus, Ens, tantum ad actualia reſtringeretur, quia objectum ipſam adæquare debet diſciplinam, non exhiberet niſi principia ſolis actualibus communia, adeoque nec eſſet omnium univerſaliſſima diſciplina. Quod tamen adverſariorum hypotheſi è diametro repugnat. Largiuntur deinde, qui contrariam defendere ſatagunt ſententiam, entis conceptum tam univerſalem eſſe, ut nulli ſuperiori ſubſit generi. Sed ſi actuale vel exiſtens entis abſolveret conceptum, haberet ſuum genus ſuperius, poſſibile ſcil. in genere, prout mox oſtendimus (§. 225.). Non ergo exhiberet univerſaliſſimum conceptum, quod propriam adverſariorum iterum tollit aſſertionem.

Et quid multis? certum eſt, dari conceptum communem ab actuali & mere poſſibili ab-

li abſtractum; quum uterque in eo conveniat, quod ſit poſſibile (§. 211.), & proinde, quod exiſtentia ei non repugnet (§. 141.). Neque hoc conceptu datur alius magis univerſalis, quum inter actuale & non-actuale, ſeu merum poſſibile, non detur medium (§. 212.). Inter omnes vero conſtat ens eſſe objectum Metaphyſices, illamque univerſaliſſimam recte ſalutari diſciplinam. Ens ergo, prout eſt Metaphyſices objectum, recte definitur per id, cui exiſtentia non repugnat.

Non levis circa hanc rem inter Scholaſticos agitata eſt lis: quidam contenderunt *ens* eſſe participium verbi ſubſtantivi *ſum*, quemadmodum ὤν Græcorum participium eſt verbi εἶναι; participia autem denotare actum ſuorum verborum, ut currens eſt qui actu currit, legens, qui actu legit, & ideo ſub entis vocabulo non comprehendi niſi actualia. Hi *Participialiſtæ* vocati ſunt, quemadmodum ens eorum *Ens Participiale* nuncupatur. His extreme adverſantur *Nominaliſtæ*, defendentes ens non participialem ſed & nominalem ſuſtinere ſignificatum; Nomina vero non ſemper denotare actus, ſed poſſibilitatem quoque: ſic *hominis* v. gr. vocabulo utimur, ſive exiſtat, ſive tantum ſit poſſibilis, utrumque recte & ſine repugnantia dici: *homo productus*, & *homo*

Ens Participiale & Nominale quid?

mo producibilis. Eſſe ergo ens concludunt, cui exiſtentia non repugnat. Et hoc ipſum ens vocari ſolet *Nominale.* Participialiſtarum claſſi ſe addixêre *Abrah. Calovius* in Metaph. Div. Cap. VI. n. 2. Joh. *Scharfius* in Mot. Exempl. p. m. 12. qui etiam *Svarezium* ſibi conſentientem adducit. *Hebenſtreitius* in Phil. Prim. p. m. 82. *Joh. Georg. Walchius* in Introd. ad Phil. L. II. Cap. 2. §. 4. *Bütnerus* in Curſu Phil. Part. I. pag. 121. *Æpinus* in Metaph. P. 1. cap. 1. §. 1. pluresque alii. Pro nominali autem entis ſignificatu pugnant *Mendoza*, *Rodericus de Ariaga* Diſp. 1. Meth. *Andreas Frommen* in Synopſ. Metaph. L. I. Cap. 2. p. 48. *Scheiblerus* L. I. Metaph. Cap. 2. art. 7. *Slevogtus* Diſp. Academic. III. §. 3. *Rudrauffius* in Metaph. Errante, p. m. 7. Et cum his *Illuſtris Wolfius.* Horum aſſertionem, ut veritati congruam, nos etiam approbavimus, evidentiſſimis, ut ſperamus, inducti rationibus, nihil metuentes Participialiſtarum argumentum, à participio verbi ſubſtantivi, *ſum*, deductum: Grammaticum enim hoc eſt, à derivatione vocis hauſtum, quod circa notiones rerum eruendas ſæpe fallit. Philoſophum non niſi philoſophica decent. Neque plus roboris ineſt huic Participialiſtarum objectioni: *Quod in mera prædicatorum non-repugnantia ponitur, nunquam adimpleta, vel adimplenda, id nihil habet entitatis. Atqui poſſibilia, Ergo.* Reſp. Nihil habet entitatis exiſtentis, concedo: Nihil habet entitatis poſſibilis, nego. De cetero major objecti-

jectionis propoſitio ſupponit participialem entis ſignificatum, tanquam verum, de quo tamen diſputatur. Fallaciam ergo petitionis principii apertam committit opponens.

§. 228.

Entis & poſſibilis reciprocatio.

Stabilito entis, quem dedimus, conceptu (§. 226.), ad conſectaria inde formanda nos accingimus, quorum primum occurrit: *Omne ens eſſe abſolute poſſibile, & omne abſolute poſſibile eſſe ens.* Ens eſt, cui exiſtentia non repugnat (§. 226.); ſed cui non repugnat exiſtentia eſt abſolute poſſibile (§. 141.). Omne ergo ens eſt abſolute poſſibile. Q. E. U.

Cui exiſtentia non repugnat, eſt ens (§. 226.). Abſolute poſſibili exiſtentia non repugnat (§. 141.). Ergo abſolute poſſibile eſt Ens. Q. E. A.

Quale diſcrimen inter poſſibile & ens.

Re ipſa non differre poſſibile ab ente oſtendit illius & hujus jam evicta reciprocatio; inde tamen non ſtatuendum eſt poſſibile ut entis ſynonymum: datur enim inter utrumque formale diſcrimen, quod ad ſynonymiam tollendam ſufficit: Nempe idea abſolute poſſibilis intelligitur præſtrui ideæ entis; Antequam enim concipere datur rei alicui exiſtentiam non repugnare, ſeu ens eſſe, concipiendum eſt, rem illam in ſuo conceptu nullam involvere repugnantiam, ut adeo poſita primum poſſibilitate rei abſoluta,

 ta,

ta, ponatur demum, licet immediate, ejus exiſtendi poſſibilitas, ſeu ens.

§. 229.

Abſ. Poſſibilitatis conſtantia. *Abſoluta entis poſſibilitas conſtans eſt: Et quicquid abſolutæ poſſibilitati ineſt, conſtans eſt.* Si de A prædicatur B, ita tamen ut B poſſit prædicari & non prædicari, vocare ſolemus B *inconſtans* ipſius A prædicatum. Quo ipſo vi oppoſitorum liquet, quid *Conſtans* dici mereatur. Ponamus jam entis poſſibilitatem non eſſe conſtantem, daretur ergo ens ſine poſſibilitate. Hoc autem eſt abſurdum (§. 228.); Vere itaque ſtatuimus abſolutam entis poſſibilitatem eſſe conſtantem. Q. E. U.

Nihil, præter notiones partiales, ſibi mutuo non repugnantes, abſolutæ ineſt poſſibilitati (§. 135.), quibus hæc ita abſolvitur, ut ſine aliqua earum nunquam hæc eſſe poſſit (§. 53.). Quare ſi hæ notiones non conſtantes eſſent, poſſet entis poſſibilitas inconſtans eſſe. Quod tamen ob mox demonſtrata fieri nequit. Quicquid ergo abſolutæ poſſibilitati ineſt, conſtans eſt. Q. E. A.

Obſerves abſolutam poſſibilitatem heic ſumi pro præciſa exiſtentia; nam non denegamus exiſtenti, finito ſcil., inconſtantia & mutabilia prædicata; denegamus tamen abſolutæ poſſibilitati, quà tali, quæ præter eſſentialia & at-

& attributa rei nihil involvit aliud. Ceterum oſtenſa abſoluta neceſſitate & immutabilitate poſſibilitatum, quod præſenti defendimus theſi longe evadet clarius.

§. 230.

Extrinſecum poſſibile & ens an & quousque reciprocentur?

Quia omne extrinſecum poſſibile eſt ſimul intrinſecum, ſeu abſolute poſſibile (§. 136.), ſed non omne abſolute poſſibile eſt extrinſecum poſſibile (§. cit.): *Omne extrinſecum poſſibile ens eſt, ſed non omne ens eſt extrinſecum poſſibile* (§. 228.).

Latioris ſcilicet extenſionis eſt notio entis, quam notio extrinſece poſſibilis; ad illam enim referuntur omnia abſolute poſſibilia, adeoque & Deus ipſe (§. 228. & 135.), ad hanc vero pertinent non niſi illa abſolute poſſibilia, quæ quoad conditiones ipſis externas nullam involvunt repugnantiam (§. cit.), qualem poſſibilitatem habent omnia entia, quæ præter Deum exiſtunt & exiſtere poſſunt.

§. 231.

Exiſtibilis entis converſio.

Hinc porro fluit, omne exiſtibile eſſe ens, ſed non omne ens eſſe exiſtibile. Eſt enim omne exiſtibile poſſibile externum (§. 159.), ergo etiam ens (§. 230.).

Digitized by Google

Si vero viciſſim omne ens eſſet exiſtibile, ſequeretur omne ens eſſe poſſibile externum (§. 159.), quod tamen implicat (§. 230.). Non ergo niſi quoddam ens exiſtibile eſt.

Idem directe ſic evincitur: Non omne abſolute poſſibile eſt exiſtibile (§. 162.). Omne autem abſolute poſſibile eſt ens (§. 228.). Ergo quoddam ens eſt exiſtibile.

Si exiſtibile & ens æque late patent, non daretur exiſtibile.

Habet videlicet exiſtibile relationem ad vires exiſtentiæ ejus præſtandæ ſufficientes (§. 156.), quam relationem ſi omne ens ſimul involveret, neque daretur exiſtibile. Eatenus enim aliquid exiſtibile dicitur, quatenus per vires exiſtentes exiſtere poteſt (§. cit.). Hæ autem vires aut dantur in ente aut in non-ente; non in non-ente, quia ei exiſtentia repugnat, conſequenter vires, quæ exiſtentes ponuntur, non exiſterent, quod abſurdum (§. 53.). Dantur ergo vires iſtæ in ente, ſed aut in eodem ente, quod exiſtibile dicitur, aut in alio (§. 63.). Non prius, quia hoc pacto vi propria exiſteret, ſeu, rationem ſuæ exiſtentiæ in ſe ipſo haberet, quod indolem exiſtibilis non poteſt non penitus deſtruere (§. 157.). Poſterius ergo aſſumendum, ſeu, dantur iſtæ vires in ente alio, h. e. ratio ſufficiens exiſtentiæ exiſtibilis datur in alio ente; quod ſi iterum exiſtibile eſſet, ejus quoque daretur ratio ſufficiens in alio ente, & ſic in infinitum; ſed ejusmodi progreſſus rationum

in

in infinitum eſt impoſſibilis (§. 105.). Si ergo omne ens eſſet exiſtibile, non daretur aliquod exiſtibile.

§. 232.

An omne phyſicum poſſibile ſit ens?

Omne phyſicum poſſibile eſt ens, ſed non omne ens eſt phyſicum poſſibile. Eſt omne phyſicum poſſibile exiſtibile (§. 166.); omne autem exiſtibile ens eſt (§. 231.). Ergo omne phyſicum poſſibile eſt ens. Q. E. U.

Quod abſolutam habet poſſibilitatem, non ideo ſtatim tenet phyſicam (§. 168.). Eſt vero omne abſolute poſſibile ens (§. 228.). Ergo non omne ens eſt phyſice poſſibile. Q. E. A.

§. 233.

Ens phyſicum quid?

Occaſionem hinc habeo definiendi *Ens Phyſicum* per ens, quod per vires naturales non repugnat exiſtere.

Ejusmodi ens phyſicum eſt Arbor, tum in horto creſcens, tum in ſemine deliteſcens, utroque enim caſu ei exiſtentia per vires naturæ non repugnat: in priori, quia exiſtit: in poſteriori, quia ex ſemine creſcere poteſt. De hoc ente phyſico plenius agendi non jam eſt locus; tribuit id ſibi Phyſica. Patet tamen ens phyſicum comprehendi ſub ente in genere & metaphyſico; utrique enim

enim non repugnat exiſtentia, huic abſolute, illi inſuper reſpective, quoad ſufficientiam virium naturalium, ſeu ordinem naturæ. Hinc ergo, quia notio generica notionem ſpeciei ingreditur, de novo patet Metaphyſices in Phyſicam utilitas, quam alio argumento antea ſtabilivimus (§. 30.), & quam nemo rerum phyſicarum ſolide gnarus ignorat.

§. 234.

Entis phyſici & poſſibilis phyſici reciprocatio.

Immediata hinc profluit conſequentia, omne ens phyſicum eſſe poſſibile phyſicum (§. 165.), & omne poſſibile phyſicum, quia ei per vires naturæ non repugnat exiſtere (§. cit.), eſſe ens phyſicum (§. 233.).

Phyſica ergo poſſibilitas reciprocatur de ente phyſico, non autem de ente in genere, ſeu metaphyſico (§. 232.).

§. 235.

Poſſibilis moralis & entis converſio.

Poſſibile morale eſt ens, ſed non omne ens eſt poſſibile morale. Omne poſſibile morale eſt exiſtibile (§. 176.), omne autem exiſtibile eſt ens (§. 231.). Ergo omne poſſibile morale eſt ens. Q. E. U. Si omne ens eſſet poſſibile morale, quia omne ens eſt abſolute poſſibile & viciſſim (§. 228.), omne abſolute poſſibile eſſet poſſibile morale. Quod quum

Digitized by Google

quum ſit abſurdum (§. 180.), ſequitur non omne ens eſſe poſſibile morale.

§. 236.

Ens Morale eſt, quod per agens liberum fieri vel exiſtere non repugnat, ſeu, quod quoad agendi rectitudinem, ab agente libero utcunque agnitam & approbatam, non repugnat exiſtere. *Ens morale quid?*

Agens liberum vocatur, quod libertate gaudet, h. e. facultate ex pluribus phyſice & abſolute poſſibilibus, ex interno & domeſtico principio, eligendi quod ipſi placet. Illud nobis *placere* dicitur, ex quo voluptatem capimus: oritur vero *Voluptas* ex intuitiva cognitione perfectionis, vel boni, aliquam ad nos habentis relationem. Quicquid ergo per agens liberum exiſtere poteſt, habet aliquam rectitudinis menſuram, ab eo agente utcunque, ſive confuſe, ſive obſcure, ſive diſtincte cognitam, & placentem, h. e. approbatam. Quodcunque ergo agens liberum vel ejus cognitionem non afficit, vel ſi afficit, certe non placet, illud ab eo agente fieri non poteſt.

§. 237.

Ex his ultro & ſua veluti ſponte fluit, *omne ens morale eſſe poſſibile morale* (§. 174.), *& viciſſim omne poſſibile morale eſſe ens morale* (§. 236.). *Entis moralis & poſſibilis reciprocatio.*

Reci-

Reciprocationem ergo, quam reſpuit ens metaphyſicum, cum poſſibili morali collatum (§. 235.), admittit ens morale, cum poſſibili morali comparatum.

§. 238.

Ens & aliquid reciprocantur. Sed relicto ente phyſico & morali, ad ens noſtrum metaphyſicum, quod ens abſolute & ſine addito vocamus, ulterius conſiderandum pergimus, obſervantes *omne ens eſſe aliquid, & omne aliquid eſſe ens.* Omne ens eſt abſolute poſſibile (§. 228.), ſed omne abſolute poſſibile eſt aliquid (§. 138.); Ergo omne ens eſt aliquid. Q. E. U.

Quicquid eſt abſolute poſſibile, eſt ens (§. 228.), omne autem aliquid eſt abſolute poſſibile (§. 138.); Ergo omne aliquid eſt ens. Q. E. A.

Quale diſcrimen inter ens & aliquid. Ob æqualem entis & alicujus latitudinem & reciprocam indolem plures Metaphyſicorum illa pro ſynonymis habent. Sed quamvis quoad rem ipſam non differant ens & aliquid, diſcrimen tamen agnoſcunt rationis, in diverſis conſiſtens conceptibus: Ens enim eatenus dicitur ens, quatenus exiſtentia ei non repugnat (§. 226.); eatenus vero aliquid nuncupatur, quatenns eſt conceptibile, ſeu, quatenus notionem habet ſibi reſpondentem (§. 75.). Interna prædicatorum

rum non-repugnantia eſt fundamentum conceptibilitatis (§. 73.) & alicujus (§. 75.), eadem non-repugnantia, ad exiſtendum relata, formam entis abſolvit (§. 226.). Non ergo niſi quà conceptus differunt ens & aliquid, quà rem vero ipſam intime ſunt connexa. Ceterum quia, ut vidimus, aliquid & ens æque late patent, illud hujus conſtituere nequit genus, quod latiorem ſemper involvere debet conceptum. Oppido itaque erravit *Timplerus*, qui L. I. Metaph. Cap. 2. conſtituit aliquid entis genus. Fingamus aliquid eſſe genus entis, tanquam ſpeciei; Notum vero eſt ſpeciem conſtare genere & præterea alia determinatione, quæ differentiæ ſpecificæ nomen gerit. Ens itaque erit aliquid & præterea aliud quid. Aliquid autem & nihil contradictorie ſibi opponuntur, neque inter illa duo datur medium (§. 77.); aliud igitur quam aliquid non poteſt non eſſe nihil. Ens itaque erit compoſitum ex aliquo & nihilo, h. e. ex abſolute poſſibili & impoſſibili (§. 138. 132.), quod plane contradictorium (§. 53.). Eodem ratiocinio, mutatis ſaltem mutandis, perſpicuum eſt, intelligibile non eſſe genus entis, ut idem mentitus eſt & temporis cauſſa finxit Timplerus, eſſentiam entis alteram intelligibilis ſpeciem ſomnians, quaſi aliquod daretur ens ſine ſua eſſentia, quod tamen abſurdum eſſe ſuo demonſtrabitur loco.

An aliquid ſit genus entis?

§. 239.

§. 239.

Ens eſt poſſibile merum vel non merum, & viciſſim.

Omne ens eſt vel poſſibile merum vel non-merum. Et quodcunque eſt poſſibile merum vel non-merum, illud eſt ens. Omne ens eſt aliquid (§. 238.), adeoque poſſibile merum vel non-merum (§. 10.). Q. E. U.

Quidquid eſt abſolute poſſibile, illud eſt ens (§. 228.), ſed poſſibile merum vel non-merum eſt abſolute poſſibile (§. 149.). Ergo poſſibile merum vel non-merum eſt ens. Q. E. A.

Comprehendit ens ſuo ambitu poſſibile merum & non-merum, neque præter hæc duo ſub ente continetur aliud. Hæc ergo, cum diſjunctione poſita, eandem cum ente habent latitudinem.

§. 240.

Quæ ſub ente comprehendantur.

Quoddam igitur ens eſt poſſibile merum, quoddam poſſibile non-merum, neque inter hæc duo datur medium. Omne enim ens eſt abſolute poſſibile (§. 228.). Quoddam abſolute poſſibile eſt poſſibile merum, quoddam poſſibile non-merum (§. 149.). Quoddam ergo ens eſt poſſibile merum, quoddam poſſibile non-merum. Inter poſſibile merum & non-merum non datur medium (§. 150.). Neque

Neque ergo inter hæc duo entia dabitur medium.

§. 241.

Eodem liquet modo *omne poſſibile tam merum, quam non-merum, eſſe ens.* Utrumque enim eſt abſolute poſſibile (§. 149.), utrumque ergo ens eſt. *Poſſibilis meri & non-meri entitas.*

Conſtat ex Logicis de omni ſpecie valere notionem generis, ſed nonniſi de quodam generis prædicari ſpeciem. Recte itaque ſtatuimus omne poſſibile non-merum eſſe ens, ſed nonniſi quoddam ens eſſe poſſibile non-merum; Nam eſt hoc illius ſpecies (§. 240.). Idem valet de poſſibili mero.

§. 242.

Duplex eſſe poſſibile non-merum evicimus, alterum rationem exiſtentiæ ſuæ ſufficientem in abſoluta poſſibilitate habet fundatam, alterum exiſtentiæ ſuæ rationem ſufficientem in ſua abſoluta poſſibilitate fundatam non poſſidet (§. 154.). Quamobrem, quum omne poſſibile non-merum ſit ens (§. 241.), liquet utrumque hoc entis nomine recte venire. Utrique exiſtentia non repugnat, ſed illi primario, quia poſita ejus abſoluta poſſibilitate, ſtatim ponitur exiſtentia; *Quousque extendatur notio entis.*

Digitized by Google

tia: huic ſecundario, quatenus ex ejus abſoluta poſſibilitate non determinatur ejus exiſtentia. Illi ergo ut exiſtat, ſufficit eſſe poſſibile; Huic vero, ut exiſtat non ſufficit eſſe poſſibile.

Ens, cujus exiſtentiæ ratio in ipſa ejus abſoluta poſſibilitate continetur, *Neceſſarium* dicimus, & *Dei* nomine veneramur. Ens vero, cujus exiſtentiæ ratio ſufficiens non ex ejus abſoluta poſſibilitate, ſed aliunde dependet, *Contingens* nuncupari ſolet, & creatura alioquin dicitur. Ens itaque Metaphyſicum, formali ſuo conceptu, & Creatorem & Creaturam comprehendit, ita tamen, objective loquendo, ut Illi primario, huic ſecundario competat.

Præter *Plotinum*, Platonicorum ducem, *Picus Mirandulanus* in Libr. de Ente & Uno Cap. 3. & 4. *Julius Cæſar Scaligerus* Libr. de ſubtil. ad Cardanum Exercit. 65. pag. 295. *Lippius* in Metaph. Magna, & alii negarunt appellationem entis tribui poſſe Deo. Negativæ vero hujus ſententiæ abſurditatem & mox evicimus, & inde colligimus, quod ſi Deus ens non eſſet, quia inter ens & non-ens non datur medium, eſſet non-ens, h. e. exiſtentia Ei repugnaret. Quod ut eſt atheiſticum, ita ab adverſariis ipſis, atheiſmi labe non contaminatis, non poteſt non rejici. Deinde Scriptura ſacra diſertis verbis Deum ens vocat: Deus enim ipſe Moſi,

Moſi, quis eſſet? & quod nomen haberet interroganti, reſpondet אהיה אשר אהיה *Ego ſum qui ſum* & אהיה שלחני אליכם *Ero miſit me ad vos*. Exod. III. 14. Quæ verba ſic reddunt Septuaginta Interpretes: Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, & ὁ ὢν ἀπέσαλκέ με πρὸς ὑμᾶς. Item Apoc. I. 8. dicit Deus: Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. Hinc *Gregorius Nazianzenus* in Orat. XXXVI. poſtquam adduxit Exodi caput III. inquit: τὸ δὲ ὂν ἴδιον ὄντως Θεȣ̃, Ens autem vere proprium eſt Dei. Confer *Hebenſtreitium*, qui in Phil. Prim. p. 72. 73. plura adhuc Patrum in eandem rem adducit teſtimonia.

§. 243.

Quamvis adeo certum, immo certiſſimum ſit, vocabulum entis tribui Deo & rebus creatis, non exigua tamen inter Philoſophos pariter ac Theologos agitatur quæſtio, quo ſenſu ſumatur entis terminus, an æquivoce, an univoce, an analogice ad Creatorem & creaturas applicatus? Quam controverſiam ut diſtincte decidamus, de quolibet ſenſu ſingulatim nobis erit agendum, terminis in anteceſſum explicatis.

Æquivoca ſeu *Homonyma* Ariſtoteli vocantur, quorum ſolum nomen commune eſt, ratio autem ſubſtantiæ ſecundum nomen illud eſt diverſa: Seu *Æquivoca quid?*

enim non repugnat exiſtentia, huic abſolute, illi inſuper reſpective, quoad ſufficientiam virium naturalium, ſeu ordinem naturæ. Hinc ergo, quia notio generica notionem ſpeciei ingreditur, de novo patet Metaphyſices in Phyſicam utilitas, quam alio argumento antea ſtabilivimus (§. 30.), & quam nemo rerum phyſicarum ſolide gnarus ignorat.

§. 234.

Entis phyſici & poſſibilis phyſici reciprocatio.

Immediata hinc profluit conſequentia, omne ens phyſicum eſſe poſſibile phyſicum (§. 165.), & omne poſſibile phyſicum, quia ei per vires naturæ non repugnat exiſtere (§. cit.), eſſe ens phyſicum (§. 233.).

Phyſica ergo poſſibilitas reciprocatur de ente phyſico, non autem de ente in genere, ſeu metaphyſico (§. 232.).

§. 235.

Poſſibilis moralis & entis converſio.

Poſſibile morale eſt ens, ſed non omne ens eſt poſſibile morale. Omne poſſibile morale eſt exiſtibile (§. 176.), omne autem exiſtibile eſt ens (§. 231.). Ergo omne poſſibile morale eſt ens. Q. E. U. Si omne ens eſſet poſſibile morale, quia omne ens eſt abſolute poſſibile & viciſſim (§. 228.), omne abſolute poſſibile eſſet poſſibile morale. Quod quum

quum ſit abſurdum (§. 180.), ſequitur non omne ens eſſe poſſibile morale.

§. 236.

Ens Morale eſt, quod per agens liberum fieri vel exiſtere non repugnat, ſeu, quod quoad agendi rectitudinem, ab agente libero utcunque agnitam & approbatam, non repugnat exiſtere. *Ens morale quid?*

Agens liberum vocatur, quod libertate gaudet, h. e. facultate ex pluribus phyſice & abſolute poſſibilibus, ex interno & domeſtico principio, eligendi quod ipſi placet. Illud nobis *placere* dicitur, ex quo voluptatem capimus: oritur vero *Voluptas* ex intuitiva cognitione perfectionis, vel boni, aliquam ad nos habentis relationem. Quicquid ergo per agens liberum exiſtere poteſt, habet aliquam rectitudinis menſuram, ab eo agente utcunque, ſive confuſe, ſive obſcure, ſive diſtincte cognitam, & placentem, h. e. approbatam. Quodcunque ergo agens liberum vel ejus cognitionem non afficit, vel ſi afficit, certe non placet, illud ab eo agente fieri non poteſt.

§. 237.

Ex his ultro & ſua veluti ſponte fluit, *omne ens morale eſſe poſſibile morale* (§. 174.), *& viciſſim omne poſſibile morale eſſe ens morale* (§. 236.). *Entis moralis & poſſibilis reciprocatio.*

Reci-

Reciprocationem ergo, quam reſpuit ens metaphyſicum, cum poſſibili morali collatum (§. 235.), admittit ens morale, cum poſſibili morali comparatum.

§. 238.

Ens & aliquid reciprocantur. Sed relicto ente phyſico & morali, ad ens noſtrum metaphyſicum, quod ens abſolute & ſine addito vocamus, ulterius conſiderandum pergimus, obſervantes *omne ens eſſe aliquid, & omne aliquid eſſe ens.* Omne ens eſt abſolute poſſibile (§. 228.), ſed omne abſolute poſſibile eſt aliquid (§. 138.); Ergo omne ens eſt aliquid. Q. E. U.

Quicquid eſt abſolute poſſibile, eſt ens (§. 228.), omne autem aliquid eſt abſolute poſſibile (§. 138.); Ergo omne aliquid eſt ens. Q. E. A.

Quale diſcrimen inter ens & aliquid. Ob æqualem entis & alicujus latitudinem & reciprocam indolem plures Metaphyſicorum illa pro ſynonymis habent. Sed quamvis quoad rem ipſam non differant ens & aliquid, diſcrimen tamen agnoſcunt rationis, in diverſis conſiſtens conceptibus: Ens enim eatenus dicitur ens, quatenus exiſtentia ei non repugnat (§. 226.); eatenus vero aliquid nuncupatur, quatenus eſt conceptibile, ſeu, quatenus notionem habet ſibi reſpondentem (§. 75.). Interna prædicatorum

rum non-repugnantia eſt fundamentum conceptibilitatis (§. 73.) & alicujus (§. 75.), eadem non-repugnantia, ad exiſtendum relata, formam entis abſolvit (§. 226.). Non ergo niſi quà conceptus differunt ens & aliquid, quà rem vero ipſam intime ſunt connexa. Ceterum quia, ut vidimus, aliquid & ens æque late patent, illud hujus conſtituere nequit genus, quod latiorem ſemper involvere debet conceptum. Oppido itaque erravit *Timplerus*, qui L. I. Metaph. Cap. 2. conſtituit aliquid entis genus. Fingamus aliquid eſſe genus entis, tanquam ſpeciei; Notum vero eſt ſpeciem conſtare genere & præterea alia determinatione, quæ differentiæ ſpecificæ nomen gerit. Ens itaque erit aliquid & præterea aliud quid. Aliquid autem & nihil cnntradictoric ſibi opponuntur, neque inter illa duo datur medium (§. 77.); aliud igitur quam aliquid non poteſt non eſſe nihil. Ens itaque erit compoſitum ex aliquo & nihilo, h. e. ex abſolute poſſibili & impoſſibili (§. 138. 132.), quod plane contradictorium (§. 53.). Eodem ratiocinio, mutatis ſaltem mutandis, perſpicuum eſt, intelligibile non eſſe genus entis, ut idem mentitus eſt & temporis cauſſa finxit Timplerus, eſſentiam entis alteram intelligibilis ſpeciem ſomnians, quaſi aliquod daretur ens ſine ſua eſſentia, quod tamen abſurdum eſſe ſuo demonſtrabitur loco.

An aliquid ſit genus entis?

§. 239.

§. 239.

Ens eſt poſſibile merum vel non merum, & viciſſim.

Omne ens eſt vel poſſibile merum vel non-merum. Et quodcunque eſt poſſibile merum vel non-merum, illud eſt ens. Omne ens eſt aliquid (§. 238.), adeoque poſſibile merum vel non-merum (§. 10.). Q. E. U.

Quidquid eſt abſolute poſſibile, illud eſt ens (§. 228.), ſed poſſibile merum vel non-merum eſt abſolute poſſibile (§. 149.). Ergo poſſibile merum vel non-merum eſt ens. Q. E. A.

Comprehendit ens ſuo ambitu poſſibile merum & non-merum, neque præter hæc duo ſub ente continetur aliud. Hæc ergo, cum disjunctione poſita, eandem cum ente habent latitudinem.

§. 240.

Quæ ſub ente comprehendantur.

Quoddam igitur ens eſt poſſibile merum, quoddam poſſibile non-merum, neque inter hæc duo datur medium. Omne enim ens eſt abſolute poſſibile (§. 228.). Quoddam abſolute poſſibile eſt poſſibile merum, quoddam poſſibile non-merum (§. 149.). Quoddam ergo ens eſt poſſibile merum, quoddam poſſibile non-merum. Inter poſſibile merum & non-merum non datur medium (§. 150.). Neque

Neque ergo inter hæc duo entia dabitur medium.

§. 241.

Eodem liquet modo *omne poſſibile tam merum, quam non-merum, eſſe ens.* Utrumque enim eſt abſolute poſſibile (§. 149.), utrumque ergo ens eſt. *Poſſibilis meri & non-meri entitas.*

Conſtat ex Logicis de omni ſpecie valere notionem generis, ſed nonniſi de quodam generis prædicari ſpeciem. Recte itaque ſtatuimus omne poſſibile non-merum eſſe ens, ſed nonniſi quoddam ens eſſe poſſibile non-merum; Nam eſt hoc illius ſpecies (§. 240.). Idem valet de poſſibili mero.

§. 242.

Duplex eſſe poſſibile non-merum evicimus, alterum rationem exiſtentiæ ſuæ ſufficientem in abſoluta poſſibilitate habet fundatam, alterum exiſtentiæ ſuæ rationem ſufficientem in ſua abſoluta poſſibilitate fundatam non poſſidet (§. 154.). Quamobrem, quum omne poſſibile non-merum ſit ens (§. 241.), liquet utrumque hoc entis nomine recte venire. Utrique exiſtentia non repugnat, ſed illi primario, quia poſita ejus abſoluta poſſibilitate, ſtatim ponitur exiſtentia: *Quousque extendatur notio entis.*

tia: huic ſecundario, quatenus ex ejus abſoluta poſſibilitate non determinatur ejus exiſtentia. Illi ergo ut exiſtat, ſufficit eſſe poſſibile; Huic vero, ut exiſtat non ſufficit eſſe poſſibile.

Ens, cujus exiſtentiæ ratio in ipſa ejus abſoluta poſſibilitate continetur, *Neceſſarium* dicimus, & *Dei* nomine veneramur. Ens vero, cujus exiſtentiæ ratio ſufficiens non ex ejus abſoluta poſſibilitate, ſed aliunde dependet, *Contingens* nuncupari ſolet, & creatura alioquin dicitur. Ens itaque Metaphyſicum, formali ſuo conceptu, & Creatorem & Creaturam comprehendit, ita tamen, objective loquendo, ut Illi primario, huic ſecundario competat.

Præter *Plotinum*, Platonicorum ducem, *Picus Mirandulanus* in Libr. de Ente & Uno Cap. 3. & 4. *Julius Cæſar Scaligerus* Libr. de ſubtil. ad Cardanum Exercit. 65. pag. 295. *Lippius* in Metaph. Magna, & alii negarunt appellationem entis tribui poſſe Deo. Negativæ vero hujus ſententiæ abſurditatem & mox evicimus, & inde colligimus, quod ſi Deus ens non eſſet, quia inter ens & nonens non datur medium, eſſet non-ens, h. e. exiſtentia Ei repugnaret. Quod ut eſt atheiſticum, ita ab adverſariis ipſis, atheiſmi labe non contaminatis, non poteſt non rejici. Deinde Scriptura ſacra diſertis verbis Deum ens vocat: Deus enim ipſe Moſi,

Moſi, quis eſſet? & quod nomen haberet interroganti, reſpondet אהיה אשר אהיה *Ego ſum qui ſum* & אהיה שלחני אליכם *Ero miſit me ad vos*. Exod. III. 14. Quæ verba ſic reddunt Septuaginta Interpretes: Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, & ὁ ὢν ἀπέςαλκέ με πρὸς ὑμᾶς. Item Apoc. I. 8. dicit Deus: Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. Hinc *Gregorius Nazianzenus* in Orat. xxxvi. poſtquam adduxit Exodi caput III. inquit: τὸ δὲ ὂν ἴδιον ὄντως Θεῦ, Ens autem vere proprium eſt Dei. Confer *Hebenſtreitium*, qui in Phil. Prim. p. 72. 73. plura adhuc Patrum in eandem rem adducit teſtimonia.

§. 243.

Quamvis adeo certum, immo certiſſimum ſit, vocabulum entis tribui Deo & rebus creatis, non exigua tamen inter Philoſophos pariter ac Theologos agitatur quæſtio, quo ſenſu ſumatur entis terminus, an æquivoce, an univoce, an analogice ad Creatorem & creaturas applicatus? Quam controverſiam ut diſtincte decidamus, de quolibet ſenſu ſingulatim nobis erit agendum, terminis in anteceſſum explicatis.

Æquivoca ſeu *Homonyma* Ariſtoteli vocantur, quorum ſolum nomen commune eſt, ratio autem ſubſtantiæ ſecundum nomen illud eſt diverſa: Seu *Æquivoca quid?*

æquivoca dicuntur, quibus idem commune competit nomen, ſed ſignificatione ſeu notione diverſa.

Sic vox *canis* eſt communis animali & ſideri, ſed ſignificatione diverſa. In eundem cenſum venit vox Spiritus, quatenus tum ſubſtantiæ intelligenti & volenti, tum ſubtiliſſimo & mobiliſſimo fluido tribuitur, notione ergo diverſiſſima. *Scholaſtici* diſtinguunt inter *Æquivocum æquivocans*, & *Æquivocum æquivocatum*. Illud eſt ipſe terminus, vel ipſa vox pluribus attributa, ut in priori exemplo vox *canis*. *Hoc* ſunt res termino communi denotatæ, & propriis notionibus inter ſe diſtinctæ, v. gr. animal & ſidus. Ceterum obſerves poſſe æquivoca ſcil. æquivocata generali conceptu inter ſe convenire, quatenus entia ſunt, & ideo aliqua habere communia præter nomen; verum hæc convenientia ipſis non competit ut ſunt æquivoca, ſed ut ſunt alio reſpectu vel analoga, vel univoca. Sic ſidus & animal terreſtre latrans conveniunt in notione corporis in genere & ſubſtantiæ, non tamen ut ſunt æquivoca, ſed ut ſunt univoca.

§. 244.

Ens æquivoce non ſumitur. *Ens non eſt æquivocum, ſeu, ens æquivoce ſumi nequit.* Stabilivimus modo omni enti hanc conſtantem competere notionem, quod exiſtentia ei non repugnet (§. 226. 227.), indeque

deque

deque intulimus omne ens eſſe aliquid (§. 238.), cui contradictorie opponitur nihil (§. 77.). Nihil ergo eſt, ſeu nullum datur, vel dari poteſt ens, cui hæc eadem conſtans non competat notio. Sed ſi ens æquivoce ſumeretur, locum inveniret aliquod, cui hæc eadem non conveniret notio (§. 243.). Abſurdum autem eſt poſterius (per demonſtr.), ergo & prius.

Præter hanc rationem, quæ ſua veluti ſponte ex principiis antea ſtabilitis fluit, negandi ens eſſe æquivocum aliquod æquivocatum, varias adhuc allegare ſolent Philoſophi. Recte enim inferunt α) *Si ens Deo & creaturis* conveniret æquivoce, alterutrum horum non ens eſſet. Æquivoca namque, quà talia, præter nudum nomen nihil in re habent commune (§. 243.). Si itaque Deus vere eſſet ens, prout omnino eſt (§. 242.), creaturæ ſaltim nominetenus entia eſſent, re ipſa nihil, ſeu non-entia; Quod per mox demonſtrata abſurdum (§. 243.). Immo, ſi quis creaturas (Deum enim eſſe ens verum nemo poterit negare) re ipſa non-entia eſſe aſſereret, revera ſemetipſum eſſe negabit, ſeu ſibi exiſtentiam repugnare affirmabit, Deumque mera produxiſſe non-entia temere dicet. β) *Deinde*, quia ſuper æquivocis, ut habet Logicorum canon, non ſtat contradictio (ſic ſine contradictione dico: *canis latrat*, intelligo animal, *canis non latrat*, intelligo ſidus), ſi æquivoce ſumeretur ens, inter has poſitiones: *Ens eſt poſſibile*, *ens non*

eſt poſſibile, nulla daretur contradictio, quod ſane abſurdiſſimum (§. 228. 53.). γ.) *Tandem* præter alia, brevitatis cauſſa à me omiſſa, etiam urgent *Ariſtotelis* auctoritatem, qui L. IV. Metaph. Cap. 2. in initio hæc profert verba: τὸ δὲ ὂν λέγεται μὲν πολλαχῶς, ἀλλὰ πρὸς ἓν καὶ μίαν τινὰ φύσιν, ὐκ ὁμονύμως. *Ens autem multis quidem modis dicitur, ſed tamen ad unum, unamque naturam quandam, & non æquivoce.*

Qui hoc negant? Non deſunt, qui his omnibus ſpretis, vel ſaltem debita attentione non evolutis, pro ſenſu entis æquivoco pugnare audent. Pertinent huc præter *Rabbinum Moſen* Ægyptium, quem citat *Thomas* Qv. VII. art. 5. de potentia Dei. 1:o) *Aureolus* apud *Capreolum* L. I. Diſt. Qv. 2. cujus tria argumenta pro ſenſu æquivoco entis adducit *Fonſeca* L. IV. Metaph. Cap. 2. Qv. I. T. I. p. m. 690. Sed Aureolum excuſat *Svarezius* Diſp. Metaph. XXVIII. Sect. 1. §. 1. 2:do) *Dyonyſius Petavius* T. I. Dogm. Theol. L. I. cap. 6. §. 40. ſeq. 3:o) Ex Calvinianis *Keckermannus* in Compend. Syſtem. Metaph. Cap. 2. *Polanus* L. 2. Syſtem. Theol. C. 3. & alii, quibus ſubſcribit *Bartholinus* in Metaph. maj. Cap. 1. p. m. 46. Minus neceſſarium & utile judicaverim aliquam operæ & temporis partem impendere adverſariorum argumentis enumerandis & confutandis, levioris enim ſunt momenti, & nemo, quantum conſtat, datur amplius, æquivocum entis qui defendat ſenſum, ut oppido abſurdum.

§. 245.

Digitized by Google

§. 245.

Conceptus entis, ad Deum & creaturas relati, identitas.

Sponte hinc ſequitur, entis conceptum, ad illa, quæ ſuo comprehendit ambitu, h. e. ad omnia entia relatum, non eſſe diverſum, ſed, præciſo modo, quo exiſtentia illis non repugnat, unum eundemque. Quoniam enim non eſt æquivocus (§. 244.), diverſa ei non competit ſignificatio (§. 243.), & per conſequens, quia quod non eſt diverſum, non poteſt non vi oppoſitorum eſſe idem, eandem hactenus habet notionem ens ad Deum & res creatas relatum.

Objectiones proponuntur.

Contra hoc conſectarium, quod etiam habet *Scheiblerus* L. 2. Cap. 3. Metaph. Punct. IV. n. 147. & ſequ. duo, ut idem obſervat, objici ſolent. Primo: *Si ens ſignificaret unum conceptum, attributum Deo & creaturis, tum ens eſſet genus ad Deum & creaturas, & proinde Deus eſſet compoſitus ex genere & differentia, quod, quum ſimpliciſſimæ Dei naturæ repugnet, infert ens non ſignificare unum conceptum.* Deinde: *Extrema contradictoria non conveniunt in uno conceptu; iſta enim habent ſe ut eſſe & non eſſe, quibus nihil eſt commune. At eſſe dependens & non dependens ſunt extreme contradictoria. Ergo illis nihil eſt commune. Et confirmatur quod creaturæ frequenter dicuntur nonentia, quo modo Auguſtinus ait L. VIII. de Civit. Dei Cap. 2. quæ creata ſunt, etſi videntur eſſe, non ſunt tamen.*

Reſolvuntur. Sed primum reſpondemus ad primam objectionem. Licet heic ſtatuamus Deo & creaturis communem eſſe entis conceptum, & convenientia, quæ hinc pendent, prædicata quædam univerſalia; abſit tamen, putetur, excellentiæ divinæ gloriam tali convenientia lædi, vel differentiam infinitam ſibi non conſtare, quæ ſane haud omnem reſpuit convenientiam, ſed indicat prædicata, quæ rebus finitis competunt, ab illis, quæ in Deo elucent, in infinitum ſuperari. Neque ergo defendimus hanc convenientiam & identitatem in conceptu entis, ad Deum & creaturas objective relati, eſſe omnimodam ſine ulla diverſitate, quo reſpectu illum ſimul ingreditur modus, quo exiſtentia ei non repugnat. Efficit hæc convenientia genus quoddam, ſed non univocum, verum analogum, uti mox conſtabit plenius, quod nullam compoſitionem ex genere & differentia ſpecifica infert, ſimplicitati Dei inimicam.

Ad alteram Objectionem reſpondeo, quod extrema contradictoria poſſint inter ſe convenire, non quatenus ſunt contradictoria, ſed quatenus, ut membra dividentia, ſub uno diviſo continentur. Sic recte dico in Logicis diſtinctam & confuſam notionem ſibi opponi, & eatenus illas notiones inter ſe non convenire; hoc tamen non obſtat quominus de utraque notione affirmem illam eſſe claram: Eodem modo opponuntur inter ſe dependens & independens, ſcilicet formaliter, non vero generice & materialiter, nam utrumque

trumque convenit in τῷ *eſſe*. Ergo non habent ſe ut eſſe & non-eſſe. De cetero notes creaturas vocari non-entia, vendicando Deo entitatem per eminentiam, qui modus loquendi in aliis etiam uſitatus eſt, ad ſimilem eminentiam, in alio inſinuandum. Nam quod ſimpliciter creaturæ non ſint non-entia, apparet, quia alias non poſſent dici creaturæ. Creatio enim non terminatur ad dandum non-eſſe. Quod conſiderans *Auguſtinus*, ait, creaturas non eſſe, *quia non ſunt id, quod Tu* (Deus) *es, & tamen ſunt, quia à Te ſunt.*

§. 246.

Univocorum definitio.

Univoca, Græcis συνώνυμα, ſunt ſecundum Ariſtotelem, quorum & nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ ſecundum illud nomen. Hoc eſt, quæ non ſolum habent idem & commune nomen, ſed & eandem æquali modo eſſentiam & naturam per nomen illud commune denotatam: ſeu, quibus conſtanter invariata reſpondet notio communis, idemque modus illam habendi.

Eſt hæc univoci acceptio propria & rigoroſa, nam alioquin improprie & latius quidam univocum adæquate opponunt æquivoco, putantes univoca dici, quorum & nomen eſt idem & definitio ad nomen illud accommodata, ſine ullo reſpectu ad modum illam habendi,

bendi. Quæcunque igitur non ſunt æquivoca in hac ſignificatione, ex vi oppoſitionis immediatæ, univoca dici debent. Poſita itaque hac laxa univocorum ſignificatione, analogis nullus relinqueretur locus. Quoniam tamen probavimus (§. 242. 245.) poſſe eandem notionem entis pluribus inæquali competere modo, quia etiam ab Ariſtotelis inde tempore mos invaluit, ſtatuendi univoca genera de ſuis inferioribus æqualiter prædicari; liquet nos jure diſcedere ab hoc laxo univocorum ſenſu, & nonniſi proprium & rigoroſum, quem definivimus, approbare.

Ceterum, quæ heic explicamus univoca, Scholaſticis *univoca univocata* dicuntur, à quibus, ſecundum eosdem, differt *univocum univocans*, quod eisdem eſt ipſum nomen, quatenus pluribus eſt commune in eadem ſignificatione. Ex. gr. terminus *homo* eſt univocum univocans, quia pluribus competit, ut Alexandro, Dario, Johanni, &c. in eadem ſignificatione. Alexander vero, Darius, Johannes &c., quatenus de eadem hominis notione, & eodem modo illam habendi, participant, ſtilo Scholaſticorum univoca univocata appellantur.

§. 247.

Modi identitas in univocis.

Univocis ergo competit eadem ratio, ſeu idem modus, habendi notionem communem eandem.

Imme-

Immediatam involvit hoc corollarium conſequentiam, ex definitione univoci deductam (§. 246.), quam Scholaſtici & veteres Philoſophi tantum non omnes approbavêre. *Fonſeca* L. IV. Metaph. Cap. 2. Qv. 1. Sect. IV. pag. 695. T. 1. *Perſpicuum eſt*, inquit, *ea, quæ non una ratione dicuntur, non eſſe univoca.* Et pag. 698. *Nulla res, quæ in prædicato univoce convenit cum altera, includit quicquam in ratione ejusmodi prædicati, quod altera non includat.* Eandem ſententiam habet *Scheiblerus* L. 2. Metaph. Cap. 3. n. 164. 165. *Saurius* quoque in Syntagm. Log. L. 1. Sect. 1. Cap. 1. p. 40, pluresque alii. Majoris perſpicuitatis ergo aliquod adferre lubet exemplum: Terminus *homo* eſt univocus, ad Alexandrum, Darium, Johannem, &c. applicatus, nam eis non ſolum competit eadem hominis notio, verum etiam idem modus habendi quicquid in notione illa continetur. Quis enim dixerit, Alexandro primario, ſecundario autem Dario competere animam rationalem, vel corpus organicum, vel τὸ eſſe hominis? Longe vero alia eſt ratio analogorum, quorum explicationem ſtatim ſubjungimus, ut univocorum indoles eo magis pateſcat.

§. 248.

Analoga quod?

Non difficile foret generalem analogorum tradere definitionem, ſi ad mentem *Ariſtotelis* unice attenderemus, qui L. 1. Eth. Cap. 6, & aliis multis locis accurate

curate diſtinguit inter analoga, & quæ ipſi vocantur τὰ πρὸς ἓν ἢ ἀφ᾽ ἑνὸς, *communia ad unum, vel ab uno*, quæque Scholaſtici ad analogiam attributionis referre ſolent. Quo ſenſu vox græca *Analogia*, quæ Latinis *Proportio* dicitur, nihil eſſet aliud quam convenientia unius cum altero, vel plurium cum pluribus in eadem habitudine, ſeu relatione. Uſus vero latinæ Scholæ obtinuit, ut analoga iſta, proprie ſic dicta, & communia ab uno vel ad unum, uno generali titulo analoga vocentur, cujus rei teſtes ſunt cum *Ammonio* innumeri alii ſcholaſtici doctores. Hinc non exigua exſurgit difficultas uno ſimplici, diſtincto tamen conceptu, analoga comprehendendi. Quidam analogiam definituri dicunt illam conſiſtere in inæquali nominis alicujus participatione. Sed hæc definitio potius afficit voces, quæ *analogorum analogantium* nomine Scholaſticis veniunt, quam ipſa analogata, ſeu res ipſas, in quarum analogiam inquirere conſtituimus. Eſt quidem in omni analogia identitas nominis, & aliqua rerum interna, vel relativa convenientia, ita tamen, ut uni vel magis proprie, vel primario, alteri minus proprie, vel ſecundario competat; Hæc tamen nondum mihi ſufficere videntur ad completam analogiæ notionem exhibendam, quum interna rei prædicata vel quantitates ſint vel qualitates

Digitized by Google

tes, ut independenter ex his ſuo demonſtrabitur loco, illæque in nulla analogiæ ſpecie locum præciſe inveniant, niſi quatenus ipſam rei notionem ingrediantur; neque hæ, ſi accidentales fuerint, inter ſe convenientes, analogiam formant, ſaltem ſecundum communem rationem explicandi analogiæ ſpecies. Quia vero formam, ſeu definitionem rei, non ingrediuntur accidentia, illa ratio mihi aptior videtur ad exprimendam analogorum naturam: Sunt itaque *Analoga* duo vel plura entia, quæ, præter nominis identitatem, involvunt convenientiam vel relationem inter ſe, vel formæ unius cum alterius ad eam relatione, vel formarum inter ſe, ita tamen, ut uni proprie, vel primario, quod prius analogatum vocatur, alteri improprie, vel ſecundario, competat idem nomen & notio per illud denotata.

§. 249.

Analogia proportionis definitur.

Generali analogorum theoriæ, ut potuimus, leviter expoſitæ (§. 248.), plus accedet claritatis, ſi per eorum ſpecies eatur. In his prima occurrit *Analogia Proportionis*, quam mox definivimus per convenientiam unius cum altero, vel plurium cum pluribus in eadem habitudine, ſeu relatione. Secundum hanc ergo analogiam analoga ſunt, quæ propter aliquam relationum convenientiam idem vel

habent

Digitized by Google

habent vel habere poſſunt nomen, ita tamen, ut uni proprie, alteri improprie competat, non itaque ſub una eademque definitione.

Hanc analogiam habet *pes*, qui & de homine & de lecto prædicatur ob relationum convenientiam. Ita rex & pater conveniunt in eo, quod rex ſit reſpectu ſubditorum, quod pater reſpectu liberorum. Inter regem itaque & patrem eſt analogia proportionis. Obſervant, qui accuratiores eſſe volunt, inter analogiam, ſeu proportionalitatem, & nudam ſimilitudinem, quam alii convenientiam, alii rationem appellant, dari diſcrimen, quod *hæc* inter duo ſimplicia intercedat, ut inter hominem & pratum quoad ridere, *illa* inter duo complexa, v. gr. *unum complexum eſt*: ſicut ſe oculus habet in corpore, *alterum eſt*: ita ſe mens habet in anima. Quando igitur tam menti quam oculo tribuitur commune nomen τὸ videre, fieri id per analogiam proportionis dicunt.

§. 250.

Hæc analoga ſunt æquivoca. Habent hæc analoga idem nomen, ſed diverſam ejus definitionem (§. 249.); accurate igitur loquendo ad æquivoca pertinent (§. 243.), neque idcirco medium inter æquivoca & univoca obtinent locum.

Sic videre, quando oculo tribuitur, aliam habet notionem, quam ubi de mente enunciatur,

tur; quatenus tamen inter oculum & mentem adeſt aliqua ſimilitudo, datur ratio, cur viſus & huic & illi tribuatur. Quo ipſo patet, hæc analoga non pertinere ad *æquivoca caſu facta*, in quibus nulla comparet ratio, cur communi utantur nomine, ſed ad *æquivoca conſilio conſtituta*, in quibus aliqua locum invenit ratio.

§. 251.

Ens non eſt analogum proportionis.

Ens, ad Deum & creaturas relatum, æquivoce non ſumi antea oſtendimus (§. 244.), ſimul ergo contendimus, omnem analogiam proportionis à conceptu entis eſſe removendam (§. 250.).

Huc accedit, quod id, quod ſub tali analogo eſt poſterius analogatum, ſeu, quod dicitur tale propter ſimilitudinem ad aliud, remota iſta comparatione non dicatur aut ſit amplius tale: ut ens creatum, abſolute de eo loquendo, omnino entitatem habet, dimiſſa illa comparatione ad Deum. Non igitur creatura ſolum dicitur ens, quia enti eſt ob externam quandam relationem ſimilis; ſed abſolute ens eſt; Non ergo in analogia proportionis.

§. 252.

Analogia attributionis quid

Ab hac analogia Proportionis differt illa, quæ *Attributionis* nomen habet, & quæ continetur con-

venien-

in genere, & extrinſecæ denominationis in ſpecie.

venientia, vel formæ cum relatione, vel formarum inter ſe. Atque hinc alia *Analogia attributionis extrinſecæ denominationis*, alia *intrinſecæ*. De hac nobis mox diſſerendum erit. Illa conſiſtit in convenientia formæ, ſeu definitionis unius entis cum alterius ad illam relatione: ſeu, ut alii loqui amant, analoga attributionis extrinſecæ denominationis ſunt, quæ commune habent nomen, ita tamen, ut uni eorum, quod prius analogatum dicitur, competat forma interna ſeu definitio, reliquis autem non, ſed extrinſeca quædam appellatio & relatio certa ad prius illud.

Sic ſanum ex. gr. abſolute dicitur de animali, de medicina autem, quatenus efficit ſanitatem, de colore & urina, quatenus eandem indicant. Medicinæ ergo, colori & urinæ tribuitur ſanitas non ſub eadem notione, qua competit animali, ſed per extrinſecam tantum denominationem & relationem ad ſanitatem animalis, quod heic principale analogatum audit. Qui igitur hanc analogiam cum analogia proportionis confundunt, non accurate attendunt ad diſtinctas utriusque analogiæ notiones: Aliud enim eſt convenientia relationum inter ſe, quæ analogiam proportionis ingreditur (§. 249.), aliud vero involvit formæ unius cum alterius ad illam relatione convenientia, quæ analogiam attributionis extrinſecæ denomi-

natio-

nationis conſtituit. Hinc niſi diverſos confundere velit conceptus, dixerit nemo ſanitatem v. gr. ſe habere ad animal, quem ad modum ad urinam. Non itaque videre poſſum, quo modo *Rœtenbeccius* in Log. V. & N. §. 91. in not. cum D. Du *Hamel* & *Goveano* in analogia extrinſecæ denominationis analogiam proportionis ſtatuere poſſit.

§. 253.

Analogiæ extrinſecæ attributionis æquivocatio.

Hæc convenientia, qua anologia attributionis extrinſecæ conſtituitur (§. 251.), non extendenda eſt ultra formæ unius cum alterius ad illam relatione ſimilitudinem: Quam ob cauſſam habent, ſecundum hanc analogiam, analogata diverſam naturam & formam. Seu, habent nomen commune, non tamen eandem invariatam notionem (§. cit.). Pertinent ergo ad æquivoca (§. 243.).

§. 254.

Ens non ſumitur in analogia attributionis extrinſecæ.

Efficitur hinc ens, ad Deum & creaturas relatum, non ſumi debere in analogia attributionis extrinſecæ denominationis (§. 244).

Vera ſunt creaturæ entia, veramque entis notionem ſibi habent communem; non autem haberent, ſi ens Deo competeret, illis ve-

ro noniſi per extrinſecam denominationem, quæ internam earum non ingreditur naturam, quod mox demonſtratis e diametro repugnat (§. 242.). Sed objicitur locus *Ariſtotelis* L. IV. Metaph. Cap. 2. ubi dicit Philoſophus ens prædicari de ſubſtantia & accidente, ſicut ſanum de ſanitate animalis, & ceteris, quæ ſana dicuntur, quod analogiam attributionis extrinſecæ denominationis non poteſt non inferre. Verum, quamvis auctoritatibus in Philoſophia non ſit pugnandum, certum tamen eſt, hunc Ariſtotelis citatum locum nobis non eſſe inimicum. Fateor analoga attributionis extrinſecæ denominationis non pertinere ad æquivoca caſu, ſed ſpeciatim ad æquivoca conſilio, vel ad æquivoca in genere, prout illa mox (§. 243.) explicuimus ad ductum Ariſtotelis, qui L. Categ. Cap. 1. dicit æquivocum eſſe omne illud, quod ſub communi nomine non ſignificat communem eſſentiam. Deinde quod Ariſtoteles addit, ens dici multipliciter ſicut ſanum &c. in eo non vult ſtabilire omnimodam convenientiam, quæ ſit in utriusque analogia, ſed ea ſimilitudo eſt, quæ ſatis habet, ſi in aliquo tertio procedat. Siſtenda igitur eſt illa comparatio in eo, quod utrumque iſtorum, nempe & ens & ſanum, dicuntur de ſuis analogatis per prius & poſterius, & hoc verum eſt de utroque analogo attributionis.

§. 255.

§. 255.

Hiſce analogiæ ſpeciebus breviter delineatis, ad *Analogiam attributionis intrinſecæ* evolvendam, quæ majoris ſane eſt momenti, animi promoveamus attentionem. Conſiſtit illa analogia in convenientia duorum vel plurium entium quoad eandem formam, quæ uni eorum primario, reliquis ſecundario competit. *Analogata* ergo in hac analogia ſunt, quæ idem & commune habent nomen, eandem* notionem, ſeu formam, per nomen illud denotatam, ſed inæquali modo, ita ut uni eorum competat primario, reliquis ſecundario. Per *inæqualem modum* intelligimus non tam diverſum gradum dignitatis, ſed potius inæqualitatem, uti dicunt, participationis, ſeu rationis poſſidendi communem formam, vel ex eodem illo, cui forma competit, unice intelligibilis, vel nonniſi ex hoc priori deducibilis. *Analogia attributionis intrinſecæ.*

Dixi me heic non admittere diverſum dignitatis gradum: Non enim approbamus eorum operam, qui ſtatuunt *analoga inæqualitatis*, quorum ſcilicet nomen eſſet commune, & notio juxta illud nomen eadem, ſed ita tamen, ut in altero inferiorum eſſet minus perfecta. Sic animalis natura & eſſentia eſt æque in leone ac in homine, licet propter differentiam ſpecificam, ſcilicet animam rationa-

curate diſtinguit inter analoga, & quæ ipſi vocantur τὰ πρὸς ἕν ἢ ἀφ᾽ ἑνὸς, *communia ad unum, vel ab uno*, quæque Scholaſtici ad analogiam attributionis referre ſolent. Quo ſenſu vox græca *Analogia*, quæ Latinis *Proportio* dicitur, nihil eſſet aliud quam convenientia unius cum altero, vel plurium cum pluribus in eadem habitudine, ſeu relatione. Uſus vero latinæ Scholæ obtinuit, ut analoga iſta, proprie ſic dicta, & communia ab uno vel ad unum, uno generali titulo analoga vocentur, cujus rei teſtes ſunt cum *Ammonio* innumeri alii ſcholaſtici doctores. Hinc non exigua exſurgit difficultas uno ſimplici, diſtincto tamen conceptu, analoga comprehendendi. Quidam analogiam definituri dicunt illam conſiſtere in inæquali nominis alicujus participatione. Sed hæc definitio potius afficit voces, quæ *analogorum analogantium* nomine Scholaſticis veniunt, quam ipſa analogata, ſeu res ipſas, in quarum analogiam inquirere conſtituimus. Eſt quidem in omni analogia identitas nominis, & aliqua rerum interna, vel relativa convenientia, ita tamen, ut uni vel magis proprie, vel primario, alteri minus proprie, vel ſecundario competat; Hæc tamen nondum mihi ſufficere videntur ad completam analogiæ notionem exhibendam, quum interna rei prædicata vel quantitates ſint vel qualita-

tes

Digitized by Google

tes, ut independenter ex his ſuo demonſtrabitur loco, illæque in nulla analogiæ ſpecie locum præciſe inveniant, niſi quatenus ipſam rei notionem ingrediantur; neque hæ, ſi accidentales fuerint, inter ſe convenientes, analogiam formant, ſaltem ſecundum communem rationem explicandi analogiæ ſpecies. Quia vero formam, ſeu definitionem rei, non ingrediuntur accidentia, illa ratio mihi aptior videtur ad exprimendam analogorum naturam: Sunt itaque *Analoga* duo vel plura entia, quæ, præter nominis identitatem, involvunt convenientiam vel relationem inter ſe, vel formæ unius cum alterius ad eam relatione, vel formarum inter ſe, ita tamen, ut uni proprie, vel primario, quod prius analogatum vocatur, alteri improprie, vel ſecundario, competat idem nomen & notio per illud denotata.

§. 249.

Analogia proportionis definitur.

Generali analogorum theoriæ, ut potuimus, leviter expoſitæ (§. 248.), plus accedet claritatis, ſi per eorum ſpecies eatur. In his prima occurrit *Analogia Proportionis*, quam mox definivimus per convenientiam unius cum altero, vel plurium cum pluribus in eadem habitudine, ſeu relatione. Secundum hanc ergo analogiam analoga ſunt, quæ propter aliquam relationum convenientiam idem vel habent

Digitized by Google

habent vel habere poſſunt nomen, ita tamen, ut uni proprie, alteri improprie competat, non itaque ſub una eademque definitione.

Hanc analogiam habet *pes*, qui & de homine & de lecto prædicatur ob relationum convenientiam. Ita rex & pater conveniunt in eo, quod rex ſit reſpectu ſubditorum, quod pater reſpectu liberorum. Inter regem itaque & patrem eſt analogia proportionis. Obſervant, qui accuratiores eſſe volunt, inter analogiam, ſeu proportionalitatem, & nudam ſimilitudinem, quam alii convenientiam, alii rationem appellant, dari diſcrimen, quod *hæc* inter duo ſimplicia intercedat, ut inter hominem & pratum quoad ridere, *illa* inter duo complexa, v. gr. *unum complexum eſt*: ſicut ſe oculus habet in corpore, *alterum eſt*: ita ſe mens habet in anima. Quando igitur tam menti quam oculo tribuitur commune nomen τὸ videre, fieri id per analogiam proportionis dicunt.

§. 250.

Hæc analoga ſunt æquivoca. Habent hæc analoga idem nomen, ſed diverſam ejus definitionem (§. 249.); accurate igitur loquendo ad æquivoca pertinent (§. 243.), neque idcirco medium inter æquivoca & univoca obtinent locum.

Sic videre, quando oculo tribuitur, aliam habet notionem, quam ubi de mente enunciatur,

tur; quatenus tamen inter oculum & mentem adeſt aliqua ſimilitudo, datur ratio, cur viſus & huic & illi tribuatur. Quo ipſo patet, hæc analoga non pertinere ad *æquivoca caſu facta*, in quibus nulla comparet ratio, cur communi utantur nomine, ſed ad *æquivoca conſilio conſtituta*, in quibus aliqua locum invenit ratio.

§. 251.

Ens non eſt analogum proportionis.

Ens, ad Deum & creaturas relatum, æquivoce non ſumi antea oſtendimus (§. 244.), ſimul ergo contendimus, omnem analogiam proportionis à conceptu entis eſſe removendam (§. 250.).

Huc accedit, quod id, quod ſub tali analogo eſt poſterius analogatum, ſeu, quod dicitur tale propter ſimilitudinem ad aliud, remota iſta comparatione non dicatur aut ſit amplius tale: ut ens creatum, abſolute de eo loquendo, omnino entitatem habet, dimiſſa illa comparatione ad Deum. Non igitur creatura ſolum dicitur ens, quia enti eſt ob externam quandam relationem ſimilis, ſed abſolute ens eſt; Non ergo in analogia proportionis.

§. 252.

Analogia attributionis quid

Ab hac analogia Proportionis differt illa, quæ *Attributionis* nomen habet, & quæ continetur con-

venien-

in genere, & extrinſecæ denominationis in ſpecie.

venientia, vel formæ cum relatione, vel formarum inter ſe. Atque hinc alia *Analogia attributionis extrinſecæ denominationis*, alia *intrinſecæ*. De hac nobis mox diſſerendum erit. Illa conſiſtit in convenientia formæ, ſeu definitionis unius entis cum alterius ad illam relatione: ſeu, ut alii loqui amant, analoga attributionis extrinſecæ denominationis ſunt, quæ commune habent nomen, ita tamen, ut uni eorum, quod prius analogatum dicitur, competat forma interna ſeu definitio, reliquis autem non, ſed extrinſeca quædam appellatio & relatio certa ad prius illud.

Sic ſanum ex. gr. abſolute dicitur de animali, de medicina autem, quatenus efficit ſanitatem, de colore & urina, quatenus eandem indicant. Medicinæ ergo, colori & urinæ tribuitur ſanitas non ſub eadem notione, qua competit animali, ſed per extrinſecam tantum denominationem & relationem ad ſanitatem animalis, quod heic principale analogatum audit. Qui igitur hanc analogiam cum analogia proportionis confundunt, non accurate attendunt ad diſtinctas utriusque analogiæ notiones: Aliud enim eſt convenientia relationum inter ſe, quæ analogiam proportionis ingreditur (§. 249.), aliud vero involvit formæ unius cum alterius ad illam relatione convenientia, quæ analogiam attributionis extrinſecæ denomi-

natio-

nationis conſtituit. Hinc niſi diverſos confundere velit conceptus, dixerit nemo ſanitatem v. gr. ſe habere ad animal, quem ad modum ad urinam. Non itaque videre poſſum, quo modo *Rœtenbeccius* in Log. V. & N. §. 91. in not. cum D. Du *Hamel* & *Goveano* in analogia extrinſecæ denominationis analogiam proportionis ſtatuere poſſit.

§. 253.

Analogiæ extrinſecæ attributionis æquivocatio.

Hæc convenientia, qua anologia attributionis extrinſecæ conſtituitur (§. 251.), non extendenda eſt ultra formæ unius cum alterius ad illam relatione ſimilitudinem: Quam ob cauſſam habent, ſecundum hanc analogiam, analogata diverſam naturam & formam. Seu, habent nomen commune, non tamen eandem invariatam notionem (§. cit.). Pertinent ergo ad æquivoca (§. 243.).

§. 254.

Ens non ſumitur in analogia attributionis extrinſecæ.

Efficitur hinc ens, ad Deum & creaturas relatum, non ſumi debere in analogia attributionis extrinſecæ denominationis (§. 244).

Vera ſunt creaturæ entia, veramque entis notionem ſibi habent communem; non autem haberent, ſi ens Deo competeret, illis vero

T

ro noniſi per extrinſecam denominationem, quæ internam earum non ingreditur naturam, quod mox demonſtratis è diametro repugnat (§. 242.). Sed objicitur locus *Ariſtotelis* L. IV. Metaph. Cap. 2. ubi dicit Philoſophus ens prædicari de ſubſtantia & accidente, ſicut ſanum de ſanitate animalis, & ceteris, quæ ſana dicuntur, quod analogiam attributionis extrinſecæ denominationis non poteſt non inferre. Verum, quamvis auctoritatibus in Philoſophia non ſit pugnandum, certum tamen eſt, hunc Ariſtotelis citatum locum nobis non eſſe inimicum. Fateor analoga attributionis extrinſecæ denominationis non pertinere ad æquivoca caſu, ſed ſpeciatim ad æquivoca conſilio, vel ad æquivoca in genere, prout illa mox (§. 243.) explicuimus ad ductum Ariſtotelis, qui L. Categ. Cap. 1. dicit æquivocum eſſe omne illud, quod ſub communi nomine non ſignificat communem eſſentiam. Deinde quod Ariſtoteles addit, ens dici multipliciter ſicut ſanum &c. in eo non vult ſtabilire omnimodam convenientiam, quæ ſit in utriusque analogia, ſed ea ſimilitudo eſt, quæ ſatis habet, ſi in aliquo tertio procedat. Siſtenda igitur eſt illa comparatio in eo, quod utrumque iſtorum, nempe & ens & ſanum, dicuntur de ſuis analogatis per prius & poſterius, & hoc verum eſt de utroque analogo attributionis.

§. 255.

§. 255.

Analogia attributionis intrinſecæ.

Hiſce analogiæ ſpeciebus breviter delineatis, ad *Analogiam attributionis intrinſecæ* evolvendam, quæ majoris ſane eſt momenti, animi promoveamus attentionem. Conſiſtit illa analogia in convenientia duorum vel plurium entium quoad eandem formam, quæ uni eorum primario, reliquis ſecundario competit. *Analogata* ergo in hac analogia ſunt, quæ idem & commune habent nomen, eandem notionem, ſeu formam, per nomen illud denotatam, ſed inæquali modo, ita ut uni eorum competat primario, reliquis ſecundario. Per *inæqualem modum* intelligimus non tam diverſum gradum dignitatis, ſed potius inæqualitatem, uti dicunt, participationis, ſeu rationis poſſidendi communem formam, vel ex eodem illo, cui forma competit, unice intelligibilis, vel nonniſi ex hoc priori deducibilis.

Dixi me heic non admittere diverſum dignitatis gradum: Non enim approbamus eorum operam, qui ſtatuunt *analoga inæqualitatis*, quorum ſcilicet nomen eſſet commune, & notio juxta illud nomen eadem, ſed ita tamen, ut in altero inferiorum eſſet minus perfecta. Sic animalis natura & eſſentia eſt æque in leone ac in homine, licet propter differentiam ſpecificam, ſcilicet animam rationa-

 lem,

lem, ſit perfectior in homine quam in leone. Verum hoc genus analogiæ merito rejicitur, cum major & minor alterius ſpeciei dignitas ſpecifica ipſi generis notioni, quam non ingrediuntur determinationes ſpecificantes, male adſcribatur, cujus veram univocationem (§. 246.) non tollit.

Quæ analoga medium tenent locum inter univoca & æquivoca.

Quando vero dicunt veteres Philoſophi analoga medio loco ponenda eſſe inter univoca & æquivoca, non intelligunt analoga proportionis & attributionis extrinſecæ, quæ ad æquivoca referri & ipſi fatentur, & nos antea demonſtravimus (§. 250. 253.), ſed analoga attributionis intrinſecæ denominationis, quæ in eo conveniunt cum univocis, quod habeant idem nomen & eandem definitionem, per nomen illud denotatam; in eo autem differunt, quod inæqualis ſit prædicandi modus in iſtis analogis, in univocis autem æqualis (§. 247.).

§. 256.

Ens non eſt univocum.

Entis conceptus, ad Creatorem & creaturas relatus, non eſt univocus. Si enim univocus eſſet, non ſolum eadem notio Creatori & creaturis competeret, ſed etiam idem & æqualis modus, eandem habendi, eis conveniret (§. 246.). At Deo primario exiſtentia non repugnat, ſeu entis competit nomen (§. 226.), creaturis ſecundario (§. 242.), h. e. diverſo &

& inæquali modo. Entis ergo conceptus, ad Creatorem & creaturas relatus, non eſt univocus (§. 246.).

Si porro conceptus entis ſtatueretur univocus, Deo & creaturis unum idemque & eodem affectum modo conveniret attributum commune, & idcirco ens finitum, quale omnes creaturæ ſunt, capax eſſet prædicati infiniti; quod omnes, ſaniores ſaltem, abſurdum largiuntur.

Cantelæ de ſenſu univoci.

De cetero obſerves nos univocum heic non accipere 1:o) *abuſive*, pro eo, quod unum quid quocunque modo in ſuis inferioribus ſignificat: Nam hac ratione entis conceptum eſſe univocum faciles largimur, & ex ante demonſtratis liquet (§. 245.). Neque 2:o) *late*, prout æquivoco adæquato opponitur (§. 246. not.). Nam hoc modo & nos, qui antea evicimus & nomen entis (§. 242.), & eandem ejus definitionem (§. 245.), Deo & creaturis competere, univocum entis conceptum defendimus. Non ergo cum *Scoto* & aſſeclis pugnabimus, qui hoc modo entis conceptum univocum, teſte *Scheiblero* L. 2. Metaph. Cap. 3. n. 160. 162. defenderunt; Sed 3:o) *rigoroſe & abſolute* pro eo, quod ſecundum eandem definitionem & eundem ſeu æqualem modum de pluribus prædicatur (§. 246.). Et hoc ſenſu quamvis evidenter demonſtratum jam ſit, ens non eſſe univocum, plures tamen nobis occurrunt adverſarii, pro ſenſu univoco pugnantes. Inter hos eſt *Rodericus*

Recenſentur Adverſarii.

de Arriaga Diſp. II. Log. Sect. 2. n. 14. *Johannes Lalemandetius* Diſp. V. Metaph. Partit. 1. n. 6. *Melchior Cornæus* Diſp. I. Metaph. Qv. 4. dub. 3. aliique veterum, cum quibus faciunt *Paulus Slevogtus* integra Diſput. II. qua de ratione generica entis in ordine ad ſua inferiora agit, potiſſimum §. 42. p. 55. *Joh. Henricus Poſevitz* in Metaph. Theol. Cap. I. R. 1. p. 22. *Hollmannus* in Phil. Prim. P. I. Cap. I. §. 9. p. 191. T. 1. & plures adhuc alii recentiorum, contendentes *terminum entis abſtractum, prout eſt in mente abſtrahentis, ad ſua inferiora applicatum, nullam involvere differentiam, nihil diſcriminis, ſed ſolum denotare id, quod pluribus competit, modumque, quo exiſtentia enti non repugnat, notionem entis minime ingredi; nec uni magis, alteri minus repugnare poſſe exiſtentiam, niſi abſurde unum magis, alterum minus ſtatueretur poſſibile.* Hinc ergo concludunt *terminum entis ſumi debere univoce.*

Horum argumenta confutantur.

Largimur conceptum entis adſtructum, & formaliter, uti loquuntur, præciſum, ſimplicique ſuppoſitione nullam involvere inæqualitatem, diſcrimen nullum, modumque, quo exiſtentia ei non repugnat, illum non ingredi. Et ſi hæc formalis convenientia in mente concipientis ſufficeret, concedimus terminum entis eſſe univocum ſenſu ſcilicet laxiori; Verum ſi inſuper requiritur *convenientia objectiva*, uti omnino requiritur, ſi quidem ideas objectorum naturis conformes habere velimus; tum terminus entis, in applicatione ad Deum & creaturas, non eſt univo-

nivocus: Nam Ei longe alio modo non repugnat exiſtentia, quam entibus finitis, quatenus in illo exiſtentia fundatur in poſſibilitate, non item in his (§. 242.). Deinde in hac adverſariorum objectione confunditur laxa univoci acceptio cum propria & rigoroſa; in illius conceptu à modo exiſtendi abſtrahimus, hujus vero notionem modus ille non poteſt non ingredi (§. 246. 247.). Non hoc, ſed illo ſenſu concedimus adverſariis terminum entis eſſe univocum, ſimul urgentes, ſi ad modum, quo exiſtentia enti non repugnat, non attendatur, vanam eſſe omnem diſputationem de ſenſu univoco entis, quum ſic accurate & proprie loquendo neque univocus, neque analogus foret. Intorquent adverſarii, *ex noſtra ſequi aſſertione, quod in eodem entis conceptu ſimul involvatur perſeitas & non-perſeitas, hoc eſt, eſſe à ſe & ab alio, & ideo entis conceptum neque ad Deum, neque ad creaturas recte applicari, quia neuter horum perſeitatem & non-perſeitatem ſimul includit*. Oritur hoc dubium, quem ad modum prius illud, ex confuſione conceptus formalis & objectivi. Scilicet non ſtatuimus conceptum entis, abſtracte ſpectatum, perſeitatem & non-perſeitatem ſimul involvere, quod in ſe plane contradictorium foret (§. 53.); ſed contendimus eundem entis conceptum ad ſua Objecta, Deum & creaturas applicatum, involvere inæqualem eſſendi modum, ita ut, dum Deo attribuitur, perſeitatem inferat, de creaturis vero dum prædicatur, non-perſeitatem, h. e. eſſe ab alio involvat.

§. 257.

Quo ſenſu conceptus entis ſit analogus.

Conceptus entis, ad Deum & creaturas relatus, eſt analogus, analogia attributionis intrinſecæ. Vocabulo entis, quod ad Deum & creaturas refertur, eadem competit definitio (§. 245.), ſed diverſo modo; Illi enim primario, his ſecundario (§. 242.). Ergo ad Deum & creaturas relatum ens ſumitur analogice, analogia intrinſecæ attributionis (§. 255.).

Evicimus ſcilicet conceptum entis non eſſe æquivocum (§. 244.), neque univocum (§. 256.), neque analogum, analogia proportionis (§. 251.), vel attributionis extrinſecæ (§. 254.). Nihil ergo relinquitur aliud, quam ut ſit analogus, analogia intrinſecæ attributionis. Immo quilibet, modo rem penitius examinet, intelligit conceptum entis in ipſa participandi ratione hunc poſtulare ordinem, ut primum Deo competat independenti, & ab hoc deſcendat ad creaturas dependentes, quibus non inſit, niſi cum habitudine & dependentia ad prius analogatum.

Adverſarii.

Omnes, qui vel pro æquivoco vel pro univoco entisconceptu militant, & quorum plures eſſe jam vidimus (§. 244. 256.), heic habemus adverſarios, quorum ſingulas objectiones enumeratas & confutatas exhibere, ſtabilita theſi noſtra, minus neceſſarium ducimus, præſertim poſtquam eorum, qui pro univoco

univoco ſenſu pugnant, palmarium argumentum (§. 256.), quo etiam analogiam entis penitus evertere conantur, attulimus & ſufficienter confutavimus. Unum tamen, quod juniores turbare ſolet, dubium adferre placet & reſolvere. Nimirum, *putant nonnulli analogum non poſſe fundare unum conceptum, atque ideo poſita analogia entis ſequi creaturas amplius non eſſe vera entia.* Sed egregie falluntur. Non enim attribuimus enti analogiam vel proportionis (§. 251.), vel extrinſecæ attributionis (§. 254.), quæ utraque eundem conceptum fundare nequit (§. 250. 253.), ſed analogiam intrinſecæ attributionis, quæ nullam conceptus formalis infert diverſitatem (§. 255.). Hac ergo poſita, non deſinunt creaturæ eſſe vera entia. Neque confundant precamur modum exiſtendi cum veritate in exiſtendo; hæc eadem manet & invariata, etiamſi ille in diverſis entibus differat.

§. 258.

Enti opponitur *Non-ens*, quod ergo eſt id, cui exiſtentia repugnat. *Non-ens quid?* Stabilito & evoluto entis conceptu (§. 226. 227.), quem in non-repugnantia ad exiſtendum verſari probavimus; conceſſo pariter, quod omnes ex principio excluſi medii edocti ultro largiuntur, oppoſitorum oppoſitam eſſe rationem, liquet nos recte heic explicare non-ens, quod enti è diametro opponitur, per

per repugnantiam ad exiſtendum. Errant ergo putantes non-ens cum non-exiſtente coincidere, quaſi arbor v. gr. in ſemine latens, eſſet non-ens, quum illi exiſtentia non repugnet. Circulus vero quadratus, ferrum aureum, & ejusmodi alia, quorum notiones partiales inter ſe pugnant, ſunt non-entia.

Teneas inſuper, quando heic dicimus non-enti exiſtentiam repugnare, nos abſolute id ſumere, non relative, facta relatione vel ad ſufficientiam harum, vel iſtarum virium finitarum, vel ad conſiderationem agentis moralem, quo reſpectu multis rebus poteſt repugnare exiſtentia, quibus tamen, utpote abſolute poſſibilibus, eadem abſolute non repugnat, atque ideo eis vera competit entitas (§. 226.). Sed opponuntur ens & non-ens; huic ergo exiſtentia abſolute repugnat.

§. 259.

Non-entis abſ. impoſſibilitas. Quoniam abſolute impoſſibili exiſtentia repugnat, & cui exiſtentia abſolute repugnat, eſt abſolute impoſſibile (§. 134.), *abſolute impoſſibile eſt non-ens*, & viciſſim: *Non-ens eſt abſolute impoſſibile* (§. 258.).

§. 260.

Quid hinc ſequitur? (§. 259.) Ob hanc abſolutæ impoſſibilitatis & non-entis reciprocationem nihil inter non-entia referendum eſt prius

prius, quam oſtenſa fuerit ejus abſoluta impoſſibilitas. Quocirca tenendæ ſunt regulæ ſupra traditæ (§. §. 129. 130. 131.).

§. 261.

Non-entis & nihili reciprocatio.

Abſolute impoſſibile & nihil inter ſe reciprocantur (§. 132.), quare etiam nihil & non-ens eandem reciprocam inter ſe habent indolem (§. 259.), ſeu, *non-ens eſt nihil*, & viciſſim, *nihil eſt non-ens*.

Nihili acceptiones.

Omnes uno ore contendunt Metaphyſici, dari inter non-ens & nihil reciprocationem; quemadmodum tamen ens & non-ens varie apud illos ſumitur, ita etiam nihil & adhuc majori ſubjectum eſt æquivocationi. Nos heic, immo ſemper, ubicunque de nihilo incidit diſcurſus, ſumimus nihil in eodem conſtanti ſignificatu, quo denotat abſolute inconceptibile (§. 75.), & quo cum abſolute impoſſibili & non-ente reciprocatur (§. 132. & hac). Quo ſenſu etiam ſumitur nihil I. Cor. VIII. ubi dicit Apoſtolus *idolum nihil eſſe in mundo*, quia, ut addit, abſolute impoſſibile eſt, *ut alius ſit Deus, niſi unus*. Sed accipitur 2:o) *pro non-exiſtente*, ſeu mere poſſibili (§. 213. not.), quo ſenſu à Theologis, in Articulo de creatione, appellatur nihilum negativum, quando dicunt opera primi diei eſſe creata ex nihilo, hoc eſt, ex non-exiſtente facta eſſe exiſtentia. 3:o) *Pro indiſ-*

poſita

Digitized by Google

poſita & indigeſta mole, ex qua opera reliquorum dierum produxit Deus. Vocant vero Theologi hanc rudem & indigeſtam molem nihilum privativum. 4:o) *Pro eo, quod Scripturæ ſacræ eſt contrarium.* Hoc ſenſu multa Pontificiorum dogmata, v. gr. dogma de purgatorio, nihilum vocant Orthodoxi. 5:o) *Comparate pro parum*, quod in relatione ad aliud majus evaneſcit, quamvis in ſe ſit aliquid. Sic Matth. XIII. 12. *Habenti dabitur, nihil habenti etiam quod habet auferetur.* Ubi ſenſus eſt: *parum habenti*; nam quod abſolute nihil eſt, auferri nequit. 6:o) *Ratione effectus & valoris*, nam quatenus quid nullum effectum præſtat, minimum, non præſtat debitum, eatenus nihilum vocatur. Sic *circumciſio & præputium* nihil ſunt, i e. nihil efficiunt, ut valeant ad pietatem I. Cor. VII. 19. Eodem ſenſu ait *Paulus* I. Cor. XIII. 2. *Si habeam omnem fidem, ita ut etiam montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum*, i. e. nullius pretii & valoris ſum in conſpectu Dei & ædificatione Eccleſiæ. Qui plura de acceptione nihili in Scriptura ſacra deſiderat, *Flacium* adeat, qui in Clave ſua p. 734 & ſeq. deſiderio abunde ſatisfaciet.

§. 262.

Ex non-ente non ens.

Ex nihilo fieri nequit aliquid (§. 80.), nihil vero & non-ens (§. 261.), quem ad modum aliquid & ens (§. 238.), inter ſe reciprocari vidimus; Ergo *ex non-ente fieri nequit ens.*

Haud

Haud exiſtimes non-ens eſſe idem, quod non-exiſtens, ens vero, quod exiſtens: Nam hoc ſenſu non-ens coincidit cum mere poſſibili (§. 211.), ex quo ut fiat exiſtens non ſane implicat (§. 141.). Sed ſi ens & non-ens accipiuntur in ſuo nominali ſenſu, & metaphyſico, quem expreſſimus (§. 226. 258.), & vindicavimus (§. 227.), & quo ens cum abſolute poſſibili (§. 228.), non-ens cum abſolute impoſſibili (§. 259.) reciprocatur, quem etiam preſſe ſequimur: ſi, inquam, eo abſurdius erit ſtatuere ex non-ente fieri ens, hoc eſt, ex abſolute impoſſibili fieri abſolute poſſibile, quo certius, contra omnem rationem, inde ſequeretur ipſius principii contradictionis everſio.

§. 263.

Non-entis ad ens diſproportio.

Non-entis ad ens nulla eſt proportio. Illa enim inter ſe proportionem habere dicuntur, quæ ſunt homogenea, i. e. quorum unum aliquoties ſumtum, vel repetitum, alterum æquare vel ſuperare poteſt. Si ergo inter non-ens & ens daretur proportio, non-ens aliquoties repetitum fieret ens, quod abſurdum eſſe modo evicimus (§. 262.). Quam ob rem ſine hæſitatione contendimus, non-entis ad ens nullam dari proportionem.

Obſervante *Scheiblero* in Op. Log. p. 423. n. 49. habetur hæc regula apud *Pererium* L. II. Phil. Natural. Cap. 10. p. 633. & L. V. Cap. 6.

§. 264.

Non-entis prædicata. *De non-ente prædicari nequit aliquid.* De nihilo prædicari nequit aliquid (§. 78.), ſed non ens eſt nihil (§. 261.); ergo de non-ente prædicari nequit aliquid.

Quod ad §. 78. obſervavimus diſcrimen inter prædicata poſitiva & negativa, hoc etiam tenendum eſt loco. Quam ob cauſſam, vitandæ confuſionis gratia, cum aliis Metaphyſicorum non dicimus: *Non-entis nulla ſunt prædicata*; Quum regulæ huic indeterminatæ ſtatim obverti poſſet, non-ens prædicata admittere negativa, quod nemo non largitur, ad ea attendens, quæ præſente diſcurſu de non-ente enuncianda eſſe oſtendimus.

Diſcrimen ab alia regula. Qui non-ens enti opponunt non nominali, ſed participiali, atque ideo per non-ens intelligunt non-exiſtens, præſentem ſine varia limitatione adhibere nequeunt regulam. Contendunt ergo ſe per prædicata, quæ non-enti denegant, intelligere prædicata operativa, ſeu actualitatem inferentia, quorſum pertinere docent veri nominis accidentia. Secundum hunc itaque ſenſum præſens regula in hanc abiret: *Non-exiſtenti nulla competunt accidentia.* Sed differt hæc, cujus veritatem ſuo commonſtraturi ſumus loco, à noſtra præſente α) ſubjecto, quod in hac noſtra eſt non-ens, ſeu abſolute impoſſibile; in illa non-exiſtens, ſeu mere poſſibile. β) præ-

prædicato; Nam in præſenti regula denegantur non enti prædicata quævis poſitiva, adeoque ſimul accidentia: Illa vero docet de non-exiſtente nulla enuncianda eſſe accidentia.

§. 265.

Entis & non entis diſconvenientia.

Siquidem de non-ente prædicari nequit aliquid (§. 264.), quod tamen de ente prædicatur (§. 238.); *inter ens & non-ens omnimoda datur diſconvenientia* (§. 77.).

Inter *ens & non-ens infinitam dari diſtantiam* dixêre veteres Metaphyſici, quocirca obſervant vocabulum *diſtantiæ* non ſumi heic, quemadmodum ſolet, pro linea recta inter duo puncta, vel pro extenſione lineari recta, ſed in ſenſu, uti ajunt, metaphyſico, pro diſconvenientia, vel diſcrimine rerum. *Infinitum* vero non explicant poſitive, quaſi alterutrum extremorum eſſet actu infinitum; ſed negative, uti loqui amant, ita ut infinita diſconvenientia neget omnem convenientiam. Si ergo proprie & citra omnem obſcuritatem loqui velimus, veterum illa regula huic æquipollebit: *Inter ens & non-ens omnimoda locum habet disconvenientia.* Vel: *Ens & non-ens in nullo reali intrinſeco inter ſe conveniunt.*

Error Claubergii.

Egregie itaque errat *Claubergius*, in Notis ad ſuam Ontoſoph. §. 6. & alibi paſſim putans generaliſſimum

entis

entis conceptum (§. 10.) ſimul comprehendere nihil & aliquid, non-ens & ens, quaſi utriusque daretur conceptus communis, ſeu, quorundam prædicatorum convenientia, quod tamen vi præſentis regulæ, à nobis demonſtratæ, abſolute eſt impoſſibile. Neque eſt, ut cum *Svicero* in notis ad §. 6. Clauberg. dicamus nihilo competere entitatem nominalem, h. e. nomen entis: Nam hoc idem eſt ac ſi quis putaret circulo quadrato tribui poſſe nomen circuli, & ideo circulum hanc cum vero circulo communem poſſidere conceptum. Quod tamen impoſſibile omnes fatentur.

§. 266.

Non-entis ſcientia. *Non-entis nulla eſt ſcientia.* Eſt enim non-ens nihil (§. 261.) & proinde inconceptibile (§. 75.). Eſt vero ſcientia habitus aſſerta demonſtrandi (§. 18.), qui conceptibilitatem rei demonſtrandæ, ut Logica docet, non poteſt non inferre. Non-entis ergo ulla dari nequit ſcientia.

Si quis ſcientiæ vocabulum non pro notitia concluſionum, quo pacto nos ſcientiam definivimus (§. 18.), ſed pro quavis rei diſtincta cognitione ſumat, nihilo ſecius veriſſima erit præſens regula, denegans non-enti omnem conceptibilitatem.

Non negandum eſt, hanc regulam ab ipſo *Ariſtotele* de non-ente complexo, h. e. de integra propoſitione falſa, adeoque logico ſenſu,

Digitized by Google

ſenſu, uſurpari, quando L. I. Poſt. Cap. II. *Vera igitur*, ait, *eſſe oportet* (e quibus nempe fit demonſtratio), *quoniam non-entis non eſt ſcientia*, ut proinde ſenſus ſit: *falſæ propoſitionis nulla datur ſcientia*. Quia vero, ut recte demonſtrant Logici, falſa propoſitio eſt inconceptibilis, & idcirco nihil (§. 75.) & non-ens (§. 261.); hanc Ariſtotelis regulam de quovis non-ente incomplexo recte enunciari patet.

Iterum & heic evitabis ſenſum non-entis participialem, quo illud cum mere poſſibili ſeu non-exiſtente coincidit: Hujus enim, quia aliquid eſt (§. 150), datur conceptibilitas (§. 75.), adeoque ſcientia, minimum in intellectu infinito. Immo talem traderet ſcientiam, qui ſecundum principia *Franciſci tertii de Lanis* vellet conſcribere artem navigandi in aëre, licet ejusmodi ars non exiſtat, neque exſtitura erit. His accedit, quod omnes largiuntur Theologi, dari ſcientiam præteritorum, futurorum, v. gr. eclipſeos poſt decem annos futuræ, & futuribilium, hoc eſt, mere poſſibilium, quatenus ſub conditione, licet nunquam exiſtente, exſtitura ſunt. Quibus ſine læſione omniſcientiæ Divinæ, & omnis prudentiæ politicæ ex intellectu humano exterminatione, nunquam denegabitur ſcientia. Hæc ſane ratio eſt, cur qui non-ens participiali ſenſu pro non-exiſtente ſumunt, varie ſe torqueant ſenſum præſentis canonis eruturi, cur etiam quidam inſuperabilibus preſſi difficultatibus, cum *Donato* Reg. X. Metaph. p. 58. tandem

U

dem fatcantur æque verum eſſe oppoſitum canonem: *Non-entis datur aliqua ſcientia*. Hos autem ſcopulos declinat, qui nobiscum ſenſu nominali ſumit non-ens pro abſolute impoſſibili, cujus nulla datur vel dari poteſt ſcientia.

Sed quæris cur, quia de non-ente nulla valent prædicata poſitiva, nec ulla ejus datur ſcientia, tam multa de non-ente diſſeramus? Reſpondeo, ut tandem diſcas evitare nihil & non-ens in tuis diſcurſibus, quorſum pertinent *æternitas ſucceſſiva*, *mundus ab æterno producibilis*, *extenſum infinitum*, & alia ejusmodi, ut etiam eo magis pateat genuina entis natura, juxta notiſſimam, ſimul ac veriſſimam regulam: *oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt*.

Caput VII.

De ENTE REALI ET RATIONIS, POSITIVO ET PRIVATIVO.

§. 267.

Quid habendum de his diſtinctionibus?

Solent Metaphyſici, entis notioni plus evidentiæ & claritatis addituri, varias ejus exponere diviſiones, non veras ſolum & genuinas, ſed & ſpurias, quæ in notione entis non continentur, ut eo ampliorem habeant materiem diſtinguendi verum à falſo.

ſo. Ejusmodi ſpurias entis diviſiones hoc capite tradere conſtituimus, veras & genuinas in ſequentibus expoſituri.

§. 268.

Ens, quatenus conceptus ei reſpondet, ſeu, quatenus eſt aliquid (§ 75.), dici ſolet *Res*. *Res* ergo eſt, quicquid aliquid ponit. *Res quid?*

Rei vocabulum vel derivatur ex participio verbi reor, h. e. *ratus a um*, vel ex præſenti tempore dicti verbi, ut res ſit de quo reris. Priori ſenſu ſumitur pro actualibus tantum, poſteriori ſenſu comprehendit entia mere poſſibilia. Atque hic poſterior ſenſus, quo rei nomine venit, quicquid eſt aliquid, conveniens eſt communi loquendi uſui, quo æque promte dicimus *res poſſibiles*, ac *res actuales*. Sic roſam v. gr. in hyeme, quando nondum exiſtit, vocamus rem. Conſentit etiam receptæ apud Philoſophos ſignificationi. *Avicenna* quamvis rem reſtringat ad eſſentiam, concedit tamen illam involvere quidditatem. Hunc ſequitur *Jacobus Martini* in Exercit. Metaph. L. 1. p. 224. 226. contendens Philoſophos illo tempore communiter Rei nomine quidditatem denotare. Hinc *Radrauſius* in Metaph. errante p. 8. graviter in eos invehit, qui putant ens & rem objective non eſſe ſynonyma, ſeu æque late patere. Hinc Carteſianorum acu- *Probatur ex uſu recepto vulgari.* *& technico.*

tiſſimus *Claubergius* axiomatis loco ſtatuit §. 21. Ontoſoph. ad realitatem ſufficere, ut quid eſſe poſſit, licet revera non exiſtat: Sic roſam & nivem ſemper aliquid eſſe affirmamus, dum utriusque naturam, proprietates & operationes attendimus, licet illam hiberno, hanc æſtivo tempore exiſtere negemus. Simili ratione ſatis eſt ad realitatem talem, ut quid poſſit eſſe tale, qvamvis hic & nunc tale non exiſtat. Ita *Seneca: Diſertus eſt etiam qui tacet; bonus muſicus eſt qui dormit; bonus miles, qui in prælio jam non verſatur.* Neque video cur *Svicerus*, in notis ad Claubergii loc. cit. detorquere velit ejus ſenſum, quaſi ad *realitatem requireretur, ut quid vel fuerit vel ſit, nec ſufficere ut quocunque modo quid eſſe poſſit.* Hinc enim nihil ſequeretur aliud quam futurorum & futuribilium nullam dari realem ſcientiam, quod ſane abſurdiſſimum & in omniſcientiam Dei maxime injurium. Neque veritati convenit, quod dicit Suicerus, mentem humanam neſcire quid eſſe poſſit, niſi ab eo, quod fuit vel eſt, ideam decerpſerit, vel ſaltem illam à natura ſibi impreſſam habuerit. Nam mens humana non poteſt ex præſentibus ſolum & præteritis inferre futura, verum etiam varias ideas per arbitrariam determinationem formare, & formatarum realitatem à priori eruere. Immo, quatenus concedit Suicerus dari ideas innatas, à præteritis & præſentibus non decerptas, eatenus etiam fatebitur, dari harum idearum objecta, quæ non ſemper actualia eſſe, docet univerſaliſſimus

mus entis conceptus (§. 226.). His accedit reale metaphyſicum non præciſe æſtimandum eſſe ex noſtra potentia conceptum formandi, ſed ex conceptibilitate rei abſoluta.

Atque hoc ſenſu opponitur nihilo (§. 75.). Alioquin ſi reale ſumitur pro actuali, opponitur 1:o) *virtuali*, ſeu, ut aliis placet, potentionali, h. e. ei, quod de præſenti non exiſtit, poteſt tamen exiſtere. Hoc modo effectus latens in ſua cauſſa non eſt aliquod reale, ſed virtuale tantum. 2:do) *Verbali*, ſeu ei, quod titulum quidem poſſidet, rem tamen ipſam, titulo denotatam, non habet. Atque hoc ſenſu dicunt Theologi communicationem idiomatum eſſe realem, non verbalem. 3:o) *Ficto*, quod actuale non eſt, tale tamen fingitur, ut centaurus. Nos vero confuſionis vitandæ gratiâ potius in latiſſimo ſignificatu rei vocubulum heic ſumimus, pro omni eo, quod conceptibile eſt. In morali diſciplina rem in oppoſitione ad operationem rei ſumunt: In Jure autem Romano in oppoſitione ad perſonam & actionem adhibetur terminus *rei*, cum §. 12. J. de J. N. & G. C. dicit Imperator: *Omne jus, quo utimur, vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.* *Plures rei acceptiones recenſentur.*

§. 269.

Hinc *Ens Reale* recte definitur per id, quod vel eſt, vel eſſe poſſe concipitur. Seu *Reale* dicitur *ens*, quatenus *Ens Reale quid?*

 tenus

tenus aliquid eſt, vel, ſi placet, quatenus res eſt.

Ariſtotelicorum accuratiores dicunt ens reale eſſe, quod eſt citra mentis operationem, i. e. citra hoc, quod eſt objective in intellectu. Duplici autem modo dicunt aliquod eſſe objective in intellectu; *α*) *vel ita*, ut citra hoc, quod eſt objectum intellectus, habeat ſuum eſſe, ſeu ſit aliquid: ſic homo, canis roſa &c. objiciuntur quidem intellectui, dum ab eo cognoſcuntur, vel repræſentantur, ſed præterea habent ſuum eſſe, vel actuale, vel poſſibile. *β*) *vel ita*, ut citra hoc, quod fingitur, objectum intellectus nec ſit nec eſſe poſſit, ut *Spiritus corporeus*, *triangulum rectilineum birectangulum*, &c. Priori modo dicunt ens reale eſſe citra hoc, quod eſt objective in intellectu. Sub ente ergo reali comprehendunt, quicquid aliquid eſt. Idem ex notione rei mox evoluta (§. 268.) intelligitur. Nam ſi verum eſt, rem denotare aliquid, ſequitur ens reale, quod res eſt, eidem ſubjacere extenſioni. Neque hujus argumenti vim effugere valet, niſi qui abſurde negare velit ens reale rem eſſe.

§. 270.

Entis & Entis realis reciprocatio.

Omne ens eſt ens reale, & viciſſim, omne ens reale eſt ens. Eſt enim omne ens aliquid, & omne aliquid ens (§. 238.), ſed omne ens reale eſt aliquid, & omne aliquid eſt ens reale

ale (§. 269.). Ergo omne ens reale eſt ens, & viciſſim, omne ens eſt ens reale.

Objective ergo non differunt ens & ens reale, formaliter tamen, ſeu, per notiones à ſe mutuo diſtinguuntur; nam eatenus dicitur ens, quatenus exiſtentia ei non repugnat: eatenus vero reale vocatur, quatenus aliquid eſt, ſeu quatenus conceptum ſibi habet reſpondentem.

§. 271.

Realitatis definitio. *Realitas*, diminutivum, dictum à re, eſt quodlibet prædicatum, quidditatem ſeu rem ingrediens: ſeu, eſt quodlibet prædicatum, quo res conſtituitur.

Diximus rem eſſe ens, quatenus eſt aliquid (§. 268.), & proinde, quatenus eſt conceptibile (§. 75.). Sed hoc abſolvitur prædicatis, iisque ſibi mutuo non repugnantibus (§. 74.), omnis ergo res, qua talis, certis conſtituitur prædicatis, quorum quodlibet realitatis venit nomine. Sic v. gr. anima humana eſt ens & res, variis exornata facultatibus & prædicatis, quæ tamen intellectus & voluntatis nomine contineri ſolent: ſunt ergo intellectus & voluntas duæ realitates, quidditatem vel illam rem, quæ anima dicitur, ingredientes.

§. 272.

Diſcrimen à re. Diſtinguitur itaque realitas, quæ etiam à quibusdam Entitas dici ſo-

 let,

let, à re, ut anguſtius à latiore: Nam res quidditatem integre ſignificat (§. 268.); Realitas autem hoc vel illud prædicatum quidditatis (§. 271.).

Hæc ſententia apprime convenit *Scotiſtis*, qui primi hujus vocis, *realitas*, inventores perhibentur: Dicunt enim illi realitatem eſſe aliquid minus re, ponentes adeo in qualibet re multas realitates, quas alio quoque nomine appellant *formalitates*. Ut in homine ſunt realitates eſſe ſubſtantiæ, viventis, ſentientis, & rationalitas, qua homo ab animantibus brutis differt.

§. 273.

An realitatum pluralitas inferat pluralitatem rerum?

Manifeſto hinc colligimus *plures realitates non inferre plures res*. Quoniam res quidditatem integre ſignificat (§. 268.), realitas autem hoc vel illud prædicatum quidditatis (§. 271.), & in omni quidditate plura adſunt prædicata (§. cit. in not.), quæ tamen ſimul ſumta non inferunt niſi unam eandemque quidditatem & rem; liquet plures realitates non inferre plures res.

Non ſcilicet repugnat, ut de una eademque re plures ac diſtinctos conceptus, ſed inadæquatos formemus, qui, quatenus rei inſunt, realitates dicuntur, ita tamen ut res, quoad totum ſuum eſſe, in ſe una maneat. Falluntur itaque Sociniani, qui ineffa-

Digitized by Google

Error Socinianorum.

effabile illud S. S. Trinitatis myſterium hoc ſophiſmate, quantum penes ipſos, labefactare conantur: *Ubi ſunt plures realitates ſive perſonæ, ibi ſunt plures eſſentiæ & res. Atqui in Deo plures ſunt perſonæ. Ergo.* Sed fallit major, ut præſenti evictum eſt propoſitione. Neque perſonalitas eſt realitas adæquata & ultimata in Deo, in ſe ſpectato, ſed eſſentia, in cujus unitate tres ſubſiſtunt perſonæ.

§. 274.

Ens Rationis quid?

Enti reali omnes uno ore opponunt *Ens Rationis*, quod ergo nihil involvit aliud, quam id, quod nec eſt, nec eſſe poſſe concipitur.

Tria ad ens rationis communiter requirimus 1:o) ut non ſit, 2:o) ut non poſſit eſſe, 3:o) ut tamen, ex errore ſcilicet, habeatur pro eo, quod ſit, vel eſſe poſſit, hoc eſt, pro ente. Atque hinc ens rationis à plerisque veterum explicatur per id, *quod non habet eſſe ſuum, niſi in intellectu.* Ut vero heic ſine ambiguitate procederent, eis placuit explicare quot modis aliquid dicatur habere eſſe in intellectu. Nimirum 1:o) *ſubjective*, ſive ut accidens in ſuo ſubjecto, quomodo in intellectu ſunt Scientiarum habitus & operationes ejus. Et hoc modo, quo ſenſu maxime proprio aliquid in intellectu eſſe dicitur, & qui veram involvit conceptibilitatem & realitatem,

Quot modis aliquid dicatur habere eſſe in intellectu?

ens rationis, quod non habet eſſe reale, & quod ſua natura nihil eſt, ut mox demonſtrabitur, non poteſt eſſe in intellectu. 2:do) *Effective*, ut effectus à ſua cauſſa, quo modo ea, quorum realitas per intellectum detegitur, in intellectu eſſe dicuntur. Atque hoc modo Machina eſt effective in intellectu Mechanici, quatenus ejus poſſibilitatem animo concepit. Quicquid itaque hoc ſenſu in intellectu eſt, conceptibilitatem internam, & per conſequens realitatem habet, neque ens rationis eſſe poteſt. 3:o) *Objective*, cujus duplicem ſenſum mox ad §. 269. exhibuimus. Ultimo autem dicunt ens rationis eſſe ſuum tantum objective in intellectu habere. Non quod ei reſpondeat aliqua in intellectu noſtro, quod ſane fieri nequit, niſi quis confundere velit ens reale cum ente rationis, ſed quod fingatur aliquam ei reſpondere. Pertinet huc error anthropomorphiſmi, qui Deum corpore organico eſſe inſtructum fingit, facitque Deum ens ſimpliciſſimum & ſimul extenſum. Eſt itaque in ſe contradictorius, quatenus tamen ab Anthropomorphitis fingitur, eſt ens rationis. Huc etiam inter alia multa ſpectat anima vegetativa Scholaſticorum, quæ re ipſa nihil involvit aliud, quam ens ſimplex compoſitum, & proinde contradictorium quid.

§. 275.

Ens rationis eſt non-

Quicquid nec eſt, nec eſſe poteſt, illud quoad eſſe, vel exiſtere,

re, contradictionem vel repugnantiam involvit (§. 125.); enti igitur rationis exiſtentia repugnat (§. 274.), & idcirco eſt non-ens (§. 258.), & abſolute impoſſibile quid (§. 259.). *ens.*

Vana itaque eſt diſceptatio, *utrum id tantum ens rationis ſit, quod ita citra mentis operationem non eſt, ut ne quidem eſſe poſſit?* An vero etiam, *quod ſaltem actu non eſt, cum interim eſſe poſſit?* Certe magis recepta & probata entis rationis definitio (§. 274.) non niſi primum complectitur, neque alterum ſimul ſine manifeſta notionum partialium pugna comprehendere poteſt: ſi enim hoc alterum, ut vult *Muſæus* in ſua Metaph. Cap. 2. §. 10. ſub notione entis rationis contineretur, eſſet illud ens mere poſſibile, & ſimul abſolute impoſſibile; hoc eſt, quia merum poſſibile eſt ſimul abſolute poſſibile (§. 149.), ens rationis ex abſolute poſſibili & impoſſibili conflatum eſſet, quod, ut in primum principium incurrens (53.), ob idearum partialium contradictionem, non poteſt non tollere totalem.

Ceterum innumeris Scholaſticorum tricis & altercationibus de ente rationis, ullius vix utilitatis & momenti, non immoremur, ſed ad alia potius, uno alterove, quod in uſum venire ſolet, de ente rationis addito, pergemus evolvenda.

§. 276.

Quamvis omne ens rationis ſit non-ens & impoſſibile quid (§. 275.); *An omne non-ens*

non

tiſſimus *Claubergius* axiomatis loco ſtatuit §. 21. Ontoſoph. ad realitatem ſufficere, ut quid eſſe poſſit, licet revera non exiſtat: Sic roſam & nivem ſemper aliquid eſſe affirmamus, dum utriusque naturam, proprietates & operationes attendimus, licet illam hiberno, hanc æſtivo tempore exiſtere negemus. Simili ratione ſatis eſt ad realitatem talem, ut quid poſſit eſſe tale, qvamvis hic & nunc tale non exiſtat. Ita *Seneca: Diſertus eſt etiam qui tacet; bonus muſicus eſt qui dormit; bonus miles, qui in prælio jam non verſatur.* Neque video cur *Svicerus*, in notis ad Claubergii loc. cit. detorquere velit ejus ſenſum, quaſi ad *realitatem requireretur, ut quid vel fuerit vel ſit, nec ſufficere ut quocunque modo quid eſſe poſſit.* Hinc enim nihil ſequeretur aliud quam futurorum & futuribilium nullam dari realem ſcientiam, quod ſane abſurdiſſimum & in omniſcientiam Dei maxime injurium. Neque veritati convenit, quod dicit Suicerus, mentem humanam neſcire quid eſſe poſſit, niſi ab eo, quod fuit vel eſt, ideam decerpſerit, vel ſaltem illam à natura ſibi impreſſam habuerit. Nam mens humana non poteſt ex præſentibus ſolum & præteritis inferre futura, verum etiam varias ideas per arbitrariam determinationem formare, & formatarum realitatem à priori eruere. Immo, quatenus concedit Suicerus dari ideas innatas, à præteritis & præſentibus non decerptas, eatenus etiam fatebitur, dari harum idearum objecta, quæ non ſemper actualia eſſe, docet univerſaliſſimus

mus entis conceptus (§. 226.). His accedit reale metaphyſicum non præciſe æſtimandum eſſe ex noſtra potentia conceptum formandi, ſed ex conceptibilitate rei abſoluta.

Atque hoc ſenſu opponitur nihilo (§. 75.). Alioquin ſi reale ſumitur pro actuali, opponitur 1:o) *virtuali*, ſeu, ut aliis placet, potentionali, h. e. ei, quod de præſenti non exiſtit, poteſt tamen exiſtere. Hoc modo effectus latens in ſua cauſſa non eſt aliquod reale, ſed virtuale tantum. 2:do) *Verbali*, ſeu ei, quod titulum quidem poſſidet, rem tamen ipſam, titulo denotatam, non habet. Atque hoc ſenſu dicunt Theologi communicationem idiomatum eſſe realem, non verbalem. 3:o) *Ficto*, quod actuale non eſt, tale tamen fingitur, ut centaurus. Nos vero confuſionis vitandæ gratiâ potius in latiſſimo ſignificatu rei vocubulum heic ſumimus, pro omni eo, quod conceptibile eſt. In morali diſciplina rem in oppoſitione ad operationem rei ſumunt: In Jure autem Romano in oppoſitione ad perſonam & actionem adhibetur terminus *rei*, cum §. 12. J. de J. N. & G. C. dicit Imperator: *Omne jus, quo utimur, vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.* *Plures rei acceptiones recenſentur.*

§. 269.

Hinc *Ens Reale* recte definitur per id, quod vel eſt, vel eſſe poſſe concipitur. Seu *Reale* dicitur *ens*, quatenus *Ens Reale quid?*

tenus

tenus aliquid eſt, vel, ſi placet, quatenus res eſt.

Ariſtotelicorum accuratiores dicunt ens reale eſſe, quod eſt citra mentis operationem, i. e. citra hoc, quod eſt objective in intellectu. Duplici autem modo dicunt aliquod eſſe objective in intellectu; *a*) *vel ita*, ut citra hoc, quod eſt objectum intellectus, habeat ſuum eſſe, ſeu ſit aliquid: ſic homo, canis roſa &c. objiciuntur quidem intellectui, dum ab eo cognoſcuntur, vel repræſentantur, ſed præterea habent ſuum eſſe, vel actuale, vel poſſibile. *β*) *vel ita*, ut citra hoc, quod fingitur, objectum intellectus nec ſit nec eſſe poſſit, ut *Spiritus corporeus*, *triangulum rectilineum birectangulum*. &c. Priori modo dicunt ens reale eſſe citra hoc, quod eſt objective in intellectu. Sub ente ergo reali comprehendunt, quicquid aliquid eſt. Idem ex notione rei mox evoluta (§. 268.) intelligitur. Nam ſi verum eſt, rem denotare aliquid, ſequitur ens reale, quod res eſt, eidem ſubjacere extenſioni. Neque hujus argumenti vim effugere valet, niſi qui abſurde negare velit ens reale rem eſſe.

§. 270.

Entis & Entis realis reciprocatio.

Omne ens eſt ens reale, & *viciſſim*, *omne ens reale eſt ens*. Eſt enim omne ens aliquid, & omne aliquid ens (§. 238.), ſed omne ens reale eſt aliquid, & omne aliquid eſt ens reale

ale (§. 269.). Ergo omne ens reale eſt ens, & viciſſim, omne ens eſt ens reale.

Objective ergo non differunt ens & ens reale, formaliter tamen, ſeu, per notiones à ſe mutuo diſtinguuntur; nam eatenus dicitur ens, quatenus exiſtentia ei non repugnat: eatenus vero reale vocatur, quatenus aliquid eſt, ſeu quatenus conceptum ſibi habet reſpondentem.

§. 271.

Realitatis definitio.

Realitas, diminutivum, dictum à re, eſt quodlibet prædicatum, quidditatem ſeu rem ingrediens: ſeu, eſt quodlibet prædicatum, quo res conſtituitur.

Diximus rem eſſe ens, quatenus eſt aliquid (§. 268.), & proinde, quatenus eſt conceptibile (§. 75.). Sed hoc abſolvitur prædicatis, iisque ſibi mutuo non repugnantibus (§. 74.); omnis ergo res, qua talis, certis conſtituitur prædicatis, quorum quodlibet realitatis venit nomine. Sic v. gr. anima humana eſt ens & res, variis exornata facultatibus & prædicatis, quæ tamen intellectus & voluntatis nomine contineri ſolent: ſunt ergo intellectus & voluntas duæ realitates, quidditatem vel illam rem, quæ anima dicitur, ingredientes.

§. 272.

Diſcrimen à re.

Diſtinguitur itaque realitas, quæ etiam à quibusdam Entitas dici ſo-

let, à re, ut anguſtius à latiore: Nam res quidditatem integre ſignificat (§. 268.); Realitas autem hoc vel illud prædicatum quidditatis (§. 271.).

Hæc ſententia apprime convenit *Scotiſtis*, qui primi hujus vocis, *realitas*, inventores perhibentur: Dicunt enim illi realitatem eſſe aliquid minus re, ponentes adeo in qualibet re multas realitates, quas alio quoque nomine appellant *formalitates*. Ut in homine ſunt realitates eſſe ſubſtantiæ, viventis, ſentientis, & rationalitas, qua homo ab animantibus brutis differt.

§. 273.

An realitatum pluralitas inferat pluralitatem rerum?

Manifeſto hinc colligimus *plures realitates non inferre plures res*. Quoniam res quidditatem integre ſignificat (§. 268.), realitas autem hoc vel illud prædicatum quidditatis (§. 271.), & in omni quidditate plura adſunt prædicata (§. cit. in not.), quæ tamen ſimul ſumta non inferunt niſi unam eandemque quidditatem & rem; liquet plures realitates non inferre plures res.

Non ſcilicet repugnat, ut de una eademque re plures ac diſtinctos conceptus, ſed inadæquatos formemus, qui, quatenus rei inſunt, realitates dicuntur, ita tamen ut res, quoad totum ſuum eſſe, in ſe una maneat. Falluntur itaque Sociniani, qui ineffa-

effabile illud S. S. Trinitatis myſterium hoc ſophiſmate, quantum penes ipſos, labefactare conantur: *Ubi ſunt plures realitates ſive perſonæ, ibi ſunt plures eſſentiæ & res. Atqui in Deo plures ſunt perſonæ. Ergo.* Sed fallit major, ut præſenti evictum eſt propoſitione. Neque perſonalitas eſt realitas adæquata & ultimata in Deo, in ſe ſpectato, ſed eſſentia, in cujus unitate tres ſubſiſtunt perſonæ. *Error Socinianorum.*

§. 274.

Enti reali omnes uno ore opponunt *Ens Rationis*, quod ergo nihil involvit aliud, quam id, quod nec eſt, nec eſſe poſſe concipitur. *Ens Rationis quid?*

Tria ad ens rationis communiter requirimus 1:o) ut non ſit, 2:o) ut non poſſit eſſe, 3:o) ut tamen, ex errore ſcilicet, habeatur pro eo, quod ſit, vel eſſe poſſit, hoc eſt, pro ente. Atque hinc ens rationis à plerisque veterum explicatur per id, *quod non habet eſſe ſuum, niſi in intellectu.* Ut vero heic ſine ambiguitate procederent, eis placuit explicare quot modis aliquid dicatur habere eſſe in intellectu. Nimirum 1:o) *ſubjective*, ſive ut accidens in ſuo ſubjecto, quomodo in intellectu ſunt Scientiarum habitus & operationes ejus. Et hoc modo, quo ſenſu maxime proprio aliquid in intellectu eſſe dicitur, & qui veram involvit conceptibilitatem & realitatem, *Quot modis aliquid dicatur habere eſſe in intellectu?*

Digitized by Google

re, contradictionem vel repugnantiam involvit (§. 125.); enti igitur rationis exiſtentia repugnat (§. 274.), & idcirco eſt non-ens (§. 258.), & abſolute impoſſibile quid (§. 259.). *ens.*

Vana itaque eſt diſceptatio, *utrum id tantum ens rationis ſit, quod ita citra mentis operationem non eſt, ut ne quidem eſſe poſſit?* An vero etiam, *quod ſaltem actu non eſt, cum interim eſſe poſſit?* Certe magis recepta & probata entis rationis definitio (§. 274.) non niſi primum complectitur, neque alterum ſimul ſine manifeſta notionum partialium pugna comprehendere poteſt: ſi enim hoc alterum, ut vult *Muſæus* in ſua Metaph. Cap. 2. §. 10. ſub notione entis rationis contineretur, eſſet illud ens mere poſſibile, & ſimul abſolute impoſſibile; hoc eſt, quia merum poſſibile eſt ſimul abſolute poſſibile (§. 149.), ens rationis ex abſolute poſſibili & impoſſibili conflatum eſſet, quod, ut in primum principium incurrens (53.), ob idearum partialium contradictionem, non poteſt non tollere totalem.

Ceterum innumeris Scholaſticorum tricis & altercationibus de ente rationis, ullius vix utilitatis & momenti, non immoremur, ſed ad alia potius, uno alterove, quod in uſum venire ſolet, de ente rationis addito, pergemus evolvenda.

§. 276.

Quamvis omne ens rationis ſit non-ens & impoſſibile quid (§. 275.); non *An omne non-ens*

Digitized by Google

ſit ens rationis? non omne tamen non-ens & abſolute impoſſibile eſt ens rationis, quod inſuper requirit, ut habeatur pro poſſibili (§. 274.).

Hinc eſt, quod non inepte diſtinguere liceat inter entis rationis *quaſi materiale* & *formale:* illud eſt impoſſibile, hoc eo abſolvitur, quod habeatur pro poſſibili. Sic ex. gr. quando quis conſiderat *hircocervum* neque exiſtere, neque exiſtere poſſe, is ſane nullum ens rationis format, ſed nudum non-ens. Faciamus vero aliquem hærere in ea opinione, quod hircocervus vel detur, vel dari poſſit, hic demum ponit ens rationis.

§. 277.

Ens fictum quid? Cum ente rationis coincidit *ens Fictum*, quod eſt id, cui exiſtentiam non repugnare ſumimus, utut revera eidem repugnet. Eſt enim ens rationis, quod nec eſt, nec eſſe poteſt, tale tamen concipitur, ſeu ſumitur (§. 274.).

Non deſunt quidem qui, cum *Fonſeca* L. V. Metaph. Cap. 7. Qv. 6. Sect. 5., inter ens rationis & fictum, diſcrimen erigere volunt; ſed hi diſtincta notione entis rationis & ficti deſtituuntur, unde non mirum eſt, eos in certamine cum aliis vocabulariam plerumque ſerere litem, prius non finiendam, quam ex diſtinctis argumentatum fuerit notionibus.

Varia entia ficta mentem producere conſtat, quando

quando vel pro arbitrio, vel imaginationis vi, combinat diverſas res, quarum cuilibet ſigillatim ſua reſpondet notio, ſed in conjunctione nulla niſi deceptrix. Ex. gr. trunco corporis equini jungimus caput humanum, quod & pingi & ſculpi poteſt; nemo tamen facile ſibi perſuaſerit, attentione ſufficiente uſus, ejuſmodi hominem exiſtere.

Obſerves diſcrimen inter *ens fictum* & *Fictiones*. *Illud* in ſe eſt abſolute impoſſibile, etiamſi pro poſſibili habeatur. *Hæ* conſiſtunt in operatione mentis, qua illa ideas, ab imaginatione reproductas, ita conjungit vel dividit, ut nullum extra mentem objectum actuale ideæ totali productæ reſpondeat. Quando quæ hoc modo, vel combinamus, vel dividimus, ſe mutuo non tollunt, ſeu nullam involvunt repugnantiam, *Fictiones* vocantur *Poſſibiles*. Quando autem combinantur ſibi invicem contradicentia, aut ſeparantur ſeparari neſcia, *Impoſſibiles* oriuntur *Fictiones*. Ad poſſibiles fictiones referuntur fabulæ Romanenſes, ordine confectæ. Item plures fictiones in Philoſophia, cum ex. gr. univerſam gentem & ſocietatem, tanquam perſonam individuam nobis repræſentamus, atque exinde officia gentis erga gentem deducimus. Ad chimæras autem, ſeu impoſſibiles fictiones, pertinet reſpublica Platonis: anima telluris Kepleri, quæ ad præſentiam adſpectuum moveret tempeſtates; immo, quando Poëtæ Harpyias ſibi repræſentant, combinando faciem virgineam,

Entis ficti & fictionum diſcrimen.

am, flavam comam, alas & corpus accipitris, aures urſinas, manus humanas. Ens igitur fictum objecti loco eſt fictioni impoſſibili, non vero poſſibili. Et præterea aliud eſt objectum, quod mens fingens habet pro ente reali, aliud eſt ipſa operatio mentis, quæ circa hoc objectum occupatur. Illud ens fictum conſtituit, hæc fictionem, quæ ergo duo inter ſe non ſunt commiſcenda.

§. 278.

Quid ſentiendum de diſtinctione entis rationis in rationis ratiocinantis & ratiocinatæ?

Inſerviunt modo propoſita, de ente rationis, brevi inſtituendo examini pervulgatæ diviſionis in *Ens Rationis ratiocinantis*, & *Ens Rationis ratiocinatæ*: Illud dicunt, quod nullum habet in re fundamentum, h. e. ad quod fingendum res ipſæ nullam præbent occaſionem, ſeu, eſt conceptus in mente, ſine ratione & pro lubitu formatus, cui nihil extra mentem reſpondet. Quale ens eſſe ajunt chimæram, cerberum, montem aureum, ſpiritum corporeum, & hujusmodi alia. *Hoc*, ſeu *Ens rationis ratiocinatæ*, nuncupant, quod aliquod fundamentum in re obtinet, h. e. ad quod excogitandum res ipſæ nobis aliquam anſam ſubminiſtrant: ſeu, eſt in mente conceptus, cui, qua tali, objectum extra mentem non reſpondet, methodi cauſſa formatus, ut res

extra

extra mentem debito ordine exhibeantur & intelligantur. Talia ſunt ex gr. idea maſculini, fœminini, declinationis, figuræ, &c. in Grammaticis & Rhetoricis: Idea ſpeciei, generis, definitionis, &c. in Logicis. Circuli & Aſteriſmi in cœlis ab Aſtronomis conſtituti, ut Horizon, Meridianus, Æquator, Ecliptica, Taurus, Gemini, &c. Coluri, Poli, Circuli polares &c. Conceſſo, quod concedendum eſſe antea evicimus (§. 275.), ens rationis eſſe abſolute impoſſibile quid, quod ergo nullum fundamentum in re ſeu poſſibili habet, non equidem video, qui dicere poſſim, aliud ens rationis habere fundamentum in re, aliud non, h. e. aliud eſſe ens rationis ratiocinatæ, aliud rationis ratiocinantis. Accedit ens rationis ratiocinatæ, quia cum fundamento in re eſt conjunctum, potius pertinere ad fictiones poſſibiles, proxime explicatas (§. 277.), quam ad ens fictum vel ens rationis.

§. 279.

Entis poſitivi defin.

Ens Poſitivum vocatur, quod eſt aliquid, & rei nomine denotatur (§. 268).

Sic Deus, anima humana, mundus, viſus, ſubſtantia creabilis & creata, ſunt entia poſitiva, nam omnia hæc ponunt aliquid & rei nomine veniunt.

§. 280.

Digitized by Google

§. 280.

Poſitivi amplitudo. Eſt ergo omne ens reale poſitivum, & omne poſitivum ens reale (§. 269.): immo omne ens, quod objectum Metaphyſices conſtituimus (§. 226. 227), eſt ens poſitivum, & viciſſim, omne ens poſitivum eſt ens (§. 270.).

Hinc ens, ens reale & poſitivum pro ſynonymis habent multi Metaphyſicorum. Et fatendum omnino eſt, notiones horum terminorum ita ſe mutuo implicare, ut altera ſine altera vix animo exhiberi poſſit.

§. 281.

Negativi & Privativi definitiones. Poſitivo opponitur *Negatio*, quæ in genere denotat abſentiam realitatis. Si hæc abſentia realitatis ſpectatur in ente incapaci, *pura negatio* audit. Si vero conſideratur in ſubjecto capaci, *Privatio* vocatur. Quatenus autem hic defectus actu datur, eatenus per modum entis (§. 226.) conſiderari poteſt. Hinc defectus realitatis in ſubjecto incapaci, inſtar entis conſideratus, *Ens pure negativum*, & in ſubjecto capaci, *privativum ens* audit.

Ex. gr. Viſus eſt ens poſitivum. Cæcitas in lapide eſt ens negativum. Cæcitas in homine & animali eſt ens privativum. Conveniunt in eo ens negativum & privativum, quod utri-

usque

usque ratio, quaſi formalis, conſiſtat in τῷ *non-eſſe*, ſive in eo, ut ſint nihil; differunt tamen ratione ſubjecti, de quo prædicantur. Privatio præſupponit ſubjectum, & quidem capax illius realitatis, quam abeſſe dicit, quum & poſſit & debeat adeſſe. Sed in ſimplici & pura negatione, nulla ſubjecti capacitas locum habet.

Quid ſubjectum capax?

Subjectum vero dicitur *capax*, quando ſua natura aptum eſt ad realitatem quandam habendam: Contra, *Incapax* cenſetur, ſi nulla, vel diſpoſitio, vel inclinatio ad realitatem habendam in eo occurrit. Sic in Theologicis homo animalis ȣ δέχεται non ſuſcipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, immo, illa ȣ δύναται γνῶναι non poteſt cognoſcere I. Cor. II. 14. Nec poteſt caro ſe ſubmittere legi Dei Rom. VIII. 7. Lapidi ſimilis cenſetur, qui ad viſum & obſequium plane ineptus. Ezech. XXXVI. 26.

§. 282.

Negativum & privativum ſunt non-entia.

Ens pure negativum & privativum ſunt non-entia. Ens tam negativum, quam privativum in eo conveniunt, quod ſint defectus realitatis (§. 281.), quà talia igitur nullam poſſident realitatem, & proinde nullum prædicatum, quo res conſtituitur (§. 271.). Eſt vero res, quicquid ponit aliquid (§. 268.). Ens igitur negativum & priva-

Digitized by Google

privativum non ponunt aliquid, conſequenter, ob immediatam alicujus & nihili oppoſitionem (§. 77), non poſſunt non inferre nihil, & proinde ſunt non-entia (§. 261.).

Conſenſus Veteris Philoſophiæ.

Huic aſſerto & veterum & recentiorum plerique conſentiunt, ultro largientes negationes & privationes, formaliter ſpectatas, non-entia eſſe. Ex antiquis adferre placet *Ammonium*, Ariſtotelis interpretem, qui ad Cap. 10. L. de Categor. appoſito: ἡ δὲ στέρησις οὐδὲν ἕτερον ἐστὶν, ἢ ἀπουσία τῆς ἕξεως, ὥστε αὐτὴ κατὰ τὸν ἑαυτῆς λόγον τὸ μὴ ὄν. Privatio nihil aliud eſt, quam habitus abſentia. Quam ob rem ipſa ſecundum propriam ſuam rationem (formam) eſt non-ens. Ex antiquis Eccleſiæ doctoribus haud obſcure docet *Baſilius*, privationes eſſe non-entia, quando L. II. contra Eunom. contendit mendacia, ut veritatis privationes, immo alienationes à vita, non-entia eſſe.

Heben-ſtreitius & Welthemius notantur.

Hebenſtreitius in Phil. Prim. p. m. 85. & *Welthemius* in Inſtit. Metaph. p. m. 241. concedunt privationes & negationes eſſe non-entia; nihilo tamen ſecius arbitrantur ens negativum & privativum eſſe vera entia, quatenus illud involvit ſubjectum incapax, hoc capax, & quatenus privatio & privativum ſe invicem reſpiciunt, ut incluſum & includens: Privatio quippe in privativo, ex. gr. cœcitas in cœco includitur. Sed meo judicio confundunt doctiſſi-

doctiſſimi viri ens privatum realitate & ens privativum. Illud, quia denotat ſubjectum capax, reale eſſe largior; hoc vero, quia nihil aliud, quam defectum realitatis, conſideratum per modum entis, dicit (§. 281.), eſt omnino non-ens. Litem igitur cum his viris vocabulariam non movebimus, ſiquidem per ens privativum non intelligunt aliud, quam ens privatum realitate.

Realem vero nobis ſiſtere videntur controverſiam, qui in hunc modum contra noſtram argumentantur aſſertionem: *Quicquid exiſtit ens eſt; privationes exiſtunt, ergo. Minorem probant ex Gen. 1: 2. & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi ex Eſai. XLV. 7. ubi tenebræ referuntur inter opera Dei.* Reſp. Tenebræ præciſe & formaliter meram lucis abſentiam involvunt, ut docent Phyſici: Dicuntur autem eſſe *late*, vel potius abuſive, quatenus privationes à nobis aliter concipi nequeunt, quam *ad modum entis*, nec deſcribi, niſi mentione ſubjecti & oppoſiti habitus, re ipſa exiſtentis. Deinde Locus Geneſeos ſumendus eſt concrete, ita ut hic ſit ſenſus: Erat ſuperficies abyſſi hoc defectu, qui tenebræ appellatur, non abſtracte, quaſi attribuat tenebris realem exiſtentiam. Locus vero Eſaiæ, quà totum contextum accurate penſitatus, non infert tenebras eſſe opus Dei, ſed Deum condidiſſe corpora opaca, lucem, de qua proxime in eodem verſu loquitur, non tranſmittentia.

Objectio ſolvitur.

§. 283.

Poſitivi & negativi oppoſitio.

Quia enti contradictorie opponitur non-ens (§. 265.), ens vero poſitivum eſt ens (§. 280.), negativum & privativum ſunt non-entia (§. 282.). *Ens itaque poſitivum, quà ſuam notionem, negativo & privativo contradictorie opponitur.* Et proinde, quia impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe (§. 53.), *una eademque notione ſimul exhiberi nequeunt ens poſitivum, negativum & privativum.*

Error Claubergii, Rudrauffii, & Canzii.

Miror itaque eximios cetera viros, *Claubergium* in Ontoſoph. §. 36. *Rudrauffium* in Metaph. Err. p. 5. *Canzium* in Ontol. Polemic. §. §. 43. 44. poſſe eo progredi abſurditatis, quod ens & non-ens, poſitivum, privativum & negativum uno communi exhibere conentur conceptu. Certe nulla hujus, tam enormis abſtractionis, realis allegari poteſt ratio. Quod *Claubergium* concernit, illum antea confutavimus (§. 265.), quo ipſo ſimul confutatus eſt *Rudrauffius*, qui Claubergii effatis acquieſcit. *Canzius* conceptum entis, ut is putat, communiſſimum exhibiturus l. c. §. 43. dicit ens eſſe, quicquid poſſibile eſt. Poſſibile vero, quod §. 7. in genere explicat per carentiam repugnantiæ idearum, dividit §. 13. in *Poſſibile poſitivum*, quod in prædicatorum non-repugnantia, ſeu harmonia, collocat: Et *Negativum*, quod poſitivo poſſibili limites

limites addit, ut nempe hoc gradu, nec altero, nec inferiore, ut in hoc objectum, nec aliud quodcunque poſſibile poſitivum ferri queat. Huc refert juſtitiam limitatam, quæ nec omni tempore aut loco, nec omnibus, nec ob omnia, maxima, minima, nec debita proportione, ſuum cuique tribuere poteſt. Hoc *negativum* iterum diſpeſcit in *pure negativum*, quod poſitivo poſſibili ita addit limites, ut neceſſario tales adſint, nec abeſſe poſſint. Et *Privativum*, quod poſitivo addit limites, libere contractos, aut certe tales, qui poſſunt tolli. Et hinc arbitratur §. 44. Ens ſub ſe comprehendere & poſitivum & negativum & privativum. Docent vero Logici nullum membrum dividens coincidere debere cum ſuo diviſo; Canzius itaque eodem modo explicans poſſibile in genere, tanquam diviſum, & poſſibile poſitivum, tanquam membrum dividens, in hoc veriſſimum Logicorum præceptum impingit, eoque clare indicat poſſibilis, quam habet, diviſionem re ipſa eſſe nullam. His accedit Canzium confundere ens negativum in genere, & præcipue ens negativum in ſpecie, cum ente limitato, quod omnino eſt ens, licet non quatenus deficit, ſed quatenus habet realitates. Arbitratur quidem Canzius allegatam poſſibilis diviſionem eſſe neceſſariam ad occurrendum objectioni: *Malum morale aut poſſibile eſt, aut non: ſi hoc, ne quidem exiſteret, quod experientiæ repugnat; ſi illud, à Deo penderet, quatenus is eſt fons omnis poſſibilitatis.* Hæc tamen inſtantia haud dif-

Digitized by Google

ficulter ſolvitur, diſtinguendo inter id, quod entitativum & non entitativum eſt in actione: Illud dependet a Deo, hoc non item. Actio quatenus mala eſt, legique difformis, nullum reale habet prædicatum; non ergo, ut exiſtens, ſpectatur in ſenſu metaphyſico, neque, quà talis, exiſtere poteſt. Nam quis dixerit illud eſſe poſſibile, quod prædicatis realibus deſtituitur? Potius itaque cum *Platone* contra Claubergium & ſequaces contendimus non-ens, ſeu nihilum, prout à nobis ſumitur, eſſe ἀδιανόητον καὶ ἄῤῥητον καὶ ἄφθεγκτον καὶ ἄλογον. Si vero quis curioſius à nobis quæreret, cur privationes & negationes entium nomine veniant, reſponderemus illas entia dici, non quod de entitate quidquam participent, ſed propter meram ἀκυρολογίαν & æquivocationem. Unde etiam directe ſedem in Diſciplina quadam non inveniunt; quatenus tamen indirecte cognoſci poſſunt, pertinent ad Metaphyſicam, quæ, quum univerſaliſſima ſit, & ens contemplari debeat, non prorſus prætermittit ea, quæ licet entia non ſint, ſimiæ tamen entium dici poſſunt.

Cur heic agatur de privationibus & negationibus.

§. 284.

Negationem diximus involvere abſentiam realitatis in ſubjecto incapaci, privationem inferre abſentiam in ſubjecto capaci (§. 281.), hoc eſt, apto ad realitatem, quæ abeſt, habendam (§. cit. not.). Quam ob rem, quum varia eſſe poſſit & ſit natura ſubjectorum, poteſt

Digitized by Google

poteſt unum eſſe incapax realitatis, cujus capax eſt alterum. Quo fit, *quod in uno ſubjecto privatio eſt, reſpectu alterius tantum negatio dicenda.*

Ex. gr. Ignorantia in homine eſt privatio, quatenus homo eſt ſubjectum capax ſcientiæ comparandæ: ignorantia vero in aſino eſt negatio, quia aſinus ſua natura aptus non eſt ad acquirendam ſcientiam. Regulam, præſenti commate propoſitam, magni eſſe uſus in ardua doctrina de *providentia Dei circa mala*, ut Sanctitas Ejus maneat illibata, nec tamen quippiam ipſius manui ſubtrahatur, judicat *Sviçerus* in not. ad Claubergii Ontoſoph. p. m. 29. Nempe circa vitioſitatem, ſive *ἀνομίαν*, actus Dei *negative* ſeſe habet, gratiam, ad recte operandum requiſitam, vel libere non conferendo, vel juſte ſubtrahendo: homo autem ſe habet *privative*, recto arbitrii ſui uſu ſe ipſum privando, & ab officio, quo creatura Creatori adnexa eſt, ſponte recedendo. Adeoque in homine labes eſt, quatenus legem Dei ſui ſpernit & mavult, quod Deo diſplicet; in Deo vero labes nulla, cum non velit Ipſe malum facere, ſed velit duntaxat permittere, ob ſanctiſſimas rationes, ſibi ſoli cognitas.

Aſſerti uſus Theologicus.

§. 285.

Enti negativo & privativo, quà tali, nullum competere pot-

Entis negativi & eſt

privativi *eſt prædicatum poſitivum.* Entia *prædicata.* enim pure negativa & privativa in eo conveniunt, quod nihil præter merum realitatis defectum importent (§. 281.), & ideo ſunt non-entia (§. 282.), de quibus prædicari nequit aliquid (§. 264.), & proinde nihil poſitivi (§. 279.).

Sic mors eſt privativum quid, neque de illo aliquid reale prædicandum. Nam licet dicamus mortem injicere avaris terrorem, non tamen hoc de morte, ut ente privativo, intelligendum, ſed de repræſentatione mortis, qua, in mente avari realiter exiſtente, ſibi ille repræſentat defectum vitæ, & ſecuturam inde corruptionem, jacturamque opum. Quando in Theologicis tribuimus morti *Chriſti* efficaciam, non intelligimus præciſe ipſam Ejus mortem, quæ privativa eſt, ſed totam potius *Chriſti* obedientiam.

Reſolutio objectionis. Docente experientia corpora frigefieri, dum calor ex illis egreditur, *recte in Phyſicis ſtatuimus frigoris indolem in privatione conſiſtere; quando tamen ibidem dicitur frigus condenſare corpora, poſitivus effectus enti privativo affingi videtur, atque ideo non univerſaliter veram eſſe præſentis regulæ aſſertionem.* Sed breviter reſpondeo, condenſationem non tribui frigori, tanquam poſitivum ei conveniens, ſed poſito frigore, ut privatione, poni hoc poſitivum, quod quidem cum illa cohæret, minime autem ex eadem effective ſequitur, ſed ex vi corporibus inſita, qua omnes particulæ ſe mutuo attra-

Digitized by Google

attrahunt, cohæſionem petentes, quam obtinere nequeunt, quamdiu vi ignis expanſiva removentur, hac vero ceſſante, aſſociationem iterum petunt. Inde ergo ortum trahit condenſatio, non autem a frigore. Hinc in genere obſervabis eam ſæpius eſſe rerum finitarum rationem, ut una realitas poni nequeant, niſi tollatur altera, non tamen inde ſequitur, realitatem, quæ ponitur, effective fluere ex altera; quæ tollitur, ſed potius ex alia præſente realitate, quæ vim ſuam, altera non ſublata, exercere nequit.

§. 286.

Privationis requiſitum. Privationem definivimus per abſentiam realitatis in ſubjecto capaci (§. 281.); *Omnis ergo privatio ſupponit ſubjectum capax illius realitatis, quæ abeſt.* Atque hinc ſimul liquet privationem in ſubjecto incapaci, & quæ formam, uti loqui amant, antecedit, implicare.

Sic recte infero: cæcitas eſt privatio in homine cæco, ergo ſupponit hominem natura aptum ad viſum, ſeu realitatem habendam. Peccatum originis in nobis eſt privatio juſtitiæ originalis, præſupponit itaque juſtitiam originalem, ut nobis ineſſe debitam. *Habitus* Hæc eadem regula veteribus ſic efferri ſolet Philoſophis: *Omnis privatio præſupponit habitum.* Ubi obſerves vocem *Habitus* non ſumi heic, quem ad mo-

X 5 dum

Digitized by Google

dum alias ſolet, pro facilitate & promtitudine quadam intelligendi, vel agendi, ſingulari Dei dono conceſſa, vel ſtudio & frequentia actionum comparata: Sic donum fidei, linguarum, prophetiæ, item ſcientia, peritia, &c. habitus eſſe dicuntur; per talem ἕξιν, ſive habitum, perfecti habent ſenſus exercitatos ad diſcretionem boni & mali. Hebr. V. 14. Non, inquam, hoc ſenſu; ſed denotat hoc loco habitus, ſtilo Ariſtotelico, formam, h. e. realitatem, quam aliquod ſubjectum, ejus capax, vel ex toto vel ex parte deperdere poteſt, & cujus ipſius abſentiam infert privatio. Quo ipſo claret allatam Veterum regulam, quà ſenſum, cum noſtra coincidere.

§. 287.

Privationis & realitatis idem ſubjectum.

Privatio eidem ſubjecto tribuenda, cui realitas, quæ per illam tollitur, competiit, vel competere poteſt. Eſt enim privatio realitatis in ſubjecto capaci abſentia (§. 281.), hoc eſt, in ſubjecto, quod aptum eſt ad illam realitatem habendam (§. cit. not.), & per conſequens cui vel competiit, vel competere poteſt illa realitas.

Idem indirecte ſic oſtenditur: Realitatis abſentia in aliquo ſubjecto eſſe nequit, niſi cui realitas abſens ineſſe poterat, vel debebat; unde ſi non eſſet idem heic ſubjectum, privatio

tio non amplius talis aſſet, quia non ibi eſſet, ubi realitas ipſa aderat. Quod omnino abſurdum (§. 53.).

Alii hanc regulam ita exprimunt: *Privationis & habitus idem eſt ſubjectum*, non quidem ſimul, ſed diverſo tempore. Ubi habitus vocabulum in eodem, quem mox exhibui (§. 286.), ſumitur ſenſu.

Dubio igitur vacat Theologorum collectio: *Quoniam imago Dei reſedit olim in toto homine, ideo & peccatum originis totum hominem occupat: & rurſus*, contra quosdam ſtatuentes peccati πρῶτον δεκτικὸν eſſe corpus hominis, *quoniam imaginis divinæ ſubjectum primarium erat anima* Col. III. 10. Eph. IV. 23. 24. *ideo & peccatum originis*, quod imaginis Divinæ privationem infert, *in anima potiſſimum erit.* Eſt enim habitus & privationis idem ſubjectum, ut totale, ita partiale primarium. Atque hinc facile confutantur Pietiſtæ, qui peccatum in regenitis furorem nonniſi in carne atque membris prodere, ad mentem vero & regnantem animæ virtutem non pertingere, docent. Nam quia imago fuit in corpore, omnibusque ejus partibus, & in anima, omnibusque ejus viribus; privationis vero & habitus idem eſt ſubjectum, non poteſt non hæc Pietiſtarum aſſertio vehementer vacillare. *Uſus Theologicus.*

§. 288.

Infert privatio abſentiam realitatis (§. 281.), quæ, quamvis ſit quod- *Privatio totalis &*

libet

Digitized by Google

partialis. libet prædicatum, quo res conſtituitur (§. 271.), in alias tamen, vel partes, vel partiales ideas reſolvi poteſt. Hinc non inepte diſtinguunt inter *Privationem totalem* & *partialem*, *Illa* tollitur integra realitas; *hac* vero nonniſi hæc vel illa ejus pars, vel partialis idea.

Et hinc eſt quod recte dicat *Claubergius* in Ontoſoph. §. 34. *Negativa vel privativa non ſemper totam negare rem, vel habitum, at ſæpe partem, vel gradum ejus duntaxat.* Sic nuditas, quæ in genere privationem veſtium involvit, non ſemper denotat totalem privationem omnium veſtium, ſed ſæpius carentiam veſtium, vel certo ordini & dignitati inſervientium, vel majori & debito corporis calori procurando deſtinatarum, importat. Sic *Eſaias* Cap. XX. nudus inceſſiſſe dicitur, quod abjecerat veſtem prophetalem. Sic *David* 2. Reg. VI. dicitur nudus ante arcam ſaltaſſe, quod exutus erat ſui ordinis ac dignitatis ornamentis. Ἀπιϛία patris illius Marc. IX. 24. non tollit ab ipſo omnem fidem; prius enim dixerat *credo Domine*, ſed fidem duntaxat auctam & roboratam. Ἀπιϛία & σκληροκαρδία, quam *Chriſtus* poſt reſurrectionem undecim Apoſtolis exprobravit Marc. XVI. 14, neutiquam notat totam fidei abſentiam, vel cor malum infidelitatis, ut Hebr. III. 12. vel eam duritiem, de qua ad Rom. II. 5. Sed molliori ſenſu ſignificat *Diſcipulorum lentitudinem*

Uſus Theologicus.

Digitized by Google

dinem & ſtuporem in iis credendis, quæ alii de reſurrectione Domini ipſis retulerunt. Ex Deo genitus dicitur *non peccare*, immo, *non poſſe peccare*, Joh. III, 9. non quod nunquam peccat, quæ perſuaſio πλάνη ϗ ψεῦδος ſeductio & mendacium eſſet, ut Cap. I. 8. 10. Apoſtolus graviter monuit, ſed quod non peccet, nec Spiritu Dei, qui vitæ novæ auctor eſt, ipſum cuſtodiente, peccare poſſit manu elata ad mortem. *Non edens* Rom. XIV. 3. 6. non ille eſt, qui ab omni cibo abſtinet, ſed qui ex fidei infirmitate, recens à Judaiſmo converſus, legem cibariam adhuc obſervandam putat, qua quorundam ciborum eſus prohibitus fuit.

Plura quidem ſunt in promtu exempla, quibus diviſio privationis in totalem & partialem illuſtretur, ſed ſufficiant adducta. Id vero tandem circa eandem hanc obſervare convenit materiem, quosdam Ariſtotelicorum, videntes ſe in qualibet realitate exiſtente, diſtinguere poſſe inter ejus actum & potentiam, dixiſſe *privationem totalem* eſſe, qua non ſolum realitatis actus, ſed eſt potentia tollitur. *Partialem* vero, quæ tantum actum negat. Sunt tamen hæ definitiones noſtris anguſtiores, neque tam commode, ac à nobis allatæ, applicari poſſunt ad illuſtranda varia Scripturæ dicta. Ab his ergo abſtinemus, noſtris retentis.

Alia acceptio privationis partialis & totalis.

§. 289.

§. 289.

An a privatione ad habitum detur regreſſus?

Occaſionem hinc nactus ſum, meum proponendi judicium de Scholaſticorum canone; *A privatione ad habitum non datur regreſſus.* Quem *Ariſtoteles* Libro Categor. ita effert: *In privatione & habitu impoſſibile eſt mutationem fieri ad invicem.* Et, *à privatione ad habitum non poteſt fieri mutatio.* Ubi hujus canonis defenſores ſtatim diſtinguunt inter privationem totalem & partialem, quam ex mente eorum mox ad §. præc. explicui. Videntes ergo à morbo, ceu privatione partiali, ad ſanitatem, ſed non à morte, tanquam privatione totali, ad vitam fieri regreſſum, illico concluſerunt: *à privatione totali ad habitum non poſſe fieri mutationem.* Intelligentes porro à morte ad vitam viribus infinitis fieri regreſſum, intulêre: *à privatione totali ad habitum viribus finitis non poſſe fieri mutationem.* Quia vero vires finitæ variæ eſſe poſſunt, & in his quædam longe majores, quam quæ in mundo adſpectabili & naturali reperiuntur, nova addita limitatione dixêre: *à privatione totali ad habitum viribus naturalibus non poſſe fieri regreſſum.* Conſiderantes ulterius ex cadavere demortui animalis, in terram mutato, generari gramina, quibus ſi animal vivens veſcitur, oriri ex illis natu-

naturaliter ſanguinem & ſemen, ex quo deinde generatur aliud animal. Atque proinde à morte animalis, tanquam privatione totali, dari naturaliter regreſſum ad vitam animalis. Perpendentes quoque aërem tenebricoſum poſſe iterum illuminari, diſtinxerunt inter regreſſum *mediatum* & *immediatum*: illum ex priori exemplo conceſſêre, non hunc; & deinde ex poſteriori exemplo diſcrimen formavêre inter *eundem numero habitum*, & *non eundem numero*; hunc largiti ſunt, non autem illum. His ergo limitibus circumſcripta talis evadit propoſita regula: *à privatione totali ad habitum, numero eundem, non datur regreſſus naturaliter & immediate.* Porro: Quia privatio totalis ſecundum hos Philoſophos, involvit non ſolum abſentiam actus realitatis, ſed & ejus potentiæ; Potentia vero eſt vel remota, vel proxima (ut ſuô videbimus loco), & ſublata licet potentia proxima, ſed remanente remota, poteſt nihilominus à privatione actualitatis ad habitum naturaliter fieri regreſſum, cujus rei exempla habemus in vegetabilibus, aliisque in mundo phyſico paſſim occurrentibus. Adjecta igitur & hac reſtrictione talis exſurgit regula: *à privatione totali, qua potentia & remota & proxima penitus tollitur, viribus naturalibus, non poteſt fieri mutatio immediata ad habitum*

Digitized by Google

tum numero eundem. Quia vero nulla potentia & vis, quamdiu hic per Dei beneplacitum exiſtit mundus, in nihilum redigitur, nulla privatio totalis, qua omnis potentia remota tolleretur, in mundo phyſico naturaliter locum invenit. Poſſibile ergo eſt, ut a privatione ad habitum in mundo phyſico detur regreſſus. Præſentem igitur Scholaſticorum regulam, certorum tantummodo exemplorum inductione incomplete deductam, neque in Phyſicis univerſaliter eſſe veram, multo minus metaphyſicam poſſidere univerſalitatem, & ideo potiori jure elimandam eſſe contendo. Peſſime itaque argutantur athei ex hoc canone reſurrectionem mortuorum negantes: Sociniani etiam, inficiantes, corpora, quæ ceciderunt, eadem numero eſſe reſurrectura. Nam canon iſte non eſt metaphyſicus, neque in Phyſicis univerſaliter obtinet. Re ergo ipſa nullus.

§. 290.

Privationis ſimplicis & compoſitæ definitiones.

Sed in viam iterum. Privationem diximus conſiſtere in abſentia realitatis (§. 281.), quæ abſentia, *aut talis* eſt, ut cum ea etiam conjungatur defectus in ceteris, quæ remanent realitatibus; *aut talis non eſt*, ſed nude deficit aliqua realitas, ſine reliquarum detrimento. Prior abſentia

Priva-

Privatio compoſita, ſeu *mixta*, immo & *geminata*; Poſterior *ſimplex* vocari jam ſuevit.

Ita ignorantia literarum in ruſtico & artifice, v. gr. Sutore, vitiat quidem hominem, & eatenus privatio eſt; quatenus tamen in hoc caſu ceteris opportunitatibus & lautiori ruſtici artificisque fortunæ nihil detrahit, non niſi ſimplex eſt privatio. Ignorantia autem & imperitia in eo homine, qui literarum ſtudia profitetur, non nudam infert abſentiam eruditionis, ſed ſæpe detrahit lautioris fortunæ ſpei, qua frui alias licuiſſet. Duorum hinc vel plurium defectuum exſurgit infelix concurſus, compoſitam efficiens privationem. Quod ſi his accedat tantorum defectuum ſenſus, i. e. dolor & ægritudo animi, corporisque, vel diuturna, vel brevis, vel gravis, vel tolerabilior, oritur funeſtiſſimus hujus privationis gradus.

Simplicis hujus & compoſitæ privationis exempla exhibet etiam ſacer Codex. Sic ſimplex actionis negatio exprimitur Rom. IX. 11. cum nondum nati nec quid boni nec quid mali egiſſent. Contra privatio compoſita innuitur in dicto *Chriſti* Joh. XV. 5. *ſine me nihil poteſtis facere.* h. e. quando ego abſum, vires veſtræ ſimul eo laborant defectu, ut nihil Deo grati præſtare poſſitis. Huc etiam pertinet locus 2. Theſſ. III. 11. ubi περιεργαζόμενοι ſupervacua, inutilia & aliena agentes dicuntur μὴ ἐργαζόμενοι nihil agentes, quippe qui bonum agere omittunt, quæ eſt una privatio, nam debuiſſent non omittere: poſtea iidem quoque male agunt,

 quod

quod debuiſſent fugere, quæ eſt altera privatio. Ex his ergo conjunctis emergit privatio compoſita.

Quà verba non vero quà ſenſum à nobis deflectunt, ſtatuentes *privationem illam compoſitam, ſeu mixtam, præter realitatis abſentiam, ſimul etiam formam aliquam poſitivam, abſenti contrariam, importare.* Quo pertinere dicunt morbos, & vitia quævis habitualia. Dico: non quà ſenſum, nam quatenus forma iſta, quam vocant poſitivam, abſenti habitui, ſeu realitati, ponitur contraria, non poteſt eſſe realitas, quæ quà talis cum altera non pugnat, non ergo niſi realitatis abſentiam involvit. Hinc itaque per privationem compoſitam intelligunt talem realitalis abſentiam, quæ ſimul conjuncta eſt cum defectu in reliquis, quæ adſunt, realitatibus. Pertinet huc exemplum morbi, qui non ſemper nudam dicit bonæ valetudinis abſentiam, verum importat quoque defectum in ſpirituum animalium & curſus ſanguinis, h. e. virium corporis animalis recto & legitimo uſu. Hæc ſane ratio eſt, cur hujus definitionis conditores dicant ſe *poſitivum* heic non ſumere in ſuo rigore & metaphyſico ſenſu, ſed in morali ſignificatione, qua, quatenus ad malas actiones pertinet, denotat qualitatem moralem, formæ abſenti oppoſitam, h. e. ut clarius loquar, denotat non modo lucrum ceſſans, ſed & damnum inde ortum præſens. E contra *privativum morale* eſt lucrum ceſſans, non damnum præſens. Poſitivum igitur morale duplicem infert privationem

tionem metaphyſicam; primo non modo non locupletat, ſed ſecundo etiam depauperat. Privativum morale ſimplici privatione metaphyſica continetur, unice enim cum poſſet, non locupletat majori bono morali.

§. 291.

An peccatum originis ſit privatio?

Hiſce jam præmiſſis coronidis loco in hoc capite exponere conabor quæſtionem, ſatis vexatam: *an peccatum in genere, & ſpeciatim peccatum originis, ſit privativum quid? an poſitivum? an ex privativo & poſitivo mixtum?* Ut taceam Pythagoricos, Priſcillianiſtas & Manichæos, qui malum omne reale & poſitivum quid eſſe finxêre. In duas potiſſimum partes, inter ſe mirum quantum digladiantes, abeunt Philoſophorum & Theologorum non ultimi, hanc reſoluturi quæſtionem. Nam 1:o) *alii peccatum originis meram privationem* contendunt. Pertinent huc multi Scholaſticorum & Pontificiorum, paucis, ut *Lombardo, Henrico Gandavio, Gregorio Ariminenſe, Joh. Dreidone*, exceptis. Præcipue huc referendus eſt *Scotus* cum ſuis aſſeclis, *Bellarminus, Becanus, Tannerus*. Ex Calvinianis *Timplerus* & *Wendelinus* volunt peccatum originale formaliter nihil poſitivi includere. Ex Noſtratibus *Cornelius Martini* Helmſtadienſis Philoſophus, cui conſentiumt *Helmſtadienſes Theologi* in Apolo-

Digitized by Google

gia contra *Buſcherum* Part. II. pag. 109. 138. 195. 200. *Calixtus* in Epit. Theol. in Exercit. de peccato originali th. 20. *Drejerus* in Erörterung. p. 207. & ſeqq. *Graverus* in Prælect. ad Auguſt. Confeſſ. art. 11. p. 278. & ſeqq. In eo tamen differunt à Pontificiis Noſtrates, quod illi intelligant privationem boni ſupernaturalis, hi privationem boni connaturalis. 2:do *His ſe opponunt*, ſtatuentes *peccatum originis eſſe privationem mixtam*, ſeu, ut quidam loqui amant, eſſe ens privativo - poſitivum. Huic ſententiæ, præeunte Apologia A. C. Art. I. p. 55. quæ contendit *peccatum origiginis eſſe tum debitæ juſtitiæ carentiam, tum habitum vitioſum, qui amiſſa juſtitia ſucceſſit*: Huic, inquam, plures addicti ſunt Noſtratium, ut *Joh. Gerhardus* in Iſag. Loc. Theol. Diſp. XXIV. Cap. 6. ubi formam peccati originalis conſiſtere ait α) *in* στερήσει *juſtitiæ originalis ac boni in primæva creatione protoplaſtis conceſſi amiſſione*, β) *in* θέσει *pravæ concupiſcentiæ ac mali contrarii ſucceſſione*. *Scherzerus* in Brev. Hülſem. enucl. Cap. 5. p. 273. *Quenſtedius* in Syſtem. Theol. P. II. Cap. 2. p. 135. & ſeqq. *Hebenſtreitius* in Syſtem. Theol. P. II. Loc. 2. p. 305. & ſeqq. *Poſevitz* in Metaphyſ. Theol. Cap. 1. p. 36. *Mejerus* in Metaph. uſuali Div. p. 23. & ſeqq. aliique plures, & inter

inter recentiſſimos Philoſophos *Canzius* P. I. uſus Phil. W. & L. in Theol. p. 280. & ſeqq. Obſerves vero eximios hos viros, quando dicunt peccatum originis eſſe privativo-poſitivum quid, non intelligere poſitivum phyſicum, ut graviter monent *Hülſemannus*, *Scherzerus*, l. c. *Chemnitius* in Loc. Theol. Part. I. L. de cauſſa peccati Cap. 5. multo minus metaphyſicum, quod vel ipſe Deus eſt, vel à Deo dependet (§. 280. 242.), ſed poſitivum in ſenſu morali, quod ad §. præc. explicuimus. Hanc nos defendimus ſententiam, ſtatuentes *peccatum originis eſſe privationem mixtam*, *ſeu geminatam*. Peccatum enim hoc non ſolum conſiſtit in imaginis primævæ, qua fulgere homo poterat & debebat, abſentia, ut ſit ἀνομία & ἀδικία I. Joh. III. 4. verum etiam in corruptione & corporis & animæ inprimis, ita ut intellectus non ſolum ignorantia laboret, ſed erroribus etiam pervicaciſſime inhæreat. Voluntas non ſolum circa Dei amorem aut odium neutra ſit, ſed & graviſſime Deo obluctetur, hinc dicitur *inimicitia adverſus Deum* Rom. VIII. 7. *caro concupiſcens adverſus ſpiritum*, Gall. V. 17. *quæ inhabitet & operetur malum*, Rom. VII. 17. 21. 23. Hinc B. *Scherzerus* Syſtem. Theol. Loc. VII. de Peccato §. 6. p. 145. *Peccatum originis non eſt ſolum imagi-*

 nis

Digitized by Google

nis Dei abſentia (privatio ſimplex), *ſed etiam præſentia ſuccedentis mali*, ſeu *penitiſſima depravatio naturæ*, (privatio compoſita). Quamvis hæc clara ſint & perſpicua, ut tamen evidentius adhuc appareat termino *Poſitivi*, à Theologis in hac controverſia adhibito, nihil denotari aliud, quam compoſitam, ſeu geminatam privationem, à nobis (§. præc.) explicatam, audiamus B. *Meiſnernm*, qui nomine omnium in ſua Antropol. S. Dec. 1. Diſp. VI. Qv. 3. ita loquitur: *Quia Pontificii diſputant peccatum eſſe meram doni ſupernaturalis, nimirum juſtitiæ originalis privationem, ipſamque naturam in ſe talem permanſiſſe, qualis ab initio fuerit condita, hinc factum, ut ad errorem iſtum Scholaſticum fortius refutandum Theologi noſtri terminum Poſitivi aſſumſerint, adeoque per iſtum hoc duntaxat indicant, peccatum non modo abſtuliſſe juſtitiam, ſed ſimul corrupiſſe naturam. Hanc igitur corruptionem & depravationem naturæ à nuda* στερήσει *juſtitiæ originalis diſtinctam, termino poſitivæ qualitatis unice notatam volumus.* Hinc rectiſſime infert D. *Poſevitz.* l. c. peccatum originis nihil eſſe aliud, quam geminatam privationem; unam juſtitiæ originalis, alteram rectitudinis naturalis. Et quamvis hæc deductio admodum clara ſit & perſpicua, ut, modo animum

animum advertant, non poſſint non poſtulatum ei præbere aſſenſum; ut tamen omne, quod vel dubii ſpeciem habeat, animo eximatur, unam alteramque inſtantiam, quæ gravior videtur, confutatam exhibere placet. Dubia hæc ſunt: *Quicquid operatur, damnat, convincit, turbat, pudefacit conſcientiam, illud habet, quod aliquid ſit, non vero quod non ſit, ideoque habet poſitivi receptam definitionem* (§. 279.), *& poſitivum eſt in ſenſu metaphyſico. Atqui peccatum ita, vi oraculorum Scripturæ, Ergo.* Confunditur in hoc dubio ipſa lex cum delicto, peccator cum peccato, vel, ut alii loqui amant, materiale peccati cum ejus formali: actu enim poſitivo non condemnat peccatum, ſed legis juſtitia ob commiſſum peccatum: Non operatur peccatum, ſed peccator, qui vim agendi ſed male applicatam exercet, qui etiam malæ hujus applicationis, & ſimul juſtitiæ legis ſibi conſcius, contriſtatur & pudefit. Effectus peccati, materialiter conſiderati, prout ſunt actiones ſuppoſiti, ſiſtunt utique ens poſitivum, quod efficax eſt, operatur, damnat, &c. ſed iidem effectus ſi formaliter ſpectantur, poſiti ſunt in privatione; derogant enim hominis felicitati, reddunt indignum, improbandum, Deo inimicum, legibus contrarium.

Proponuntur & ſolvuntur dubia.

Neque majori difficultate reſpondetur ad alterum dubium: *Peccatum originale ponitur in concupiſcentia, quæ poſitivum eſt, ergo non poteſt non illud etiam poſitivum eſſe.* Peccatum originale ponitur in concupiſcentia, non tamen in ea, quatenus bonum & poſitivum quid eſt, ſed quatenus prava & privationem involvit. Concupiſcentia enim materialiter ſpectata, prout dicit appetitum animi in aliquod objectum, non attendendo utrum bonum vel malum ſit, non poteſt non eſſe poſitiva, Deumque agnoſcere auctorem: quatenus vero homo hac ſua vi abutitur, eamque in malum dirigit, eatenus concupiſcentia eſt privativa, ex duplici orta defectu, altero quod omittit legitimum concupiſcentiæ uſum, altero, quod male agendo à lege deflectat. Hinc B. *Chemnitius* in Loc. Theol. p. m. 228. concupiſcentiam, quæ peccati originalis eſt, ex Apologia Auguſtanæ Confeſſionis explicaturus, dicit *illam complecti carnalem ſecuritatem, contemtum Dei, odiſſe judicium Dei, iraſci Deo, deſperare gratiam, habere fiduciam rerum præſentium, ſeu, ultra res præſentes ſua fiducia non aſcendere.* Hæc autem omnia & ſingula privativa eſſe, non vero poſitiva, ſenſu ſcilicet metaphyſico, quivis, vel non admonitus, intelligit. Hactenus ergo ſalva manet noſtra aſſertio.

Fateor

Fateor dicis peccatum originis non conſiſtere niſi in prava concupiſcentia, *quatenus tamen hæc incitat hominem, ut Scriptura dicit, ad varia peccata actualia, non poteſt non eſſe poſitivum quid.* Aſt hæc carnalis incitatio, quæ, proh dolor! datur, originem aliunde trahere nequit, quam ex corruptione primæva, qua fit, ut homo, ſibi relictus, & ſufficientia deſideratarum virium ab bene agendum deſtitutus, ad juſtum ergo & æquum non attendens, à recto tramite deflectat, & malis ſe contaminet actionibus. Vides ergo incitationem iſtam, quam concupiſcentiæ pravæ attribuis, non niſi ad ſenſum privationis compoſitæ eſſe interpretandam. Nam quatenus homo ſe dirigit ad agendum in genere, eatenus non peccat; quatenus vero à mandato divino & lege deficit, eatenus peccata committit.

Largitur *Cajetanus* in 1. 2. Summ. Theol. Qv. 18. art. 5. & qv. 71. art. 6. *malitiam moralem in omiſſione eſſe privativam, in commiſſione tamen poſitivam, h. e. peccatum omiſſionis eſſe privativum, ſed commiſſionis poſitivum.* Hanc inſtantiam, cum omnibus Cajetani argumentis, fuſius confutavit *Slevogtus* Diſp. VIII. de Peccato morali p. 788. & ſeqq. Nos vero obſervamus omne peccatum, ſive omiſſionis ſit, ſive commiſſionis, eſſe privativum, formaliter ſpectatum, eo

Digitized by Google

tamen diſcrimine, quod illud ſimplex ſit privatio, hoc vero duplex; nam primo omittitur bonum, deinde agitur, quod malum eſt. Confer mox dicta ad §. præced.

CAPUT VIII.

DE ENTE ACTUALI ET POTENTIONALI.

§. 292.

Entis actualis & potentionalis definitiones.

Ens, quod exiſtit, *Ens actuale*, ſeu, *Ens actu*, dicitur. Quod vero nondum exiſtit, exiſtere tamen poteſt, *Ens potentionale*, ſeu, *Ens in potentia*, vocatur.

Infans ex gr. jam natus eſt ens actuale. Ubi vero ad maritum & uxorem reſpicimus, qui prole iſta adhuc deſtituuntur, viribus tamen ad generandum neceſſariis gaudent, dicimus prolem eſſe illis ens in potentia. Sic arbor creſcens eſt ens actuale, in ſemine autem deliteſcens, eſt ens potentionale.

Retinemus heic uſitatas entis actualis & potentionalis definitiones, non videntes, cur Illuſtr. *Wolfius* §. 175. Ontol. Lat. hanc receptam entis potentionalis notionem rejiciat, quaſi hac poſita confunderetur ens potentionale cum Ente in genere, quod id eſſe recte ſtatuitur, quod exiſtere poteſt (§. 226.);

Digitized by Google

226.): Nam non dicimus ens potentionale poſſibili exiſtentia unice abſolvi, ſed juxta contendimus, illud nondum exiſtere. Quare, ſi hac poſita ratione, ens potentionale commiſceretur & coincideret cum ente in genere, nullum daretur ens exiſtens, & ideo actuale ſub ente in genere non contineretur, cujus tamen contrarium ipſe Wolfius c. l. ſtatuit. Ens actuale idem eſt ac ens participiale, quod antea, ad §. 227. explicuimus; ſed ens potentionale non ejusdem eſt cum ente nominali extenſionis, quod ſub ſe continet omne poſſibile (§. cit.) & ideo omne exiſtens & non-exiſtens (§. 211.). Eſt itaque ens potentionale nonniſi ſpecies, ſub ente nominali, h. e. ente in genere, comprehenſa. Eadem de ente potentionali fuit mens veterum Philoſophorum: *Svarezius* enim Diſp. 2. Metaph p. 58. contendit ens, ſumtum vi nominis, non ſignificare ens in potentia, ſed eſſe hoc ſpeciem, ſub illo contentam. Svarezio aſſenſum præbent alii innumeri, ut adeo ſuam in veterum Scriptis ignorantiam prodant, putantes ens potentionale veteribus dictum fuiſſe ens nominale.

Entis potentionalis & nominalis diſcrimen.

§. 293.

Actuale & non-actuale in poſſibilitate conveniunt (§. 211.), quare ens cum actuale tum potentionale eſt quid abſolute poſſibile, eo tamen diſcrimine, quod illud, quia

Entis actualis & potentionalis poſſibilitas.

exiſtit

exiſtit (§. 291.), ſit poſſibile non-merum; hoc vero, quia non exiſtit (§. cit.), poſſibile merum (§. 148.).

Quivis facile largitur ens in potentia eſſe poſſibile quid, ita quidem, ut, ſi de poſſibili in genere fuerit ſermo, latior agnoſcatur poſſibilis quam entis potentionalis idea, quoniam ſub illa omne actuale ſimul continetur (§. 211.). Ubi vero intra poſſibilis meri limites coarctatur poſſibilis idea, non eſt hoc poſſibili anguſtius ens potentionale, quod ut clarius pateat, ſequentem addere lubet poſitionem.

§. 294.

Poſſibilis meri & entis potentionalis identitas.

Omne poſſibile merum eſt ens potentionale. Nam poſſibile merum non exiſtit, poſſibilitatem tamen abſolutam habet (§. 148.), & ideo exiſtere poteſt (§. 141.), conſequenter eſt ens in potentia (§. 292.).

Vera itaque & accuratis notionibus conformia non ſtatuunt, diſtinguentes inter *ens potentionale* & *poſſibile merum*, quaſi illud revera lateret in ſuis cauſſis, tanquam futurum quid, huic autem tantum non repugnet exiſtere, etſi propterea non ſit futurum. Sic hominem, quatenus in ſigno rationis, uti ajunt, ante decretum Dei ſpectatur, negant fuiſſe ens potentiâ, quia ſic ſpectatus nondum eſſet in ſuis cauſſis, quarum prima eſt volun-

voluntas & decretum Dei. Hanc ſuam ſententiam proponere ſolent quidam Scholaſticorum, & eam, ad L. IX. Cap. 3. & 4. Metaph. Ariſtotelis, contra alios negantes defendere; ſed eandem abſurdam eſſe præſenti evictum eſt theſi. Et quis quæſo negabit Deum, antecedenter, ut ita loquar, ad decretum ſufficientiſſimas habere vires producendi hominem, ideoque hominem, etiam in ſigno rationis, fuiſſe ens in potentia. Immo, ſi id unice ens potentionale quoad Deum diceretur, quod futurum eſt, ſua omnipotentiæ Ejus non conſtaret amplitudo, quæ ad omne extenditur poſſibile, & vi cujus Deus poteſt, prævia Scriptura, panes facere ex lapidibus, item filios Abrahæ ex lapidibus ſuſcitare, angelos mittere, qui impedirent vim & tyrannidem Judæorum contra Salvatorem, & nihil horum factum eſt. Patet igitur innumera, quæ correſpondeant activæ Dei potentiæ, etiam poſſibilia eſſe, & tamen nunquam facta. Abſoni itaque ſunt Scholaſtici, nihil eſſe ens in potentia, niſi quod ſit futurum, arbitrantes.

§. 295.

Recte itaque diſpeſcimus ens in ens actu & potentia, ita ut omne ens ſit vel actuale vel potentionale. Omne enim ens eſt vel poſſibile merum vel non-merum (§. 239.), illud eſt potentionale (§. 294.), hoc exiſtit (§. 148.), & id- *Diviſio entis in actuale & potentionale eſt adæquata.*

circo

circo actuale eſt (§. 292.). Ens ergo eſt vel actuale vel potentionale.

Non exigua eſt inter multos controverſia: *an ens metaphyſicum recte diſpeſcatur in ens actu & potentia? & an ens potentia verum ſit ens?* Alii affirmant, alii negant, ita tamen ut in hoc puncto vera inter utrosque non ſit contradictio: Nam qui affirmativam nobiscum tuentur ſententiam, ens metaphyſicum, nominali ſenſu, quem vindicavimus (§. 226. 227.), ſumunt: Qui vero negativæ ſua addicunt nomina, ens metaphyſicum participialiter accipiunt, pro actuali tantum: quo modo nemo diſtinxerit inter ens actu & potentia. Priori tamen ſenſu vera nihilo ſecius eſt hæc diſtinctio: Non enim Participialiſtis dabimus ens metaphyſicum cum actuali coincidere, poſtquam à nobis ſatis jam evicta ſit entis nominalis acceptio (§. §. cit.).

§. 296.

Ens ſe ipſum præſtare nequit exiſtens.

Facile hinc demonſtratur, *nullum ens ſe ipſum præſtare vel producere poſſe exiſtens.* Omne ens eſt vel actuale vel potentionale (§. 295); *hoc* non exiſtit (§. 292.), ergo ſe ipſum præſtare nequit exiſtens (§. 214.) *Illud* vero, ſi ſe ipſum produxerit exiſtens, ante illam productionem fuiſſet non exiſtens, ei tamen competiviſſet productio ſui ipſius, quod per ante demonſtrata (§. cit.) fieri

Digitized by Google

fieri nequit. Recte ergo ſtatuimus nullum ens ſe ipſum præſtare vel producere poſſe exiſtens.

Quod videlicet antea (§. 214.) ſolum de non-exiſtente oſtendimus, id hoc loco, præmiſſa univerſali entis notione (§. 226.), ex qua pendet ejus diviſio in ens actu & potentia (§. 295.), ad omne ens univerſaliter applicamus. Eſt quidem, ut quilibet ſanæ mentis largitur, hæc propoſitio inter notiones communes referenda; fuiſſe tamen, qui putarunt, heic excipiendum eſſe Deum, quaſi Ille ſe ipſum præſtitiſſet exiſtens, docet Hiſtoria, nos quoque in ſequentibus palam faciemus, ſubjuncta ſententiæ abſurditate, quæ ex modo oſtenſis facillimo perſpicitur negotio.

§. 297.

Quamvis ens in potentia non exiſtat (§. 292.), *eſt tamen exiſtibile.* Nam omne poſſibile merum eſt exiſtibile (§. 157.), ergo & ens in potentia exiſtibile eſt (§. 293.). *Ens in potentia eſt exiſtibile; Sed non vice verſa.*

Non tamen hinc converſim inferas *omne exiſtibile eſſe ens in potentia.* Nam ad exiſtibilia referuntur illa quoque poſſibilia non-mera, quorum exiſtentiæ ratio non continetur in eorum abſoluta poſſibilitate (§. 157.), ſed exiſtunt poſſibilia non-mera (§. 148.), proindeque non ſunt entia potentionalia (§. 292.).

292.). Non ergo omne exiſtibile eſt ens in potentia.

Ex. gr. Infans nondum editus eſt ens in potentia, & quatenus per vires parentum exiſtentes exiſtere poteſt, eſt ſimul exiſtibilis. Natus vero infans deſinit eſſe ens in potentia: quatenus tamen exiſtentiæ ſuæ rationem in ſe ipſo non habet, ſed in viribus parentum ad generandum jam applicatis, eatenus manet exiſtibile quid (§. 157.).

§. 298.

Intimior natura entis potentionalis. Hinc prona, ut ajunt, conſequentia fluit, ens in potentia eſſe id, ad cujus exiſtentiam præſtandam, vel producendam, ſufficientes adſunt vires (§. 156.). Hactenus tamen non habeamus hanc aſſertionem pro definitione entis in potentia, quia cum exiſtibili non reciprocatur (§. 297.). Quoniam vero ens in potentia non exiſtit (§. 292.), hac addita determinatione, recte definio *Ens in potentia per non-exiſtens, ad cujus tamen exiſtentiam præſtandam vel producendam ſufficientes adſunt vires.*

Quia hæ vires continent in ſe rationem ſufficientem exiſtentiæ, recte cum Illuſtri *Wolfio* in §. 175. Ontol. Lat. dicere poſſum ens in potentia eſſe illud, quod, ad alia exiſtentia relatum, in iis habere poteſt rationem ſufficien-

Digitized by Google

ficientem ſuæ exiſtentiæ. Quoad eundem ſenſum definit *Abrahamus Calovius* in Script. Phil. p. m. 234. Ens in potentia per illud, quod actu eſſendi caret, eundem tamen, virtute cauſſæ producentis, ut accipiat, non repugnat.

§. 299.

Quando hæc virium ſufficientia refertur ad res naturales, exſurgit *Ens potentionale phyſicum*, quod eſt non-exiſtens, ad cujus tamen exiſtentiam præſtandam, vel producendam, ſufficiunt vires naturales. *Ens potentionale phyſicum quid?*

Sic ens potentionale phyſicum eſt arbor in ſemine deliteſcens, quatenus in ſemine, accedente cœli & ſoli temperie, ſufficiens adeſt vis producendæ arboris. Huc etiam pertinet exemplum infantis, quo antea uſi ſumus.

Haud ignoro omnes, quos videre licuit, Philoſophos diſcriminis inter ens potentionale in genere & ens potentionale phyſicum haud meminiſſe; illud tamen non impedit, quominus firmo nixi fundamento utriusque hujus entis dari differentiam ſtatuamus. In eo quidem utrumque convenit α) quod ſit non-exiſtens. β) quod referatur ad ſufficientiam virium; ſed in eo differt, quod in notione entis potentionalis in genere non determinetur, ad quas vires fiat relatio, ſive ad infinitas, ſive ad finitas, quum utrumque in ejus notione *Diſcrimen inter ens potentionale in genere & phyſicum.*

Digitized by Google

involvatur: In notione autem entis potentionalis phyſici determinatur illa relatio ad vires unice finitas & naturales. Hinc eſt quod illud ens comprehendat omnia, quæ per vires Dei ſunt exiſtibilia, etiamnum tamen non exiſtentia, hoc vero unice reſpiciat quæ per vires entis finiti exiſtere poſſint.

§. 300.

Entis potentionalis phyſici phyſica poſſibilitas.

Omne ens potentionale phyſicum eſt phyſice poſſibile, ſed non omne phyſice poſſibile eſt ens potentionale phyſicum. Enti potentionali phyſico præſtando, vel producendo, ſufficiunt vires rerum naturalium (§. 299.), ſed cujus exiſtentiæ præſtandæ ſufficiunt vires rerum naturalium, eſt phyſice poſſibile (§. 165). Ergo ens potentionale phyſicum eſt phyſice poſſibile. Q. E. U.

Quæ ope virium naturalium ſunt jam producta, phyſice etiam poſſibilia eſſe dicimus, certi illud phyſice eſſe poſſibile, cui præſtando jam ſuffecêre vires rerum naturalium, quum ab eſſe ad poſſe valeat conſequentia (§. 143.). Ens autem potentionale phyſicum tantum circa non-exiſtentia verſatur (§. 299.). Non itaque omne phyſice poſſibile eſt ſimul ens potentionale phyſicum. Q. E. A.

Latius ſcilicet extenduntur phyſice poſſibilia quam entia potentionalia phyſica, quum illa una

una comprehendant, & quæ per vires naturæ jam exiſtant, & quæ, licet non exiſtant, exiſtere tamen poſſunt; hæc vero circa poſteriora tantum verſentur, prioribus excluſis. Sic ex. gr. Machina per artem magiſtri jam exiſtens eſt phyſice poſſibilis; quæ vero nondum exiſtit, ſed tamen per eandem artem exiſtere poteſt, eſt ens potentionale phyſicum.

§. 301.

Ens in potentia proxima & remota.

Ens potentionale phyſicum eſt non-exiſtens, ad cujus tamen exiſtentiam producendam ſufficiunt vires naturales (§. 299.). Sed hæ vires aut actu dantur, ſeu exiſtunt in natura, aut ſunt tantum in potentia (§. 295.). Priori reſpectu ens in potentia proxima, poſteriori ens in potentia remota dicitur. Eſt itaque *Ens in potentia proxima* ens potentionale phyſicum, cujus exiſtentiæ ratio eſt in aliis entibus actualibus. *Ens in potentia remota*, ens potentionale phyſicum, cujus exiſtentiæ ratio in entibus potentionalibus fundatur.

Jure colloco hanc diſtinctionem entis potentionalis ſub ente potentionali phyſico, non autem ſub ente potentionali in genere, quod cum mere poſſibili reciprocatur (§. 293. 294.), & ideo abſolute poſitum ad omnipotentiam Divinam refertur, cujus reſpectu,

 quia

quia illa ſemper & actu datur, neque unquam ut ens quoddam potentionale concipi poteſt, nihil eſt in potentia remota. Quam ob rem minus conſiderate agunt, qui ens potentionale in genere dividunt in ens in potentia proxima & ens in potentia remota, quum hæc diviſio unice afficiat ens potentionale phyſicum. Quo ſimul habes novam, eandemque ſatis prægnantem rationem, cur ab ente potentionali in genere diſtinguatur ens potentionale phyſicum: Nam alioqui diviſio, cujus in præſenti theſi fit mentio, firmo nunquam ſtare poſſet talo, etſi ab omnibus, qui hucusque Metaphyſicam conſcripſêre, ſit approbata.

Ut vero eo penitius introſpicias indolem & naturam entis in potentia proxima & remota, tenendum eſt non omnia potentionalia, in quibus exiſtentia alterius fundatur, efficere ens in potentia remota; fieri enim poteſt, ubi præter exiſtens, alia quoque nondum exiſtentia, ad determinandam exiſtentiam alterius concurrunt, ut illa non-exiſtentia, quando probabiliter conſtat eadem exſtitura, cum ad determinationem exiſtentiæ alterius eorum requiritur influxus, jure conſiderari mereantur tanquam exiſtentia. Sic *arbor in ſemine latens* eſt ens in potentia proxima, ubi ſolo fertili commiſſum ſemen ſtatis temporibus pluvia & rore irrigatur, caloreque ſolis fovetur. Exiſtit ſolum fœcundum, & cum natura ſtatis temporibus rorem & pluviam producere ſoleat, perinde eſt ac ſi actu exiſterent ros & pluvia, conſequen-

ſequenter reſpectu ſeminis, terræ committendi, pro actualibus habentur. Contra *ſolidior Mechanices cognitio* illi eſt ens in potentia remota, qui etiamnum ne primis quidem, ut ajunt, labiis principia mathematica guſtavit: Fundatur enim illa cognitio in profundiori Arithmetices, Calculi, Geometriæ & Trigonometriæ notitia, ſed hæc nondum in mente ejus exiſtit (per hypotheſin), nec probabiliter pro exiſtenti haberi poteſt, ubi ejus opus eſt influxu. Scilicet, qui ad Mechanicam accedit, non eo ipſo Geometriæ, Arithmeticæ, Calculi & Trigonometriæ ſtatim tenet præcepta, quibus perdiſcendis nullam antea adhibuit operam.

§. 302.

Ens in potentia remota, in ſerie exiſtentium fundatum, non niſi præexiſtente illa ſerie exiſtit.

Si ens in potentia remota rationem ſufficientem ſuæ exiſtentiæ habet non niſi in ſerie entium, ſucceſſive exiſtentium, exiſtere nequit prius, quam integra illa ſeries, in qua exiſtentia ejus fundatur, fuerit abſoluta. Ponamus ens in potentia remota nihilominus exiſtere poſſe, licet vel maxime integra illa ſeries, in qua exiſtentia ejus fundari ſupponitur, non præexiſteret. Quam ob rem, quia non niſi in integra ſerie præexiſtente rationem ſuæ exiſtentiæ ſufficientem invenit (per hypoth.), exiſtere aliquod poſſet ratione ſuæ exiſtentiæ ſufficiente deſtitu-

 tum.

tum. Hoc autem implicat (§. 216.). Liquet ergo aſſerti veritas.

Eſt hæc propoſitio uſu communi adeo firmata, ut ſine demonſtratione, axiomatis inſtar, à quovis facile concedatur. Quis enim dixerit Nepotem v. gr. Caji, adhuc impuberis, exiſtere, antequam exiſtit eum eſſe puberem, uxorem duxiſſe, gignendi potentia præditam, filium ex hoc matrimonio genuiſſe, & hunc, ubi puber factus eſt, nuptias cum fœmina non ſterili celebraſſe. Quis, inquam, dixerit prius Nepotem Caij exiſtere, quam hæc præexſtitêre omnia? Idem obtinet de omni alio ente in potentia remota, cujus exiſtentiæ ratio ſufficiens continetur in integra aliqua ſerie, ſucceſſive exiſtente.

§. 303.

Entis, in potentia remota, gradus.

Poſita itaque entium ſucceſſive exiſtentium ſerie, liquet *ens in potentia remota*, quod in hac ſerie ſuæ exiſtentiæ rationem invenit, *admittere gradus, tantoque propius exiſtentiæ cenſeri, quanto plura intermedia ex illa ſerie præexſtitêre. Et contra, tanto ab exiſtentia remotius haberi, quanto plurium intermediorum prærequiritur exiſtentia.*

Sic Titius & Nepos Titii ſunt potentionalia entia, cum is, viribus gignendi præditus, uxo-

Digitized by Google

uxorem ducere queat, quam non ſupponimus ſterilem. Jam ſi ex hoc matrimonio prognatus filius uxorem ducat, ex eo demum Titio naſcetur nepos. Patet vero filium & nepotem Titii non eodem intervallo ab exiſtentia removeri, filiique exiſtentiam propiorem eſſe nepotis actualitate.

§. 304.

Entis in potentia ab ente rationis diſcrimen.

Hiſce jam explicatis de ente potentionali phyſico, ad ens potentionale in genere iterum redimus, contendentes *illud non eſſe confundendum cum ente rationis*. Differunt inter ſe ut ens & non-ens. Nam ens rationis eſt non-ens (§. 275.), ens vero potentionale ens eſt (§. 295.).

Memorat *Slevogtus* Diſp. VI. p. 113. opp. *Petrum Hurtadum de Mendoza* Diſput. Metaph. 19. Sect. 1. n. 14. & *Rodericum de Arriaga* Diſp. Metaph. VI. Sect. 3. ſubſ. 1. hujus confuſionis reos eſſe, qui v. gr. curſum Petri, cum dico: Petrus currit, eo non currente, volunt eſſe ens rationis; ſed tam manifeſto abſurda eſt hæc ſententia, ut ei pluribus immorari non vacet.

§. 305.

Convenientia cum ente reali

Ens potentionale eſt reale & poſitivum. Eſt enim ens potentionale ens (§. 295.), & per conſe-

quens

Digitized by Google

& poſitivo. quens eſt reale (§. 270.), & poſitivum (§. 280.).

Qui negant ens potentionale eſſe reale & poſitivum, confundunt hos terminos cum actuali, quaſi nihil ſit reale, niſi quod ſimul actualitatem poſſideat. Videtur quidem hæc diſceptatio eſſe de ſola voce, quia tamen uſui recepto conformiter notionem rei antea evolvimus (§. 268.), & habet hæc aſſertio non contemnendum in Theologia revelata uſum, mox indicandum, non poſſumus non realitatem entis potentionalis, ut veritati congruam, defendere.

§. 306.

Realia hujus entis prædicata. Quia reale dicitur, quod aliquid eſt (§. 269.), certis conſtitutum prædicatis, quæ realitatum veniunt nomine (§. 271.); *Habet ens potentionale prædicata realia* (§. 305.).

Sic homo, nondum natus, habet omnia illa realia prædicata, quibus poſſibilitas ejus abſolvitur, non quidem actu ipſo, quia nondum exiſtere ponitur, veritate tamen, uti loquuntur, attributionis. *Uſus Theologicus.* Humana *Chriſti* natura, in V. T. actu nondum exiſtebat, nata demum in plenitudine temporis ex *Maria* virgine. Tum ergo fuit ens in potentia, nihilo tamen ſecius in V. T. ei competebant prædicata realia, vi quorum recte credimus & ſtatuimus Sanctos in V. T. per gratiam *JESU Chriſti* ſalvatos eſſe, ſicut & nos Act. XV, 11. Et ſan-

Digitized by Google

ſanguinem Chriſti valere antrorſum & retrorſum, in V. & N. fœdere, ut beati loquuntur Patres. Falluntur itaque Sociniani, docentes credentibus in V. T. ſuffeciſſe redemtionem improprie dictam, citra ſanguinis interventum, Deumque ante Chriſti adventum ab initio mundi, nulla ſatisfactione accepta, tantum propter vitæ emendationem condonaſſe peccata.

Falluntur etiam Calviniani cum Photinianis animo fingentes fidem prævifam, cum ſaltem fuerit ens in potentia, cui nulla realis operatio convenit, non recte dici electionis divinæ prærequiſitam conditionem, ſed factam eſſe hanc electionem ex ſimplici & abſoluto quodam beneplacito: Confunditur enim in hac Calvinianorum ſententia realis operatio cum reali prædicato; illam non attribuimus fidei nondum exiſtenti, hoc tamen illi, quia ens in potentia eſt, convenit. Certe quia ſine realibus prædicatis nihil eſt poſſibile, & ideo nihil conceptibile & ſcibile (§. 73.), ſi realitate ſua deſtitueretur fides prævifa, prævideri & præſciri non poſſet, quod vel ipſi adverſarii abſurdum eſſe confitentur. Neque urgendum eſt Dei beneplacitum eousque, quaſi ſine ullius rationis intuitu decerneret. Nam eſt Deus ita liber, ut ſimul non deſinat eſſe ſapiens, deſineret vero, ſi absque omni ratione aliquid conſtitueret.

§. 307.

Entis in potentia nulla operatio, nulla paſſio.

Enti potentionali nullæ conveniunt operationes, nullæ paſſiones. Non-exiſtenti nullæ competunt operationes, nullæ paſſiones (§. 213.). Eſt vero ens potentionale non-exiſtens (§. 292.). Huic ergo nullæ conveniunt operationes, nullæ paſſiones.

Sic nemo ſanus dixerit nepotem v. gr. Titii, nondum exiſtentem, ambulare, ſedere, ſcribere, doloribus & verberibus affici, & alia ſimilia agere vel pati. Idem in alio ſimili caſu obtinere perſpicit attentus animus, ut adeo præſentem aſſertionem inter principia communia referre haud dubitemus, id ſolum monentes, ne ſenſum communem unice ſequens commiſceat operationem, quam enti in potentia denegamus, cum realitate, quam ei adjudicavimus (§. 306.). Eſt quidem operatio realitas, ut poſtmodum viſuri ſumus, ſed non omnis realitas eſt operatio: Illa enim convenit etiam mere poſſibilibus, hæc nonniſi actualibus. Illa ergo in ſolo conceptu locum habere poteſt, hæc ſemper extra conceptum datur.

Uſus Theologicus.

Ceterum ex præſenti, quam evicimus, regula facile confutantur Reformati, docentes infantes vel fidelium vel aliorum, ſed baptizatos, nonniſi per fidem potentionalem, ſeu virtualem, juſtificari & ſalvari: Nam infantum fides, quam *Spiritus Sanctus* per ipſum baptiſmi Sacramentum in illis

illis operatur, quia illis non alia eſt via perveniendi ad ſalutem, quam adultis, Act. XV. 11. Rom. III. 18. in vera & fiduciali meriti Chriſti apprehenſione conſiſtit. Jam vero vi noſtri canonis ſubſumimus, quod ſolum potentia eſt & non actu, actu operari, ſalvare, apprehendere & amplecti quid nequit. Fides ergo infantum non eſt ens in potentia, ſed ens actu. Taceo manifeſta Scripturæ dicta, quæ actualem fidem infantibus attribuunt, ut ſunt Matth XVIII. 6. Marc. IX. 42. Cap. X. 13. 14. Luc. XVIII. 15. 16. Id ſolum & una urgeo, ſi fides infantum eſſet ſolum potentia, eos nonniſi potentia juſtificari, minime vero actu, quod tamen & Scripturæ Sacræ, & ipſis adverſariorum aſſertis, repugnat.

§. 308.

Ortus & interitus definitio.

Oriri dicitur, quod exiſtere incipit, cum antea non exiſteret. Ex adverſo *Interire* vel *Perire* dicitur, quod exiſtere deſinit, cum antea exiſteret.

Notiones, quas heic tradimus, ortus & interitus, cuivis familiares ſunt & apertæ, non ergo indiget earum realitas, probanda vel illuſtranda, longa exemplorum inductione. Unum ſufficiat. Oritur v. gr. eruditio in mente, ubi jam exiſtere incipit, quæ antea non exſtitit: Perit vero, ſi olim exiſtens, ſuam in mente jam amittit exiſtentiam.

§. 309.

Digitized by Google

§. 309.

Quod oritur eſt poſſibile. *Quicquid oritur eſt abſolute poſſibile, & abſolute impoſſibile oriri nequit.* Nam quod oritur, incipit exiſtere (§. 308.), ideoque ei exiſtentia non repugnat (§. 143.), conſequenter eſt abſolute poſſibile (§. 141.). Sed abſolute impoſſibili exiſtentia repugnat (§. 134.), non itaque poteſt incipere exiſtere, proindeque oriri nequit (§. 308.).

§. 310.

Quale ante ortum ens quod oritur. *Quod oritur, ante ortum fuit ens potentionale, & mere poſſibile.* Quod oritur eſt abſolute poſſibile (§. 309.), & incipit exiſtere, cum antea non exiſteret (§. 308.); ergo ante ortum non exſtitit, exiſtere tamen poteſt (§. 141.). Conſequenter ante ortum eſt ens potentionale (§. 292.), & merum poſſibile (§. 293.).

Hinc eſt quod dicant ens, dum oritur, ex ſtatu meræ poſſibilitatis deduci in ſtatum actualitatis. Sic mundus ante ortum fuit ens potentia tantum & in ſtatu meræ poſſibilitatis; poſt ortum vero abſolutam quidem poſſibilitatem non amiſit, illam tamen unice non tenet, ſed ſuo jam inſtructam complemento, actualitatem puta.

§. 311.

§. 311.

Ortus ſine ſufficientia virium non datur.

Hinc porro fluit nihil oriri poſſe niſi ejus exiſtentiæ præſtandæ vel producendæ ſufficientes adſint vires. Quicquid enim oritur, ante ortum fuit ens potentionale (§. 310.). Ergo ejus exiſtentiæ producendæ ſufficientes adſunt vires (§. 298.).

Ex atomis Epicureis mundus oriri nequit.

Vehementer hinc erravit *Epicurus* & cum eo corpuſcularis Philoſophiæ patroni, qui ex fortuito & cæco atomorum, omnibus qualitatibus, omni vita, omni principio activo, excepta ſolum gravitate, deſtitutarum, concurſu originem mundi deducere volunt: Fieri enim nequit ut aliquod ens oriatur niſi ab eo, qui ſufficientibus gaudet viribus producendi ejus exiſtentiam. Quibus quum deſtituantur atomi, utpote omnis principii activi expertes, non potuit ex illis mundus ſuam trahere originem. Variis præterea abſurditatibus laborat hæc Epicuri ſententia: Nam dicere pondera atomorum illas non conſtanter urgere, ſed temere & fortuito, id nihil aliud eſt, quam contendere gravitatem aliquando non eſſe gravitatem, et motum, h. e. effectum ſine cauſſa dari. Dicere vero atomos in infinito ſpatio deſcendere, eſt abſurdum, quum in ſpatio infinito nihil interius, nihil ſuperius, nec ullum motus centrum, ad quod tendat gravitas, concipere liceat.

§. 312.

Digitized by Google

§. 312.

Non-actuale non interit. *Quod non eſt actuale interire vel perire nequit.* Quod enim actuale non eſt, illius exiſtentia non poteſt deficere, ergo neque interire (§. 308.).

Continet hæc propoſitio immediatam conſequentiam ex notione interitus, ut adeo hæc ſine illa nunquam cogitari poſſit. Axiomatis ergo dignitatem apud multos Metaphyſicorum merito tuetur.

Abuſus regulæ apud Socinianos. Sociniani cum Photinianis, negantes genus humanum in Adamo periiſſe, hac abutuntur regula: *certe*, inquiunt, *perire non potuit, quia Adamo exiſtente, nondum exſtitit genus humanum.* Verum, quando noſtrates Theologi dicunt poſteros Adami in illo periiſſe, non illam huic vocabulo attribuunt notionem, qua valet præſens canon, quaſi in Adamo antea exſtitêre, ſed per peccatum ejus ſuam amiſêre exiſtentiam, hoc enim modo oppido abſurda fingerent; Sed intelligunt Adami poſteritatem in illo periiſſe, h. e. perdidiſſe accidentalem perfectionem, quam habere potuit & debuit, ſi ille peccato concreatam imaginem non amiſiſſet. Eleganter in hanc rem diſſerit *Calovius* in Opp. Phil. p. m. 241. *Periit, non quod actu habuit, amittendo, ſed quod habere potuit & debuit, deperdendo. Periit non actuali interitu* (quem præſens infert canon), *ſed certiſſimo interitus reatu. Periit non eſſentialiter, ut amplius non ſit, ſed accidentaliter, ut primigenea ſanctitate & juſtitia, quæ ipſi deſtina-*

Digitized by Google

deſtinabatur & debebatur, jam cum actu eſſet, naturaliter dotata non ſit.

De cetero obſerves præſens axioma ſua generalitate & phyſicam & moralem includere exiſtentiam, ut recte inferatur: Quod phyſice non exiſtit, neque phyſice interire poteſt: quod moraliter non exiſtit, moraliter interire nequit. Hinc ergo liquet Socinianos, à negatione phyſicæ exiſtentiæ poſteritatis Adami ad negationem interitus in genere argumentantes, egregie errare; Nam licet genus humanum phyſico ſenſu in Adamo non exſtiterit, atque adeo phyſice non perierit, exſtitit tamen morali ſenſu in Adamo, tanquam Societatis humanæ capite, ejus ad peccatum conſenſus, ex nexu poſterorum cum hoc capite interpretandus, vi cujus voluntas Adami morali ratione erat voluntas omnium poſterorum, ut adeo, peccante Adamo, omnes poſteri cenſeantur in eo peccaſſe. Quem ad modum dicit Apoſtolus Paulus Rom. V. Simili ratione magiſtratus, in cujus voluntatem tota respublica ſuam reſignavit, qui ergo integram repræſentat Societatem, ſua negotia & jura male adminiſtrans, perdere dicitur futuram in rep. humanam Societatem, nondum actu exiſtentem.

§. 313.

Quando quid interit, ſimul amittit aptitudinem aliud de ſe & à ſe producendi. Quod enim interit, illud exiſtere deſinit, cum antea exiſteret (§. 308.), quod itaque

Quod interit non habet aptitudinem aliud

que

producendi. que interit, amplius non exiſtit, & proinde omni aptitudine ad agendum vel patiendum deſtituitur (§. 213.). Per conſequens, quum productio actionem inferat, nihil de ſe & à ſe producere valet.

Sic exciſa arbore perit omnis aptitudo fructuum proferendorum, atque eo ſenſu dicit vulgus, intereunte arbore, fructus nondum exiſtentes ſimul interire, h. e. ſe perdere omnem ſpem fructuum carpendorum ex illa arbore.

CAPUT IX.
DE ESSENTIA ENTIS.

§. 314.

Ratio instituti. Notione & diviſionibus entis brevi, ſed perſpicua diſquiſitione expoſitis, reſtat in hac partis primæ ſectione prima, quæ indolem entis tradit, etiam evolvamus ejus eſſentiam, qua nondum perſpecta, completam entis notionem animo formabit nullus. Quæ ratio quoque eſt, cur plerique Metaphyſicorum & Veterum & Recentiorum in eodem cum ente capite de ejus agere ſoleant eſſentia. Nos vero majoris diſtinctionis gratia hanc doctrinam ſeparato reſervavimus capiti, impræſentiarum evolvendo.

§. 315.

§. 315.

Primus rei Conceptus, ſeu *Conſtitutivus*, eſt, qui ponitur, non præſuppoſito alio priori, in ipſa re, unde determinetur. *Secundus* autem *rei Conceptus*, ſeu *Conſecutivus*, eſt, qui determinatur per primum. *Conceptus primi & ſecundi definitiones.*

Conceptum, quem heic in primnm & ſecundum diſtinguimus, non accipimus *formaliter* pro repræſentatione rei in mente, ſed *objective* pro re, quatenus ab intellectu concipi poteſt (§. 74. not.), in qua aliud primum eſt & fundamenti loco, aliud ſecundum & ex primo deductum.

Genuinas autem eſſe datas primi & ſecundi conceptuum notiones, exinde liquet, quod nihil prius in ipſa re concipere liceat eo, quod non agnoſcit prius, unde determinetur. Quod vero determinatur per aliud, prius eo, unde determinatur, concipere non licet, ſiquidem ſine eo non formare poſſemus conceptum, qui ad illud intelligendum requiritur.

Notandum porro primum heic dici conceptum, non quod quomodocunque inde cognitionem noſtram ordiamur (ita enim accidentia & conceptus ſecundi appellari primus oporteret, utpote ex quibus haud raro initia capit noſtra cognitio), ſed quod fundamenti & rationis ſufficientis loco præcedat.

Tandem obſerves primum conceptum in re aliqua falſa, vel ficta, πρῶτον ψεῦδος appellari, ſeu id, quod eſt primum falſitatis fundamentum, cui reliqua omnis innititur falſitas. *πρῶτον ψεῦδος quid.*

§. 316.

Conſectarium I. Ex alio priori in re non determinatur conceptus primus; ſed ex hoc determinatur ſecundus (§. 315). Eſt *ergo ille Determinans*, *hic Determinatum* (§. 195.).

Hinc eſt quod quidam non male definiant *conceptum primum* per complexum primorum in re determinantium. Qualia vero hæc ſint diſtinctius ſtatim evolvere conabor.

§. 317.

II:dum & III:tium. Sponte hinc fluunt duo conſectaria 1:o) *Poſito conceptu primo ſimul poni ſecundos* (§. 196.). 2:do) *Conceptum primum eſſe rationem ſufficientem conceptuum ejusdem rei ſecundorum* (§. 198.).

Habent hæc corallaria eximiam utilitatem, utpote quibus longe facilius & promtius varia de eſſentia entis theoremata eruere & ſtabilire valemus, prout mox ipſo patebit opere.

§. 318.

Quibus abſolvitur conceptus primus. *Conceptus rei primus ita abſolvitur prædicatis rei, ſibi mutuo non repugnantibus, quæ nec à ſe invicem, nec ab alio priori in ipſa re determinantur, ut hæc prædicata*

dicata viciſſim conſtituant conceptum primum. Ad omnem conſtituendum conceptum requiruntur prædicata & eorum non-repugnantia (§. 74.). Eadem itaque requiſita primum ingrediuntur conceptum (§. 315.), qui, quum ex alio priori in ipſa re non determinetur (§. cit.), continere nequit niſi prædicata ſibi mutuo non-repugnantia, quæ ex alio priori in ipſa re non determinantur. Porro: Quia quicquid ex alio in ipſa re determinatur, conceptum ejus conſtituit ſecundum (§. 315.), qui conceptum primum non ingreditur (§. cit.), ſed ei potius per ſuam notionem opponitur; conceptus primus conſtat prædicatis ſibi mutuo non-repugnantibus, quæ nec à ſe invicem, nec ab alio priori in ipſa re determinantur. Q. E. U.

Viciſſim, prædicata ſibi mutuo non repugnantia conſtituunt conceptum (§. 74.), & quatenus illa, per hypotheſin, neque à ſe invicem, neque ab alio priori in ipſa re determinantur, non ſecundum, ſed primum rei conſtituunt conceptum (§. 315.). Q. E. A.

Quivis ergo, modo animum advertat, intimiorem conceptus primi indolem ex his perſpicit, neque nudum ſine re reſpondente eſſe terminum, ſed realitates involvere in omni ente obvias, ut ex mox demonſtrandis apertius conſtabit.

Palam faciunt oſtenſa me ſub conceptu primo non hoc vel illud rei prædicatum, ex

alio priori non determinatum, ſed potius complexum omnium iſtorum prædicatorum, quæ neque a ſe invicem, neque ab alio priori in ipſa re determinantur, comprehendere. Non ergo cum *Hebenſtreitio* in Phil. Prim. p. m. 165. opus habere diſtinctione inter conceptum primum partialem & totalem, proprium & communem, quum noſtro ſenſu omnis conceptus primus ſit totalis & proprius, omnia complectens rei prædicata, quibus una res ab alia conſtanter diſtinguitur.

§. 319.

Quænam conceptum entis in genere ingrediuntur.

Ens ſuo conceptu comprehendit & illa prædicata, ſibi mutuo non repugnantia, quæ nec à ſe invicem, nec ab alio priori in eodem ente determinantur, & ſimul, quæ ex his determinantur prædicatis. Ens enim concipiendum eſt ut id, cui exiſtentia non repugnat (§. 226.); ſed exiſtentia enti ideo non repugnat, quia eſt abſolute ſeu intrinſece poſſibile (§. 141. 228.). Entis ergo conceptus ea continet, quibus interna ejus conſtituitur poſſibilitas. Abſolvitur proinde notionibus partialibus, h. e. prædicatis, ſibi mutuo non-repugnantibus (§. 135.). Hæc autem entis prædicata, quæ ſibi mutuo non repugnant, aut ita ſunt comparata, ut neque à ſe invicem, neque ab alio priori

Digitized by Google

priori in eodem ente determinantur, aut ex his poſitis determinantur, h. e. aut ſunt determinantia, aut ſunt determinata (§. 195.); tertium reſpuunt prædicata, de quibus ſermo, & quæ intrinſecam conſtituunt poſſibilitatem, quæ, quà talis, nullam ſuorum prædicatorum ex rebus externis determinationem agnoſcit (§. 135.). Continentur itaque in conceptu entis duplicis generis, quæ memoravimus, prædicata.

Majoris gratia claritatis exemplo rem illuſtrare lubet. Notum eſt ex Geometricis, *Rhomboidem* eſſe figuram, quatuor lateribus & angulis oppoſite æqualibus conſtantem. Notum quoque, ex duobus lateribus & angulo comprehenſo determinatis, reliquorum laterum angulorumque quantitatem determinari. Duo vero illa latera, cum angulo contento, nec per ſe invicem, nec ab alio inexiſtente determinantur, ſed ſolum ſibi mutuo non repugnant, ut, ſub dato angulo, jungantur. Ceteris autem, quæ conſtanter Rhomboidi inſunt & ineſſe poſſunt (ſcilicet, quod latera oppoſita ſint parallela & æqualia, anguli oppoſiti æquales, totaque figura in duo triangula æqualia per diagonalem ſecari queat), determinandis ſufficiunt.

§. 320.

Eſſentiæ & eſſentialium def.

Prædicata entis, ſibi mutuo nonrepugnantia, quæ nec à ſe invicem, nec ab alio priori in ipſo ente deter-

minantur, uno nomine *Eſſentia* appellantur. Quodlibet autem horum prædicatorum, entis *Eſſentiale*, immo, *Pars eſſentialis*, vel etiam *Determinatio Eſſentialis* nuncupatur.

Eſſentiæ, quam tradimus, definitionem genuinam eſſe, & realitatem inferre, in entis conceptu obviam, quamvis perſpicue evincant mox oſtenſa (§. 319.); ne tamen abſtractis concipiendis nondum adſueti, aliquid heic deſiderent lucis, exemplo ſat luculento eſſentiæ definitionem illuſtrare conabor. Eſſentiam hominis in eo communiter collocamus, quod ſit ens compoſitum anima rationali & corpore organico: Animam enim rationalem & corpus organicum uni ineſſe ſubjecto non eſt contradictorium, quia licet inſint, non tamen ſtatuitur animam eſſe corpus, vel corpus eſſe animam. Neque poſita anima rationali, ſtatim ponitur corpus organicum, ſeu, corporis organici conjunctionem cum anima rationali non determinari per animam, oſtendit hujus ab illo ſeparabilitas, quæ ſimul infert neque animam determinari per corpus organicum. Neque tandem, ſaltem pro noſtro concipiendi modo, datur aliud prius in homine, unde hæc ipſa determinentur prædicata. Anima itaque rationalis & corpus organicum ſunt ejusmodi prædicata, quæ ſimul, ſed diſtincte poſita in uno ſubjecto, ſibi non contradicunt, neque unum per alterum, neque ex alio priori, in eodem illo ſubjecto determinantur

nantur. Abſolvunt itaque illius ſubjecti ſeu hominis eſſentiam.

§. 321.

Modus inveſtigandi eſſentiam.

Ad eſſentiam ergo hujus vel illius entis inveſtigandam & cognoſcendam requiritur, ut cognita & eruta habeamus illa ejus prædicata, ſibi mutuo non-repugnantia, quæ neque à ſe invicem, neque ab alio priori in illo ente determinantur.

Scilicet quamvis ad eſſentiam entis in genere omnino ſufficiant ejusmodi prædicata, non tamen ſufficit eſſentiam hujus vel illius entis in ſpecie hoc modo explicaſſe; ſed, quia non omnium eadem ſpecifica eſt natura, omnino deſideratur, ut in quolibet peculiari ente determinentur iſta prædicata. Sic homo, ſi ſpectatur ut ens, coincidit ejus eſſentia cum eſſentia entis in genere; quatenus vero conſideratur ut hæc entis ſpecies, quæ homo appellatur, pro eſſentia ejus evolvenda, alia accedat neceſſe eſt determinatio, quam proxime expoſuimus (§. 320.).

§. 322.

Eſſentia eſt conceptus primus, & ratio ſe-

Ex definitione eſſentiæ entis, ſuo jam tradita loco (§. 320.), ſequitur illam α) *abſolvi conceptu entis primo* (§. 318); Et proinde β) *rationem eſſe ſufficientem omni-*

 um

cundorum. um conceptuum ſecundorum entis (§. 317.); ita, ut illa poſita, γ) *ſimul ponantur omnes conceptus ſecundi* (§. cit.).

Conſenſus Philoſophorum.

Eſſentiam entis eſſe ejus conceptum primum, conſtitutivum, ſeu diſtinctivum, qui ſimul radix & origo ſit omnium entis attributorum, plures & veterum & recentiorum uno tuentur ore. *Svarezius*, qui ob acutiſſimum, quo in Metaphyſicis polluit, judicium, *Magiſter univerſi orbis* eſt vocatus, Diſp. Metaph. 2. Sect. 4. §. 5. Eſſentiam rei id eſſe dicit, *quod eſt primum & radicale ac intimum principium omnium actionum ac proprietatum, quæ rei conveniunt.* Hanc eſſentiæ definitionem *Scharfius* in Metaph. Exempl. L. 1. Cap. 1. p. 7. aliique plures adoptant. Et quamvis hoc ſenſu eſſentiam eandem eſſe cum natura rei auctoritate *Ariſtotelis* & *Thomæ* probet *Svarezius*, dicat *Scharfius*; mox tamen addit prior eſſentiam rei ſecundo dici ex mente Thomæ, quæ per definitionem explicatur, & ideo eſſentiam rei eſſe illud, quod concipitur primo illi convenire, & primo conſtitui in eſſe rei, vel talis rei. *Svarezio* conſenſum præbet *Abr. Calovius* in Script. Phil. p. 197. 198. cum aliis pluribus. *Scherzerus* in Manual. Phil. p. 77. ex Thoma de ente & eſſentia Cap. 1. & 7. Metaph. Sect. 5. eſſentiam dicit eſſe id, quod primo in re concipitur, ſine quo res eſſe non poteſt, eſtque fundamentum & cauſſa ceterorum, quæ ſunt in eadem re. Obſervat

Muſæ-

Digitized by Google

Muſæus in Inſtit. Metaph. Cap. 2. §. 14. 15. ad locum *Ariſtotelis* Libr. VII. Metaph. Cap. IV. ubi Philoſophus vocat eſſentiam τὸ τί ἦν εἶναι, illamque hoc modo explicat: ἔςι τὸ τὶ ἦν εἶναι ἕκαςον, ὃ λέγεται καθ' αὐτὸ, *quidditas cujusque* (rei) *eſt quod* (de ea) *dicitur per ſe*; ad hunc, inquam, locum reſpexiſſe, qui dixêre eſſentiam eſſe id, quod primo in re concipitur. Plures longo agmine conſentientes adducere non vacat, certum eſt ſua antiquitate, uſuque receptiſſimo probatam eſſe eſſentiæ notionem, quæ per conceptum entis primum exhibetur, & proinde, quia hæc notio ex notione eſſentiæ, quam tradidimus (§. 320.), ſponte fluit, noſtram quoque eſſentiæ definitionem uſui apud Philoſophos recepto convenire manifeſto liquet.

Claubergius in ſua Ontoſoph. §. 56. p. m. 55. *Ex omnibus*, inquit, *quæ rei alicui attribuuntur, unum ſolemus conſiderare tanquam primum, præcipuum & intimum rei, quod reliqua quodam modo complectitur, aut certe eorum omnium quaſi radix & fundamentum eſt. Hoc ipſum vocamus rei eſſentiam, & cum reſpectu ad proprietates & operationes inde promanantes, etiam Naturam dicimus.* Deinde in notis addit: *Prout igitur alii hoc, alii illud rei attributum ut primum conſiderant, ex quo reliqua deducunt; ita quoque alii hoc, alii illud pro eſſentia habent.* Patet ex his eandem nobiscum obſervatam fuiſſe *Claubergio* generalem eſſentiæ notionem, licet in theſi eam confundat cum attributis entis propriis. Sed aliud eſt eſſentia entis metaphyſici, aliud ejus attributum,

tum: prius abſolvitur prædicatis, ſibi mutuo non repugnantibus, quæ neque à ſe invicem, neque ab alio priori determinantur; poſterius continetur prædicatis, quæ ex his determinantur. Deinde aliud eſt loqui de eſſentia entis in genere, quam non ignoramus, aliud de eſſentia hujus vel illius entis, quam non ſemper habemus perſpectam, ſed ejus loco cogimur haud raro attributum aliquod proprium aſſumere, quod, quum ex integra rei eſſentia deducatur, & cum illa reciprocetur, eſſentiæ loco eſſe poteſt, ad reliqua inde inferenda; ſed de hac re alias plura.

§. 323.

Quis eſſentiam rei tenet?

Eſt eſſentia ratio ſufficiens omnium conceptuum rei ſecundorum (§. 322.), h. e. omnium prædicatorum, quæ conſtanter enti inſunt, & ineſſe poſſunt (§. 315.). *Qui ergo eſſentiam rei ſibi habet perſpectam, rationem reddere poteſt omnium eorum, quæ rei conſtanter competunt & competere poſſunt.* Et inverſim: *Qui rationem reddere poteſt omnium eorum, quæ rei conveniunt, & convenire poſſunt, eſſentiam ejus animo tenet.*

Hoc non ita capiendum volo, quaſi ex eſſentia immediate, ſine ullo aliarum propoſitionum auxilio, omnia, quæ rei tribuenda veniunt, deduci poſſent. Contrarium evincit tertiæ mentis operationis explicatio in Logicis;

gicis; Sed quod mediantibus aliis propoſitionibus, vi eſſentiæ, deduci queant omnia rei conſtanter attribuenda. Sic quod trianguli cujuscunque rectilinei anguli ſimul ſumti ſint æquales duobus rectis, eſſentiam trianguli rectilinei præſupponit quidem, ex ea tamen non niſi beneficio propoſitionum 28. & 12. Libr. 1. apud *Euclidem* demonſtrari nequit. Ceterum teneas ſermonem heic eſſe de modo, quo quis ex perſpecta rei eſſentia rationem reddere valet eorum, quæ ei conſtanter inſunt & ineſſe poſſunt; non vero de modo determinationis rei, in ſe conſideratæ: Hoc enim ſenſu certum eſt, poſita eſſentia rei ſtatim poni, quæ in illa fundantur. Sic poſita eſſentia trianguli rectilinei ſtatim ponitur eum habere tres angulos, junctim ſumtos, duobus rectis æquales. Sed de hac re plura, ubi ad conſiderationem attributorum fuerit deventum.

§. 324.

Unde intrinſeca entis poſſibilitas.

Per eſſentiam ens eſt intrinſece poſſibile. Vidimus enim modo (§. 320.) eſſentiam entis conſiſtere in prædicatis, ſibi mutuo non-repugnantibus, quæ neque à ſe invicem, neque ab alio priori in re determinantur. Per eſſentiam itaque ens nullam involvit repugnantiam, conſequenter ens per eſſentiam eſt poſſibile (§. 124.). Quia hæc non-repugnantia inter prædicata, quæ rem in ſe, ſeu in conceptu

ceptu ſuo primo (§. 322.), conſtituunt, ſine ullo alio ſuperaccedente reſpectu, verſatur, non niſi intrinſecam & abſolutam generat poſſibilitatem (§. 135.). Porro, quoniam in eſſentia entis eſt ratio ſufficiens omnium conceptuum ejus ſecundorum (§. 322.), patet horum poſſibilitatem tandem reſolvi in poſſibilitatem eſſentiæ. Habet ergo ens, vi ſuæ eſſentiæ, poſſibilitatem intrinſecam.

Ubi nimirum perpendimus prædicata, quæ in conceptu entis involvuntur (§. 319.), non niſi duplicis generis ea eſſe inveniemus, alia ſcilicet eſſentialia, alia ex eſſentialibus deducta; utraque quidem in intrinſeca entis poſſibilitate continentur, quoniam tamen illa ſunt horum fundamentum, & vi ſuæ notionis, quam de illis formavimus (§. 220.), intrinſecam continent poſſibilitatem; recte ſtatuimus, hanc ideo competere enti, quia habet eſſentiam, qua remota omnis poſſibilitas interna deſtrueretur. Non tamen hinc ſequitur eſſentiam entis nihil aliud eſſe quam intrinſecam ejus poſſibilitatem, quod ſtatim evolvere conabor.

§. 325.

Unde entis eſſentia agnoſcitur. *Per quod ens eſt intrinſece poſſibile, illud eſt ejus eſſentia.* Conſiſtit intrinſeca rei poſſibilitas in non-repugnantia notionum partialium, quibus conſtat totalis (§. 135.). Poſitis

tis itaque illis prædicatis, ſeu notionibus partialibus, quæ ſibi invicem non repugnant, neque ab alio priori in ipſa re, vel à ſe mutuo determinantur, reliquis vero determinandis inſerviunt, ponitur ipſum determinans internæ poſſibilitatis (§. 195.). Hæc igitur ideo eſt, quia illud ponitur (§. 194.). Conſtituitur autem ipſa entis eſſentia ejusmodi prædicatis (§. 320.). Ergo per quod ens eſt intrinſece poſſibile, illud eſt ejus eſſentia.

Hinc tamen non ſequitur internam entis poſſibilitatem cum ejus eſſentia coincidere, ſed potius dari in interna poſſibilitate aliquod ejus fundamentum, & unde tota, ut ita loquar, intelligitur.

§. 326.

Quicquid repugnat eſſentiæ entis, eſt illi abſolute impoſſibile, ſeu, quod eodem redit, *abſolute impoſſibile eſt ut illi enti competat.* Habet ens, per eſſentiam, intrinſecam poſſibilitatem (§. 324.). Quicquid ergo eſſentiæ entis repugnat, illud contradicit intrinſecæ ejus poſſibilitati, adeoque illi enti eſt abſolute impoſſibile (§. 137.).

Quod eſſentiæ entis repugnat, eſt eidem enti impoſſibile.

Caute attendas precor ad allatam propoſitionem: Non enim ſequitur, prædicatum B repugnat eſſentiæ entis C, ergo eſt quid in

ſe

ſe & abſolute impoſſibile, adeo, ut non poſſit alteri enti D, alterius eſſentiæ competere, quum vel unicum exemplum entis ſimplicis & compoſiti contrarium edoceat. Habent quidem ſimplex & compoſitum quædam communia, quatenus ſub communiſſimo entis conceptu continentur; ob differentiam cuilibet propriam, & invicem pugnantem, competit uni eorum, quod alteri repugnat. Certum nihilo ſecius manet, quod hac evicimus propoſitione, id ſcilicet, quod repugnat eſſentiæ entis, eſſe eidem illi enti abſolute impoſſibile. Ex. gr. in Geometricis repugnat eſſentiis Rhombi & Rhomboidis inſcriptibilitas in circulo per quatuor puncta. Ergo abſolute impoſſibile eſt ut illa eis competat.

§. 327.

Quid præter eſſentiam in conceptu entis continetur.

Entis conceptus, præter eſſentiam, ſimul comprehendit conceptus ſecundos. Ens enim ſuo conceptu continet, & illa prædicata, ſibi mutuo non-repugnantia, quæ nec à ſe invicem, nec ab alio priori determinantur, & ſimul illa, quæ ex his prædicatis determinantur (§. 319.): illa eſſentiam entis abſolvunt (§. 320), hæc conceptus entis ſecundos conſtituunt (§. 315.). Ergo ens præter eſſentiam, ſeu conceptum entis primum (§. 322.), ſimul comprehendit conceptus entis ſecundos.

Obje-

Digitized by Google

Objective quidem conveniunt ens & eſſentia, ita, ut omne ens habeat eſſentiam, & quicquid habet eſſentiam, ens ſit, prout mox videbimus; formaliter tamen ut latius & anguſtius differunt. *Illud* eſſentiam & attributa ſimul comprehendit, *hæc* autem nonniſi ea prædicata, quibus eſſentia entis determinatur (§. 320.).

§. 328.

Intrinſecæ poſſibilitatis & eſſentiæ diſcrimen.

Quia omne ens eſt intrinſece poſſibile, & viciſſim, omne intrinſece poſſibile eſt ens (§. 228): Entis vero conceptus præter eſſentiam ſimul comprehendit conceptus ſecundos (§. 327.); intrinſecum poſſibile, quà tale, ſeu intrinſeca poſſibilitas, plura includit, quam quæ præciſe notionem eſſentiæ conſtituunt. *Non ergo reciprocanda eſt intrinſeca poſſibilitas cum eſſentia.*

Eſſentiam entis intrinſeca ejus abſolvi poſſibilitate plerique recentiorum, *Illuſtr. Wolfium* §. 153. 154. Ontol. ſecuti, arbitrantur; non tamen potuimus non ab his diſſentire, evidenter jam convicti, intrinſecam rei poſſibilitatem plura interna involvere prædicata, quam quæ eſſentialia dici debent. Fatemur & urgemus eſſentiam rei non reperiri niſi in intrinſeca ejusdem poſſibilitate, minime in exiſtentia, quà tali; inde tamen non ſequitur eſſentiam comprehendere omnia illa prædicata, quæ in intrinſeca poſſibilitate continentur,

Digitized by Google

ſe & abſolute impoſſibile, adeo, ut non poſſit alteri enti D, alterius eſſentiæ competere, quum vel unicum exemplum entis ſimplicis & compoſiti contrarium edoceat. Habent quidem ſimplex & compoſitum quædam communia, quatenus ſub communiſſimo entis conceptu continentur; ob differentiam cuilibet propriam, & invicem pugnantem, competit uni eorum, quod alteri repugnat. Certum nihilo ſecius manet, quod hac evicimus propoſitione, id ſcilicet, quod repugnat eſſentiæ entis, eſſe eidem illi enti abſolute impoſſibile. Ex. gr. in Geometricis repugnat eſſentiis Rhombi & Rhomboidis inſcriptibilitas in circulo per quatuor puncta. Ergo abſolute impoſſibile eſt ut illa eis competat.

§. 327.

Quid præter eſſentiam in conceptu entis continetur.

Entis conceptus, præter eſſentiam, ſimul comprehendit conceptus ſecundos. Ens enim ſuo conceptu continet, & illa prædicata, ſibi mutuo non-repugnantia, quæ nec à ſe invicem, nec ab alio priori determinantur, & ſimul illa, quæ ex his prædicatis determinantur (§. 319.): illa eſſentiam entis abſolvunt (§. 320), hæc conceptus entis ſecundos conſtituunt (§. 315.). Ergo ens præter eſſentiam, ſeu conceptum entis primum (§. 322.), ſimul comprehendit conceptus entis ſecundos.

Obje-

Objective quidem conveniunt ens & eſſentia, ita, ut omne ens habeat eſſentiam, & quicquid habet eſſentiam, ens ſit, prout mox videbimus; formaliter tamen ut latius & anguſtius differunt. *Illud* eſſentiam & attributa ſimul comprehendit, *hæc* autem nonniſi ea prædicata, quibus eſſentia entis determinatur (§. 320.).

§. 328.

Intrinſecæ poſſibilitatis & eſſentiæ diſcrimen.

Quia omne ens eſt intrinſece poſſibile, & viciſſim, omne intrinſece poſſibile eſt ens (§. 228): Entis vero conceptus præter eſſentiam ſimul comprehendit conceptus ſecundos (§. 327.); intrinſecum poſſibile, quà tale, ſeu intrinſeca poſſibilitas, plura includit, quam quæ præciſe notionem eſſentiæ conſtituunt. *Non ergo reciprocanda eſt intrinſeca poſſibilitas cum eſſentia.*

Eſſentiam entis intrinſeca ejus abſolvi poſſibilitate plerique recentiorum, *Illuſtr. Wolfium* §. 153. 154. Ontol. ſecuti, arbitrantur; non tamen potuimus non ab his diſſentire, evidenter jam convicti, intrinſecam rei poſſibilitatem plura interna involvere prædicata, quam quæ eſſentialia dici debent. Fatemur & urgemus eſſentiam rei non reperiri niſi in intrinſeca ejusdem poſſibilitate, minime in exiſtentia, quà tali; inde tamen non ſequitur eſſentiam comprehendere omnia illa prædicata, quæ in intrinſeca poſſibilitate continentur,

Digitized by Google

nentur. Neque *Wolfius* id cit. loc. demonſtrat, ſed exinde ſequi putat, quod ens per eſſentiam habeat intrinſecam poſſibilitatem; quum tamen aliud ſit loqui de fundamento intrinſecæ poſſibilitatis, aliud de ipſa poſſibilitate, complexive ſumta. Illud eſſentia abſolvitur (§. 324.), hanc præter eſſentiam alia adhuc comprehendere oſtendit præſentis propoſitionis demonſtratio.

Objectiones confutantur. Sed objiciunt: *Ens per hoc præciſe eſt ens, quod ſit poſſibile, & per poſſibilitatem à non-ente diſtinguitur, id autem, per quod res præciſe eſt hæc res, & per quod ab aliis diſtinguitur, dicitur rei eſſentia. Ergo poſſibilitas intrinſeca abſolvit eſſentiam.* Verum, quia per quamlibet realitatem conſtituitur ens & à non-ente diſtinguitur, cui nihil realitatis tribuere licet, retenta minori propoſitione, eodem plane modo ſequeretur quamlibet realitatem abſolvere entis eſſentiam, & ideo quodlibet attributum entis eſſe ejus eſſentiam, quod ſine confuſione attributorum & eſſentiæ dici nequit. His accedit definitionem eſſentiæ, quam tradit opponens, non ſatis eſſe accuratam & plenam, quod ſuo declarare conabor loco.

Objiciunt ulterius: *Eſſentia primo entis conceptu abſolvitur, ſed nihil prius concipi poteſt ejus abſoluta poſſibilitate, quæ ergo eſſentiam ejus conſtituit.* Sed evolvant precor notionem conceptus primi, & videbunt eum non abſolvi integra poſſibilitate rei, ſed illis ſolum prædicatis, ſibi mutuo non-repugnantibus, quæ non à ſe invicem, neque ab alio priori in ipſa

ipſa re determinantur (§. 318.). Quam ob rem non demonſtrabunt prius intrinſecam poſſibilitatem cum eſſentia reciprocari, quam oſtendere valent intrinſecam poſſibilitatem non ingredi alia ulla prædicata, præter ea, quæ eſſentialia ſunt. Quod quum fieri nequeat, neque dabo intrinſecam poſſibilitatem nihil eſſe aliud, quam ipſam eſſentiam.

§. 329.

Eſſentia omni enti conſtanter competit. Omne enim ens habet intrinſecam ſeu abſolutam poſſibilitatem (§. 228.), ſed hanc vi eſſentiæ poſſidet (§. 324.); quare ſi ſua deſtitueretur eſſentia, vel hæc aliquando ceſſaret, ſimul privaretur ſua poſſibilitate, vel illa aliquando ceſſaret, in impoſſibilitatem degeneratura, ideoque ens abiret in non-ens (§. 259.), quod tamen abſurdum eſſe evincit omnimoda diſconvenientia inter ens & non-ens (§. 265.). Eſſentia ergo omni enti conſtanter competit. *Eſſentia enti conſtanter tribuenda.*

Quod heic demonſtravimus, quæcunque in medium adferre placet exempla, abunde declarant: Quis enim unquam dixerit hominem v. gr. ſua privari poſſe eſſentia, ſalva manente notione hominis? Hoc enim idem foret, ac ſi quis abſurdiſſime ſtatuere vellet, hominem poſſe eſſe hominem, & ſimul non hominem. Sed obſerves me heic loqui de eſſentia, præciſa exiſtentia, quam

in entibus finitis tolli poſſe lubentiſſimus conceſſerim, manente immutabilitate eſſentiæ. Sed de hac re plenius ſuo loco.

§. 330.

Et actuali & potentionali. Quia omni enti ſua convenit eſſentia (§. 329.), ens vero eſt vel actuale, vel potentionale (§. 295.); *& illi & huic ſua convenit eſſentia.*

Hinc tamen non colligas unum idemque ens, prout vel actu vel potentia conſideratur, diverſam habere eſſentiam; Eſſe enim unam eandemque mox demonſtrabo, neque hunc diverſum reſpectum inferre ullam eſſentiæ diverſitatem.

§. 331.

Eſſentiæ poſſibilitatibus inſunt. Eſt ens potentionale merum poſſibile (§. 293.), & viciſſim merum poſſibile eſt ens potentionale (§. 294.), ſed enti potentionali ſua convenit eſſentia (§. 330.); Mero igitur poſſibili ſua etiam competit. Seu, quod idem eſt, *eſſentiæ poſſibilitatibus inſunt.*

Sic homini, nondum exiſtenti, & ideo in regno mere poſſibilium hactenus collocato, ſua denegari nequit eſſentia, niſi quis vellet, quod tamen apertam involvit contradictionem, eum ſua intrinſeca ſpoliare poſſibilitate, cujus fundamentum eſt eſſentia (§. 324.). Idem in aliis omnibus obtinet exemplis, ad ean-

Digitized by Google

eandem cum mox allato claſſem ſpectantibus, in quibus ſcilicet poſſibilitatem ab actualitate ſeparare licet.

§. 332.

Poſito ente ponitur ejus eſſentia, & poſita eſſentia ponitur ens. Omni enti conſtanter competit eſſentia (§. 329.), neque hac unquam privari poteſt (§. cit.). Poſito itaque aliquod eſſe ens, ſtatim ponendum eſt illud habere eſſentiam. Q. E. U.

Entis & eſſentiæ objectiva identitas.

Poſita eſſentia, ponuntur prædicata ſibi mutuo non-repugnantia (§. 320.), his poſitis, ponitur interna poſſibilitas (§. 135.); & hac poſita, ponitur ens (§. 228.). Ergo poſita eſſentia, ponitur ens. Q. E. A.

Abr. Calovius in Metaph. Div. pag. 203. Opp. Phil. *Bücherus* in Phil. Prim. p. 110. aliique præſentem regulam ita exprimere ſolent: *Poſito ente, negari nequit eſſentia, & negata eſſentia ens ipſum供ſupereſſe nequit.* Quamvis hoc ultimum potius coincidat cum alio canone mox explicando: *Sublata rei eſſentia tollitur res ipſa.*

Ceterum veritatem noſtræ regulæ, quam præſenti §:pho defendimus, introſpexit etiam ſuo tempore *Timplerus* L. 1. Metaph. cap. 5. *Nullum ens*, inquit, *poteſt conſiſtere ſine ſua eſſentia, neque abſolutum ſine abſoluta, neque reſpectivum ſine reſpectiva.* Hujus, ut et regulæ noſtræ, vim

non intellexêre quidam Reformatorum, qui infantes baptizatos fidelibus ob fidem parentum adnumerant, & tamen iisdem fidem derogant. Quod perinde eſt, ut recte obſervat laudatus *Calovius*, ac ſi quis dicat Calvinianos eſſe eruditos absque eruditione, homines absque humanitate. Eſt fidei poſſeſſio de eſſentia fidelium, quà talium, hac ergo poſita, illa ſimul poni debet.

§. 333.

Unius entis una eſſentia.

Unius entis nonniſi una eſt eſſentia, minime multiplex. Cuilibet enim enti ſua convenit eſſentia (§. 329.), & poſita eſſentia ponitur ens (§. 332.), multiplicatis ergo eſſentiis ſimul multiplicabuntur entia. At per hypotheſin ponitur non niſi unum ens. Ergo ejus non poteſt eſſe niſi una eſſentia. Unum & multiplex ita ſibi opponuntur, ut, quod unum eſt, non poſſit ſimul eodem reſpectu eſſe multiplex. Unius ergo entis multiplex non datur eſſentia.

Ariſtoteles L. VI. Topic. initio Cap. 3. ſcribit, *cujusque rei unam eſſe vim atque naturam.* Hinc Metaphyſici formavêre, quem demonſtravi, canonem: *unius entis una eſt eſſentia.* Cujus non is eſt ſenſus, quaſi quodlibet ens unam e-

Senſus regulæ.

andem-

andemque haberet eſſentiam ſpecificam & numericam, quod oppido eſt abſurdum & facili inſtantia confutatur; ſed quod cuilibet enti, ſive generi, ſive ſpeciei, ſive individuo, propria & una conveniat eſſentia, non multiplex: Generi convenit una eſſentia generica; Speciei una ſpecifica, quæ, ſiquidem completa erit, ſimul genericam includit: Individuo una numerica, quæ ſpecificam quoque continet. Sic quando ſpectatur homo in genere animalis, habet unam eſſentiam genericam animalis, quæ per organiſmum corporis, vita & ſenſu gaudentis, exprimitur. Quando vero ſpecifice conſideratur ut homo, una eſſentia ſpecifica eſt ornatus, quæ per ens compoſitum anima rationali & corpore organico exponitur. Ubi iterum conſideratur ut individuum, hic homo, Petrus, Paulus &c. habet hanc præciſe eſſentiam numericam, qua ab omni alio individuo ejusdem ſpeciei diſtinguitur. Neque negat canon ens ex aliis vel perſonaliter, vel ſuppoſitaliter, vel eſſentialiter, vel accidentaliter compoſitum & conflatum, quoad partes ſuas, vel quaſi partes (partis vocabulum in omni caſu accurate non quadrat), habere pro pluralitate compoſitorum plures eſſentias partiales; neutri tamen niſi una convenit totalis. Sic corpori organico ſua convenit eſſentia, animæ ſua; homini tamen, qui ex his binis conſtat partibus, competit nonniſi una eſſentia totalis & completa. Pari modo ferrum habet ſuam eſſentiam, ignis ſuam; ferro

tamen ignito una convenit eſſentia compoſita.

Canone noſtro legitime ſtabilito & explicato variis obviam ire poſſumus erroribus. Errant *Sociniani* ex Trinitate perſonarum in unico Deo, eſſentiarum Trinitatem inferentes, quum potius vi canonis ſequatur, quia unicus Deus eſt, nonniſi unicam ejus eſſe eſſentiam. Errant *Monotheletæ* & *Eutychiani*, ex hoc canone ſequi putantes non eſſe niſi unicam in Chriſto Θεανθρώπῳ naturam. Quum tamen Chriſtus Θεάνθρωπος conſtituat unum ſuppoſitum, ergo ei competit quidem una eſſentia ſuppoſitalis, huic tamen, neque noſtro canoni, officit eſſe duas in Chriſto naturas, eſſentialiter diſtinctas, quæ inconfuſe, inconvertibiliter, indivulſe & inſeparabiliter, intime quoque, ut habet Confeſſio Chalcedonenſis, Eutychi oppoſita, in Chriſto conjunctæ conſtituunt unum ſuppoſitum. Et quamvis hoc ſenſu dicere poſſimus, duas eſſe in Chriſto eſſentias, ſcilicet ſimplices, quæ conjunctæ efficiunt unum ſuppoſitum; interim tamen ſi uſum Theologicum & Eccleſiaſticum reſpicimus, fatemur magis theologice & aptius nos dicere: *Duas eſſe in Chriſto naturas, quam duas eſſe eſſentias*, ne videamur nudam eſſentiam operationibus deſtitutam indigitare, quas tamen includit naturæ terminus, qui eſſentiam dicere ſolet in ordine ad operandum.

Uſus Theologicus.

§. 334.

§. 334.

Quia unius entis non eſt niſi una eſſentia (§. 333.), unum idemque ens, prout vel actu vel potentia conſideratur, non diverſam, ſed unam eandemque habet eſſentiam. *Idem ens actu & potentia habet unam eſſentiam.*

Nimirum cum exiſtentia novam poſſibilitatem poſſibilitati non addat, ſed præſtructam compleat tantum (§. 208), & eſſentia entis in ejusdem poſſibilitate contineatur (§. 328. not.), uniusque entis non ſit niſi una eſſentia (§. 333.), ſequitur exiſtentiam, poſſibilitati additam, non mutare entis eſſentiam, vel ei novam addere, quam prius non habuit.

§. 335.

Quodvis ens eo exiſtit modo, quem ejus infert eſſentia. Modus exiſtendi, quum ipſam determinet exiſtentiæ rationem & indolem, huic vel iſti enti competentem, non poteſt in eadem exiſtentiæ indole, quæ heic determinati venit nomine (§. 195.), determinans vero nequit uno eodemque reſpectu ſimul eſſe determinatum (§. cit. & 53.), modus, inquam, iſte nequit ergo in *Modus exiſtendi ſequitur modum eſſendi.*

exi-

Digitized by Google

nentur. Neque *Wolfius* id cit. loc. demonſtrat, ſed exinde ſequi putat, quod ens per eſſentiam habeat intrinſecam poſſibilitatem; quum tamen aliud ſit loqui de fundamento intrinſecæ poſſibilitatis, aliud de ipſa poſſibilitate, complexive ſumta. Illud eſſentia abſolvitur (§. 324.), hanc præter eſſentiam alia adhuc comprehendere oſtendit præſentis propoſitionis demonſtratio.

Objectiones confutantur. Sed objiciunt: *Ens per hoc præciſe eſt ens, quod ſit poſſibile, & per poſſibilitatem à non-ente diſtinguitur, id autem, per quod res præciſe eſt hæc res, & per quod ab aliis diſtinguitur, dicitur rei eſſentia. Ergo poſſibilitas intrinſeca abſolvit eſſentiam.* Verum, quia per quamlibet realitatem conſtituitur ens & à non-ente diſtinguitur, cui nihil realitatis tribuere licet, retenta minori propoſitione, eodem plane modo ſequeretur quamlibet realitatem abſolvere entis eſſentiam, & ideo quodlibet attributum entis eſſe ejus eſſentiam, quod ſine confuſione attributorum & eſſentiæ dici nequit. His accedit definitionem eſſentiæ, quam tradit opponens, non ſatis eſſe accuratam & plenam, quod ſuo declarare conabor loco.

Objiciunt ulterius: *Eſſentia primo entis conceptu abſolvitur, ſed nihil prius concipi poteſt ejus abſoluta poſſibilitate, quæ ergo eſſentiam ejus conſtituit.* Sed evolvant precor notionem conceptus primi, & videbunt eum non abſolvi integra poſſibilitate rei, ſed illis ſolum prædicatis, ſibi mutuo non-repugnantibus, quæ non à ſe invicem, neque ab alio priori in ipſa

Digitized by Google

ipſa re determinantur (§. 318.). Quam ob rem non demonſtrabunt prius intrinſecam poſſibilitatem cum eſſentia reciprocari, quam oſtendere valent intrinſecam poſſibilitatem non ingredi alia ulla prædicata, præter ea, quæ eſſentialia ſunt. Quod quum fieri nequeat, neque dabo intrinſecam poſſibilitatem nihil eſſe aliud, quam ipſam eſſentiam.

§. 329.

Eſſentia enti conſtanter tribuenda.

Eſſentia omni enti conſtanter competit. Omne enim ens habet intrinſecam ſeu abſolutam poſſibilitatem (§. 228.), ſed hanc vi eſſentiæ poſſidet (§. 324.); quare ſi ſua deſtitueretur eſſentia, vel hæc aliquando ceſſaret, ſimul privaretur ſua poſſibilitate, vel illa aliquando ceſſaret, in impoſſibilitatem degeneratura, ideoque ens abiret in non-ens (§. 259.), quod tamen abſurdum eſſe evincit omnimoda diſconvenientia inter ens & non-ens (§. 265.). Eſſentia ergo omni enti conſtanter competit.

Quod heic demonſtravimus, quæcunque in medium adferre placet exempla, abunde declarant: Quis enim unquam dixerit hominem v. gr. ſua privari poſſe eſſentia, ſalva manente notione hominis? Hoc enim idem foret, ac ſi quis abſurdiſſime ſtatuere vellet, hominem poſſe eſſe hominem, & ſimul non hominem. Sed obſerves me heic loqui de eſſentia, præciſa exiſtentia, quam

in entibus finitis tolli poſſe lubentiſſimus conceſſerim, manente immutabilitate eſſentiæ. Sed de hac re plenius ſuo loco.

§. 330.

Et actuali & potentionali. Quia omni enti ſua convenit eſſentia (§. 329.), ens vero eſt vel actuale, vel potentionale (§. 295.); *& illi & huic ſua convenit eſſentia.*

Hinc tamen non colligas unum idemque ens, prout vel actu vel potentia conſideratur, diverſam habere eſſentiam; Eſſe enim unam eandemque mox demonſtrabo, neque hunc diverſum reſpectum inferre ullam eſſentiæ diverſitatem.

§. 331.

Eſſentiæ poſſibilitatibus inſunt. Eſt ens potentionale merum poſſibile (§. 293.), & viciſſim merum poſſibile eſt ens potentionale (§. 294.), ſed enti potentionali ſua convenit eſſentia (§. 330.); Mero igitur poſſibili ſua etiam competit. Seu, quod idem eſt, *eſſentiæ poſſibilitatibus inſunt.*

Sic homini, nondum exiſtenti, & ideo in regno mere poſſibilium hactenus collocato, ſua denegari nequit eſſentia, niſi quis vellet, quod tamen apertam involvit contradictionem, eum ſua intrinſeca ſpoliare poſſibilitate, cujus fundamentum eſt eſſentia (§. 324.). Idem in aliis omnibus obtinet exemplis, ad ean-

Digitized by Google

eandem cum mox allato claſſem ſpectantibus, in quibus ſcilicet poſſibilitatem ab actualitate ſeparare licet.

§. 332.

Poſito ente ponitur ejus eſſentia, & poſita eſſentia ponitur ens. Omni enti conſtanter competit eſſentia (§. 329.), neque hac unquam privari poteſt (§. cit.). Poſito itaque aliquod eſſe ens, ſtatim ponendum eſt illud habere eſſentiam. Q. E. U. *Entis & eſſentiæ objectiva identitas.*

Poſita eſſentia, ponuntur prædicata ſibi mutuo non-repugnantia (§. 320.), his poſitis, ponitur interna poſſibilitas (§. 135.); & hac poſita, ponitur ens (§. 228.). Ergo poſita eſſentia, ponitur ens. Q. E. A.

Abr. Calovius in Metaph. Div. pag. 203. Opp. Phil. *Bücherus* in Phil. Prim. p. 110. aliique præſentem regulam ita exprimere ſolent: *Poſito ente, negari nequit eſſentia, & negata eſſentia ens ipſum ſupereſſe nequit.* Quamvis hoc ultimum potius coincidat cum alio canone mox explicando: *Sublata rei eſſentia tollitur res ipſa.*

Ceterum veritatem noſtræ regulæ, quam præſenti §:pho defendimus, introſpexit etiam ſuo tempore *Timplerus* L. 1. Metaph. cap. 5. *Nullum ens*, inquit, *poteſt conſiſtere ſine ſua eſſentia, neque abſolutum ſine abſoluta, neque reſpectivum ſine reſpectiva.* Hujus, ut et regulæ noſtræ, vim

 non

Digitized by Google

non intellexêre quidam Reformatorum, qui infantes baptizatos fidelibus ob fidem parentum adnumerant, & tamen iisdem fidem derogant. Quod perinde eſt, ut recte obſervat laudatus *Calovius*, ac ſi quis dicat Calvinianos eſſe eruditos absque eruditione, homines absque humanitate. Eſt fidei poſſeſſio de eſſentia fidelium, quà talium, hac ergo poſita, illa ſimul poni debet.

§. 333.

Unius entis una eſſentia.

Unius entis nonniſi una eſt eſſentia, minime multiplex. Cuilibet enim enti ſua convenit eſſentia (§. 329.), & poſita eſſentia ponitur ens (§. 332.), multiplicatis ergo eſſentiis ſimul multiplicabuntur entia. At per hypotheſin ponitur non niſi unum ens. Ergo ejus non poteſt eſſe niſi una eſſentia. Unum & multiplex ita ſibi opponuntur, ut, quod unum eſt, non poſſit ſimul eodem reſpectu eſſe multiplex. Unius ergo entis multiplex non datur eſſentia.

Ariſtoteles L. VI. Topic. initio Cap. 3. ſcribit, *cujusque rei unam eſſe vim atque naturam.* Hinc Metaphyſici formavêre, quem demonſtravi, canonem: *unius entis una eſt eſſentia.* Cujus non is eſt ſenſus, quaſi quodlibet ens unam eandem-

Senſus regulæ.

andemque haberet eſſentiam ſpecificam & numericam, quod oppido eſt abſurdum & facili inſtantia confutatur; ſed quod cuilibet enti, ſive generi, ſive ſpeciei, ſive individuo, propria & una conveniat eſſentia, non multiplex: Generi convenit una eſſentia generica; Speciei una ſpecifica, quæ, ſiquidem completa erit, ſimul genericam includit: Individuo una numerica, quæ ſpecificam quoque continet. Sic quando ſpectatur homo in genere animalis, habet unam eſſentiam genericam animalis, quæ per organiſmum corporis, vita & ſenſu gaudentis, exprimitur. Quando vero ſpecifice conſideratur ut homo, una eſſentia ſpecifica eſt ornatus, quæ per ens compoſitum anima rationali & corpore organico exponitur. Ubi iterum conſideratur ut individuum, hic homo, Petrus, Paulus &c. habet hanc præciſe eſſentiam numericam, qua ab omni alio individuo ejusdem ſpeciei diſtinguitur. Neque negat canon ens ex aliis vel perſonaliter, vel ſuppoſitaliter, vel eſſentialiter, vel accidentaliter compoſitum & conflatum, quoad partes ſuas, vel quaſi partes (partis vocabulum in omni caſu accurate non quadrat), habere pro pluralitate compoſitorum plures eſſentias partiales; neutri tamen niſi una convenit totalis. Sic corpori organico ſua convenit eſſentia, animæ ſua; homini tamen, qui ex his binis conſtat partibus, competit nonniſi una eſſentia totalis & completa. Pari modo ferrum habet ſuam eſſentiam, ignis ſuam; ferro

tamen ignito una convenit eſſentia compoſita.

Canone noſtro legitime ſtabilito & explicato variis obviam ire poſſumus erroribus. Errant *Sociniani* ex Trinitate perſonarum in unico Deo, eſſentiarum Trinitatem inferentes, quum potius vi canonis ſequatur, quia unicus Deus eſt, nonniſi unicam ejus eſſe eſſentiam. Errant *Monotheletæ* & *Eutychiani*, ex hoc canone ſequi putantes non eſſe niſi unicam in Chriſto Θεανθρώπῳ naturam. Quum tamen Chriſtus Θεάνθρωπος conſtituat unum ſuppoſitum, ergo ei competit quidem una eſſentia ſuppoſitalis, huic tamen, neque noſtro canoni, officit eſſe duas in Chriſto naturas, eſſentialiter diſtinctas, quæ inconfuſe, inconvertibiliter, indivulſe & inſeparabiliter, intime quoque, ut habet Confeſſio Chalcedonenſis, Eutychi oppoſita, in Chriſto conjunctæ conſtituunt unum ſuppoſitum. Et quamvis hoc ſenſu dicere poſſimus, duas eſſe in Chriſto eſſentias, ſcilicet ſimplices, quæ conjunctæ efficiunt unum ſuppoſitum; interim tamen ſi uſum Theologicum & Eccleſiaſticum, reſpicimus, fatemur magis theologice & aptius nos dicere: *Duas eſſe in Chriſto naturas*, *quam duas eſſe eſſentias*, ne videamur nudam eſſentiam operationibus deſtitutam indigitare, quas tamen includit naturæ terminus, qui eſſentiam dicere ſolet in ordine ad operandum.

Uſus Theologicus.

§. 334.

§. 334.

Quia unius entis non eſt niſi una eſſentia (§. 333.), unum idemque ens, prout vel actu vel potentia conſideratur, non diverſam, ſed unam eandemque habet eſſentiam. *Idem ens actu & potentia habet unam eſſentiam.*

Nimirum cum exiſtentia novam poſſibilitatem poſſibilitati non addat, ſed præſtructam compleat tantum (§. 208), & eſſentia entis in ejusdem poſſibilitate contineatur (§. 328. not.), uniusque entis non ſit niſi una eſſentia (§. 333.), ſequitur exiſtentiam, poſſibilitati additam, non mutare entis eſſentiam, vel ei novam addere, quam prius non habuit.

§. 335.

Quodvis ens eo exiſtit modo, quem ejus infert eſſentia. Modus exiſtendi, quum ipſam determinet exiſtentiæ rationem & indolem, huic vel iſti enti competentem, non poteſt in eadem exiſtentiæ indole, quæ heic determinati venit nomine (§. 195.), determinans vero nequit uno eodemque reſpectu ſimul eſſe determinatum (§. cit. & 53.), modus, inquam, iſte nequit ergo in exi- *Modus exiſtendi ſequitur modum eſſendi.*

exiſtentia, ſed eſſentia entis conſiſtere. Quare ſi ens alio exiſteret modo, quam ejus infert eſſentia, quia quodlibet exiſtens ſuam habet eſſentiam (§. 330.), duplicem haberet ens eſſentiam, alteram, quæ non inferret iſtum modum (per hypoth.), alteram, quæ eundem inferret (per dem.). Habet vero ens quodvis non niſi unam eſſentiam (§. 333.). Abſurdum ergo eſt ſtatuere aliquod ens alio exiſtere modo, quam quem ejus infert eſſentia.

Ne confundas precor modum exiſtendi cum exiſtentia ipſa: ille determinatur ex entis eſſentia, non autem hæc in omni ente, niſi abſolute neceſſario. Ceterum hinc eluceſcit cur antea (§. 242. & ſeqq.) dixerim modum exiſtendi ingredi notionem entis, quando ad Deum & creaturas applicatur. Quia enim notionem entis ingreditur ejus eſſentia (§. 327.) ex qua ille modus exiſtendi dependet, non poteſt non idem quoque in computum venire, dum ad Deum & creaturas applicatur ens.

§. 336.

Entis eſſentia, vel pars eſſentialis, ſalvo ente tolli nequit.

Sublata eſſentia entis, aut parte eſſentiali, tollitur ens. Quoniam enim unius entis non eſt niſi una eſſentia (§. 333.), hac ſublata tollitur omne, per quod ens eſt intrinſece poſſibile (§. 324.). Intrinſeca autem poſſibilitate, qua ens

ens abſolvitur (228.), ſublata, tollitur ens. Sublata ergo eſſentia, tollitur ens. Q. E. U.

Eſſentiam partibus ſuis eſſentialibus ita conſtitui (320.), ut, una earum ſublata, eſſentia non poſſit manere eadem, quivis facile aſſequitur. Quam ob rem, quum unius entis non ſit niſi unica eſſentia (§. 333.), quæ ei conſtanter competit (§. 329.), ſublata parte eſſentiali, am plius manere nequit idem ens. Q. E. A.

Cc

Habet hic canon inſignem in Theologia uſum ad confutandos *Seleucianos* & *Hermianos*, qui, teſte B. *Auguſtino*, non aqua Baptiſmum peragendum eſſe voluerunt, quibus *Beza*, Epiſtola ad Thomam filium ſecunda, aſſenſum præbet, putans baptiſmum, deficiente aqua, quovis alio liquore rite inſtitui poſſe. Quoniam vero *Chriſtus* baptiſmum in aqua & non in alio liquore, aut alia quadam materia, inſtituit, ac adminiſtrari præcepit, & Apoſtoli baptizaturi ea homines conſtanter tinxerunt, dubium relinquitur nullum, aquam ad eſſentiam baptiſmi pertinere, & ideo memoratos auctores, vi canonis noſtri, ſublata aqua, tollere ipſum baptiſmum. Quod & S. Scripturæ & propriæ horum hypotheſi, qua ſalvum nihiloſecius eſſe volunt baptiſmum, prorſus repugnat. *UſusTheologicus.*

Eo-

Digitized by Google

Eodem modo abſurditatis convincuntur, qui loco panis & vini in ſacra cœna, vel caſeum, vel aquam, vel aliud quodvis, contra apertiſſimam Salvatoris inſtitutionem, adhiberi poſſe contendunt, eoque ipſam ſ. cœnæ eſſentiam abſurdiſſime tollunt.

INDEX

Capitum in hoc Tomo contentorum.

Diſcurſus Prœliminaris de natura & conſtitutione Metaphyſices. - - *Pag.* 1.

CAPUT I.

DE Principio Contradictionis - 54.

CAP. II.

De principio Rationis ſufficientis. 99.

CAP. III.

De Poſſibili & impoſſibili - 152.

CAP. IV.

De Determinato & indeterminato - 220.

CAP. V.

De Exiſtentia, ſeu Actualitate - 232.

CAP. VI.

De Ente & ejus Oppoſito Non-Ente 258.

CAP. VII.

De Ente Reali & Rationis, Poſitivo & Privativo - - - 307.

CAP. VIII.

De Ente Actuali & Potentionali - 346.

CAP. IX.

De Eſſentia Entis - - - 368.

INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ.

Cap.	Verſ.	§.
	Geneſ.	
I.	2.	282.
XLV.	1.	186.
	Exod.	
III.	14.	242.
	Numer.	
XIV.	13.	101.
	Deuteron.	
IX.	24.	101.
	Joſua.	
III.		170.
	2. *Reg.*	
VI.		288.
	Job.	
IV.	2.	186.
XXXVIII	-	170.
XXXIX.	-	170.
	Pſalm.	
XIX.	9.	34.
CXIX.	105.	34.
CXXXIX.		170.
	Eſa.	
XX.		288.
XLV.	7.	282.
	Ezech.	
XX.	14.	101.
XXXVI.	26.	281.
	Matth.	
VI.	5.	174.
X.	28.	170.
XI.	25.	36.
XV.		170.
XVI.		34.
XVIII.	6.	307.
XIX.	23. 26.	186.

Cap.	Verſ.	§.
	Marc.	
II.	19.	174.
IX.	24.	288.
IX.	42.	307.
X.	13. 14.	307.
XVI.	14.	288.
	Luc.	
I.		62.
III.	23.	84. 103.
XVIII.	15. 16.	307.
	Job.	
I.	8. 10.	288.
III.	9.	288.
X.		44.
XIV.	28.	44.
XV.	5.	290.
	Act.	
IV	20.	174.
V.	11.	307.
XV.	11.	306.
	Rom.	
I.	24.	36.
II.	5.	288.
III.	18.	307.
VII.	17. 21. 23.	291.
VIII.	7.	36. 281. 291.
VIII.	17.	36.
IX.	11.	290.
XI.	6.	33.
XIV.	3. 6.	288.
	1. *Cor.*	
I.	18.	36.
II.		34.
II.	14.	36. 281.
VII.	19.	261.
VIII		261.

XIII.

Digitized by Google

Cap.	Verſ.	§.
XIII.	2.	261.
	2. *Cor.*	
X.	4.	36.
XIII.	8.	174.
	Gal.	
V.	17.	291.
	Eph.	
IV.	23. 24.	287.
	Col.	
II.	8.	36.
III.	10.	287.

Cap.	Verſ.	§.
	2. *Theſſ.*	
III.	11.	290.
	1. *Timoth.*	
III.	16.	130.
	Ebr.	
III.	12.	288.
V.	14.	236.
	1. *Joh.*	
III.	4.	291.
	Apoc.	
I.	8.	242.

INDEX
Rerum & verborum, in quo Numeri paragraphos denotant.
A.

A Ctualitatis ratio ſufficiens quæ? & qualis? - 107. 110. Actualitatis rationis connexio cum poſſibilitatis 108. Actualitas quid? 207. Actualia an veniunt ſub nomine entis? 227. Actualis entis definitio 292. Hujus & potentionalis entis poſſibilitas 293.

Æquivoca quæ vocantur? 243. æquivocum æquivocans & æquivocum æquivocatum ibid. æquivoce non ſumi poteſt ens 244. argumenta adverſariorum confutantur ib. æquivoca analoga quæ? 250. æquivoca caſu facta & æquivoca conſilio conſtituta quænam? ibid. æquivoca inter & univoca, quæ analoga medium tenent locum? 255.

Æternitas Dei ſucceſſiva ſtatuitur a Vorſtio 36.

Agens liberum quid? - - - 236.

Agere & pati nequit poſſibile merum - - 204.

Agere vel pati poteſt exiſtens , , 205.

Agendi & patiendi aptitudo an exiſtentiam infert? 206. Agere vel pati cujus eſt? - - - 213.

Aliquid 75. ejus requiſita 76. 77. unde intelligitur? 81. Aliquo poſito ponenda eſt ejus ratio ſufficiens 88. Aliquid an prædicari poteſt de abſolute impoſſibili? 133. an producere poteſt abſolute impoſſibile? ibid. & an fieri poteſt ex abſ. impoſſibili? ibid. aliquid & poſſibile reciprocantur 138. aliquid eſt vel poſſibile merum vel non-merum 150. alicujus nexus cum indeterminato 191. aliquid eſt vel exiſtens vel non-exiſtens 212. aliquid & ens reciprocantur 238. inter aliquid & ens quale diſcrimen? ibid. aliquid an ſit genus entis? ib. an prædicari poteſt de non-ente? - 264.

Alpharbii error circa objectum Metaphyſices - 33.

Ameſius oſor Metaphyſicæ - - - 33.

Analogia attributionis intrinſecæ 255. analogata in hac ibid. analoga inæqualitatis ibid. analogus quo ſenſu ſit entis conceptus? 257. analogum an conceptum fundare poteſt? ibid. analogum quid? 3. 248. analogia proportionis definitur 249. analoga quæ ſunt æquivoca? 250. analogia attributionis quid? 252. Analogia attributionis eſt vel extrinſecæ denomina-

Digitized by Google

nominationis vel intrinſecæ ibid. analogiæ extrinſecæ attributionis æquivocatio 253. an in illa ſumitur ens? 254.
ἀνασκευαςικός uſus eſt Metaphyſices in Theologia 36.
Anaximander urget progreſſum in infinitum 104. 105.
Andronicus Rhodius Ariſtotelis ſcripta primus publicæ luci tradidit - - - - 4.
Anthropomorphiſmus damnatur - - 274.
Antitrinitarii confutantur - - - 130.
Antonii Andreæ ſententia de demonſtrabilitate principii contradictionis confutatur 56. convellit dignitatem principii contradictionis 57. ſtatuit principium identitatis eſſe abſolute primum - - - 70.
Ariſtoteles quomodo eſſentiam entis definivit? 322. Ariſtotelicæ Metaphyſices objectum 3. diviſio 4. Ariſtotelis Philoſophia prima 3. Ariſtotelis ſcripta qua ratione tractarunt Scholaſtici? 5. Ariſtotelicum principium - 53.
(ab) Atheiſmo cavet Metaphyſica - - 37.
(ex) Atomis epicureis an mundus ortus? - - 311
Aureolus notatur - - - 244.
Averrhois error circa objectum Metaphyſices - 11.

B.

Baco de Verulamio reſtaurator Metaphyſices - 7.
Baptiſmus an aqua peragendus? - - 336.
Barbarum Lexicon an eſt Metaphyſica? - 38.
Baumeiſterus notatur - - - - 83.
Bellarminus nimis extollit Metaphyſicam - 34.
Beza confutatur, deficiente aqua, quovis alio liquore baptiſmum peragi poſſe ſtatuens - - - 336.
Bodinus & ſequaces ejus errant circa notiones poſſibilis & impoſſibilis - - - - 126.
Bülfingeri notiones Poſſibilis examinantur - 163.
Butnerus notatur - - - 52.

C.

Calovius eſſentiam entis quomodo definit? 322. objectivam entis & eſſentiæ identitatem ſtatuit, & hac ratione Reformatorum errorem detexit - - 332.
Calviniani notantur 36. 130. horum error circa electionem proponitur & confutatur - - 306.
Canzius notatur - - - 146. 283.
Capax ſubjectum quid? - - 281.

Carpovius notatur - - - 36.

Carteſiani notantur 30. horum dogma de Principio primo 57. Carteſianorum principium primum examinatur ibid.

Catholicorum principiorum numerus - - 122.

Certitudinis origo 9. ad certitudinem comparandam conducit Metaphyſica 24. certitudo principii contradictionis unde deducitur? 52. certitudo nulla ſine principio contradictionis 55. certitudinis principii fundamentum 68. nomen 69. evidentia & ex principio primo dependentia 70. certitudinis fons 71. principium non infert exiſtentiam rei 72.

Chauvinus nimis extollit Metaphyſicam - 34.

Chriſti humanæ naturæ an in V. T. prædicata realia competebant? - - - 306.

Claubergius contendit principium contradictionis vinci a Carteſianorum principio 57. putat entis conceptum ſimul comprehendere nihil & aliquid, non-ens & ens 265. putat poſitivum, privativum & negativum ſub eodem conceptu venire 283. laudatur 288. quomodo entis eſſentiam definit? 322.

Coena (in Sacra) an loco panis & vini caſeus & aqua adhiberi poſſunt? - - - - 336.

Cognitio ſolida - - - 24.

Cognoſcendi principium quid? 12 complexum & incomplexum quid? ibid. complexi diviſio in primum & orta, eorum definitiones 41 cognoſcendi principium primum quodnam? 57.

Conceptibile quid? 73. conceptus requiſita 74. objectivus quid? ib. formalis ib. primus ſeu conſtitutivus 315 ſecundus ſeu conſecutivus ib. primus eſt determinans & ſecundus determinatum 316. primus quibus abſolvitur prædicatis? 318. male diſtinguitur in partialem & totalem, proprium & communem ib. conceptum entis in genere quæ ingrediuntur? 319. conceptus entis primus eſt eſſentia - 322.

Confuſius principium rationis ſufficientis univerſaliter verum agnovit - - - - 96.

Conſcientia ſui ideam infert quidditatis ſeu entis 9. eſt naturalis, innata, certa atque firma ibid.

Conſtans quid? 229. conſtantia abſolutæ poſſibilitatis ib.

Contingens ens 242. contingentis veritatis principium an datur? 92. officium 93. fundamentum 94. principium 95. contingentium indolem non mutat principium Rationis ſufficientis 121. contingens quid? 59. contingens veritas non demonſtratur ex principio contradictionis 61. hujus principium 95.

Con-

Digitized by Google

Contradictio quid? 43. requiſita 44. 45. 46. contradictio ideæ 47. in adjecto 48. implicita & explicita 49. quando datur inter duas propoſitiones affirmantes vel negantes? 50. latens & patens 51. fundamentum 52. Contradictionis principium eſt abſ. neceſſarium 60. quæ veritas ex hoc demonſtratur? 61. eſt immutabile 62. ex hoc dependet principium excluſi medii 65. hujus diſcrimen a principio excluſi medii 67. ex hoc evidentiam & dependentiam habet principium certitudinis 71. & principium Rationis ſufficientis - - 119
Crouſazius putat aliquid eſſe ſine ratione ſufficiente - 100.

D.

Demonſtratio quid? 15. ejus diviſio ib. quid directa ſeu oſtenſiva & quid indirecta ſeu apogogica? ibid. & directa & indirecta convenit Metaphyſicæ 16. demonſtrationum certitudo hauritur ex Metaphyſica 24. ſufficiens quid? ib. & directæ & indirectæ inſervit principium contradictionis - 57.
Deo repugnat principium eſſendi & fiendi 13. Deus an eſt ens exiſtibile? 157. illi an entis nomen recte tribuitur? 242. Dei æternitas an ſucceſſiva? - - - 36.
(de) Determinato & indeterminato doctrinæ uſus 187. determinabile quid? 188. determinabilis & indeterminati nexus 189. determinatum quid 192. 193. determinare quid? 194. determinantia & determinata 195. determinantium & determinatorum nexus 196. 197. determinantia ſunt ratio ſufficiens determinati 198. determinatio quid? 200. interna & externa 207. omnimode & non omnimode determinatum 217. quicquid exiſtit eſt omnimode determinatum 218. & quicquid eſt omnimode determinatum exiſtit 219
Dionyſius Petavius notatur - - 244.
Diſciplinarum Judex, Caput, Domina, Princeps cur dicatur Metaphyſica? - - - - 25.
Diſciplinarum Practicarum uſus ex Metaphyſica - 28.
Diverſa quæ? 94. diverſitas rationum mutabilium 111. diverſitate rerum non poſita, objectiva ratio non datur 115. diverſitas rerum non demonſtratur ex principio rationis ſufficientis - - - - - 117.
Dogmaticæ Theologiæ inſervit Metaphyſica - 36.

E.

Ebelius defendit uſum Metaphyſices - - 33.
Eligibilium identitate poſita nulla datur ratio eligendi unum præ altero - - - 114.

Digitized by Google

Ens quid 226. Entis ideam involvit conſcientia ſui 9. Entis origo innata eſt 226. Entis ſub nomine veniunt & actualia & poſſibilia 227. Participiale & Nominale quid? ibid. Entis & poſſibilis reciprocatio 228 inter ens & poſſibile quale diſcrimen? ib. Entis abſ. poſſibilitas qualis? 229. Ens & extrinſecum poſſibile an & quouſque reciprocantur? 234. Entis & poſſibilis moralis converſio 235. Ens morale quid? 236. Entis moralis & poſſibilis reciprocatio 237. Ens & aliquid reciprocantur 238. Ens inter & aliquid quale diſcrimen? ib. Entis genus an ſit aliquid? ib. Entis genus an ſit intelligibile? ibid. Ens eſt poſſibile merum vel non merum & viciſſim 239. ſub ente quæ comprehendantur? 240. Entitas poſſibilis meri & nonmeri 241. Entis notio quousque extendatur? 242. quod Entis nomen tribui debet Deo negarunt nonnulli, quorum argumenta adferuntur & refutantur ib. Entis terminus an æquivoco, an univoco, an analogico ſenſu ad Creatorem & creaturas applicatus ſumatur? 243. non æquivoco 244. Entis conceptus ad Deum & creaturas relati identitas 245. Ens an eſt analogum proportionis? 251. an at tributionis extrinſecæ? 254. an eſt univocum? 256. entis conceptus, quo ſenſu ſit analogus? 257. ens reale quid? 269. Entis & entis realis reciprocatio 270 Ens & ens reale quomodo differunt ibid. Enti reali quod opponitur 274. Ens rationis quid? ib. requiſita ib. quomodo veteres illud explicuere? ibid. eſt nonens 275. quomodo diſtinguitur? ibid. Ens fictum quid? 277. inter ens fictum & fictiones diſcriminis quid? ibid. Ens poſitivum 279. negativum & privativum 281. pure negativum & privativum ſunt non-entia 282. entium nomine cur veniant privationes & negationes? ib. negativo & privativo non competit prædicatum poſitivum 285. potentionale & actuale quid? 292. potentionale an differt a nominali? ib. actualis & potentionalis poſſibilitas 293 potentionalis & poſſibilis meri identitas 294. diviſio in actuale & potentionale an adæquata? 295. an ens ſe ipſum præſtare poteſt exiſtens? 296. potentionale eſt exiſtibile, ſed non inverſim 297. ens potentionale phyſicum quid? 299. inter potentionale in genere & phyſicum quid diſcriminis? ib. potentionalis phyſici phyſica poſſibilitas 300. ens in potentia proxima & remota 301. ens in potentia remota quando exiſtere poteſt? 302. entis in potentia remota gradus 303. potentionale eſt reale & poſitivum 305. ens in potentia an operari l. pati poteſt? 307. ens ante ortum qua-

Digitized by Google

qualc? 310. entis conceptum in genere quæ ingrediuntur? 319. entis conceptus primus - - 322.
Entitas quomodo aliter vocari ſolet? - 272.
Epicuri ſententia, quod mundus ex atomis ortus ſit, confutatur - - - 311.
Eſſe ſuum habere in intellectu quot modis aliquid dicitur? 274. ab eſſe ad poſſe 143. ad eſſe a poſſe non eſt argumentandum 147.
Eſſendi principium quid? - - - 12.
Eſſentia eſt principium cognoſcendi attributa 14. Eſſentiarum principium 53. eſſentia quid? 320. qua ratione inveſtigatur? 321. eſt conceptus entis primus 322. eſſentiam rei quis tenet? 323. unde agnoſcitur? 325. huic quod repugnat eſt abſ. impoſſibile 326. eſſentia & ens qua ratione conveniunt & qua ratione differunt? 327. eſſentia & intrinſeca poſſibilitas an reciprocari poſſunt? 328. enti conſtanter tribuenda 329. competit & enti actuali & potentionali 330. eſſentiæ poſſibilitatibus inſunt 331. eſſentiæ & entis objectiva identitas 332. eſſentia eſt una unius entis 333. eſſentiæ modum ſequitur modus exiſtendi 335. eſſentia entis vel pars eſſentialis ſalvo ente an tolli poteſt? - 336.
Eſſentiale quid? 320. eſſentialis pars & eſſentialis determinatio. ib.
Ethicum poſſibile & impoſſibile - 185.
Eutychianorum error notatur - - 333.
Ἐξηγητικόν uſum præſtat Metaphyſica in Theologia - 36.
Exiſtentia repugnat abſ. impoſſibili & viciſſim 134. Exiſtentia hypothetica cui repugnat intrinſece eſt poſſibile 140. exiſtendi poſſibilitatem includit abſ. poſſibile 141. quicquid exiſtit eſt abſ. poſſibile 143. exiſtentia rei poſita, ponitur abſ. poſſibilitas 145. an exiſtit omne poſſibile 146. 147. 151. ad exiſtentiam ab exiſtibilitate non valet concluſio 158. exiſtentia virium infinitarum 164. exiſtentia & phyſica poſſibilitas an ſunt coëxtenſa? 169. ad exiſtentiam a morali poſſibilitate non eſt argumentandum 181. exiſtentia rei non determinatur ex nuda poſſibilitate 202. ad exiſtentiam quid requiritur aliud? 203. exiſtentiam num agendi vel patiendi aptitudo inferat? 206. exiſtentia quid? 207. an eſt nova posſibilitas? 208. exiſtentia an conſiſtit in continuo agendi conatu? ibid. exiſtentiæ ſpuriæ definitiones notantur 220. 221. 222. 223. 224. exiſtentia an definiri poteſt? 225. exiſtentiæ definitio an conſtat genere & differentia ſpecifica? ibid.

Exi-

Digitized by Google

Exiſtens agere vel pati poteſt 205. quomodo ſuam teſtatur exiſtentiam? 209. Exiſtens quid? 210. ejus poſſibilitas 211. inter exiſtens & non-exiſtens an datur medium? 212. exiſtens ſolum agere vel pati poteſt 213. ejus ratio 215. 216. eſt omnimode determinatum - - - 218.
Exiſtibile quid? 156. quænam ſub hoc comprehenduntur? 157. ab exiſtibilitate ad exiſtentiam an concludendum? 158. exiſtibile eſt poſſibile externum 159. exiſtibile eſt abſ. poſſibile 160. exiſtibile an eſt abſ impoſſibile? 161. exiſtibile & poſſibile non ſunt coëxtenſa 162. exiſtibile eſt omne ens, ſed non converſim - - 231.

F.

Fictum ens vid. Ens.
Fictionum & entis ficti diſcrimen - - 277.
Fiendi principium quid? - - - 12.
Flacii Illyrici ſententia de peccato originis - 36.
Fonſeca notatur - - - - 247.
Formalis conceptus - - - 74.
Formalitates quæ dicuntur? - - - 272.

G.

Genus Metaphyſices quid? 19. de eodem diſceptationes ibid.
Goveanus notatur - - 57. 66.
Gregorius Nazianzenus laudatur - - 242.

H.

(ad) Habitum a privatione, an datur regreſſus? - 289.
Hebenſtreitius laudatur 242. putat ens negativum & privativum eſſe non-entia 282. male diſtinguit inter conceptum primum, partialem & totalem, proprium & communem, 318.
Heldberg notatur - - - 57.

I.

Javellus notatur - - - 67.
Ideæ contradictio - - - 47.
Identitatis principium 69. evidentia & dependentia 70. Ejus oſores ibid. identitatis modi in univocis 247. identitas poſſibilis meri & entis potentionalis 294. identitas objectiva entis & eſſentiæ - - - 332.
Impoſſibile quid? 125. impoſſibilis falſæ notiones 127. impoſſibile abſolutum & hypotheticum 128. abſ. impoſſibilis dijudicandi modus 129. ubi ille deeſt? 130. perverſus modus 131. abſ. impoſſibile & nihil reciprocantur 132. de illo non prædicari poteſt aliquid 133. neque illud producere

poteſt

poteſt aliquid ibid. ei repugnat exiſtentia 124. illique contradicit abſ. poſſibile 137. impoſſibile hypotheticum eſt abſ. poſſibile 139. abſ. impoſſibile non eſt exiſtibile 161. impoſſibile phyſicum quid? 170. non eſt niſi hypothetice impoſſibile 171. inter impoſſibilitatem abſolutam & phyſicam quæ differentia? ibid. ab impoſſibilitate phyſica ad abſolutam non valet argumentatio 172. moraliter impoſſibile quid? 175. impoſſibilitatis moralis poſſibilitas 182. ab impoſſibilitate morali ad non-exiſtibilitatem phyſicam & abſ. impoſſibilitatem an eſt argumentandum? 183. impoſſibilitas abſol. non-entis 259. quid exinde ſequitur? 260. abſ. impoſſibile eſt, quod eſſentiæ entis repugnat 326. Impoſſibile Ethicum & Juris quid? 185. impoſſibile pro difficili ſumtum 186.
Incapax ſubjectum quid? 281.
Inconceptibile quid? - - 73.
Indeterminatum quid? 188. indeterminati & determinabilis nexus 189. ejus diſcrimen a nihilo 190. indeterminati nexus cum aliquo - - 191.
Infinitarum virium exiſtentia 164.
Intelligibilitas omnis unde dependet? 123. intelligibile an eſt genus entis? 238.
Interire quid? 308. interire nequit non-actuale 312. quod interit non habet aptitudinem aliud producendi 313.
Interna determinatio 201.
Intrinſece poſſibile 135. an & quousque eſt extrinſece? 136.
Juriſprudentiæ Civili an inſervit Metaphyſica? 31. definitio ibid.

K.

Καλασκευαςικόν uſum in Theologia præſtat Metaphyſica 30.
Keckermannus nimis extollit Metaphyſicam 34. committit μελάβασιν εἰς ἄλλο γένος 36. pugnat pro ſenſu entis æquivoco - - - 244.
Keſlerus laudatur - - 147.

L.

Latens contradictio 51
Leibnitius primus diſtincte explicuit principium rationis ſufficientis 96. Leibnitiani ſyſtematis πρῶλον ψεῦδος 109. Ejus ratio determinans 198.
Lexicon an Philoſophicum & Barbarum eſt Metaphyſica? 38.
Lexicorum proprium quid? - - ibid.
Liberum agens quid? - - - 236.
Lip-

Lippius notatur - - 242.
Lockius nimis uſum Metaphyſices extollit 34. denegat principio contradictionis dignitatem, quod ſit primum 57. detrahit de dignitate principii identitatis 72.
Logica & res ipſa docet Metaphyſicam & omnem ſcientiam methodo ſcientifica pertractandam 20. quomodo oſtendit certitudinem veritatum? 24. ei inſervit Metaphyſica 26. Logico-moralis ratio - - 112.

M.

J. Martini defendit uſum Metaphyſices 33. notatur 65.
Matheſi inſervit Metaphyſica - 32.
Medicinæ inſervit Metaphyſica - ibid.
Μεταβασις εις αλλο γενος 36. committitur a Keckermanno & Carpovio ibid.
Methodo qua tractanda Metaphyſica & omnis ſcientia? 20. Methodus ſcientifica quid involvit? Ibid.
Metaphyſicæ vocabuli auctor primus 2. unde derivatur? ibid. Ariſtotelicæ objectum 3. diviſio 4. habitus tempore Scholaſticorum 5. Metaphyſicæ reſtauratores 7. definitio a ſeculo usque Scholaſticorum maxime recepta ibid. neceſſitas, cujus principiis indigent omnes Philoſophiæ diſciplinæ 8. objectum 10. non admittit principia eſſendi & fiendi 13. ſed cognoſcendi & complexa & incomplexa 14. Metaphyſicæ cuilibet propoſitioni competit demonſtratio, excepto principio primo 16. eſt ſcientia 19. ejus genus ibid. quomodo tractanda? 20. ejus definitio 21. diverſimode nuncupatur ibid. officium 22. uſus in genere 23. in ſpecie 24. ſine Metaphyſicæ adminiculo ſenſationum nulla certitudo, nec demonſtrationum, nec ſoliditas ibid. inſervit omnibus Philoſophiæ partibus 25. Theologiæ naturali ibid. a veteribus vocatur judex, domina, caput, princeps diſciplinarum ibid. ejus uſus in Logica 26. in Coſmologia & Phychologia 27. in diſciplinis Practicis, Jurisprudentia Naturali, Ethica, Politica, Oeconomica 28. Metaphyſicæ uſus in Matheſi 29. in Phyſica 30. in Jurisprudentia Civili 31. in Medicina 32. non inimica eſt Theologiæ Rev. 33. Metaphyſicæ uſum quinam e Theologia proſcribunt? ibid. non eſt norma & regula credendorum 34. hanc quinam nimis extollunt? ibid. ejus circa uſum in Theologia cautiones 35. an neceſſitate abſ. ſ. exigentiæ, an hypothetica ſeu expedientiæ Theologo neceſſa-

neceſſaria eſt Metaphyſica? & qualis eſt ejus uſus normalis an miniſterialis? ib. uſus ejus in Theologia Exegeticus 36. Dogmaticus ib. præſervatorius ibid. uſus ejus vindicatur contra objectiones & oſores ib. cavet ab Atheiſmo 37. an eſt Lexicon philoſophicum vel barbarum? 38. dividitur in generalem & ſpecialem - - 39.
Miniſterialis eſt uſus Metaphyſicæ in Theologia 35.
Monotheletarum error confutatur - 333.
Moraliter poſſibile quid? 174. impoſſibile 175. moralis poſſibilitatis prærequiſitum 176. in agente phyſico 177. a morali poſſibilitate ad exiſtibilitatem & poſſibilitatem quomodo eſt argumentandum? 178 moralis poſſibilitatis differentia ab exiſtibilitate & abſ. poſſibilitate 179. ab exiſtibilitate & phyſica & abſ. poſſibilitate ad moralem an licet argumentari? 180. an a morali poſſibilitate ad exiſtentiam? 181. moralis impoſſibilitatis poſſibilitas 182. a morali impoſſibilitate ad non-exiſtibilitatem, phyſicam & abſolutam impoſſibilitatem an argumentandum? 183. moraliter poſſibile & impoſſibile dijudicaturus quid præſtabit? 184. moralis poſſibilis & entis converſio 235. morale ens quid? 236. moralis entis & poſſibilis reciprocatio 237.
Mutabilium rationum diverſitas 111.
(in)Myſteriis cur nullam detegere valeamus contradictionem? 46.

N.

Negativum ens quid? 281. negativum ens eſt non-ens 282. negativum opponitur poſitivo 283. negativo enti an competit prædicatum poſitivum? - - 285.
Negationes cur entium nomine veniant? 283. Negatio tantum dicenda eſt, quod in alio ſubjecto privatio eſt 284.
Neſtorius notatur - - 35.
Nihil 75. ejus requiſita 76. 77. de eo non prædicari poteſt aliquid 78. a nihilo nihil fit 79. ex nihilo nihil fit 80. de nihilo ſententia Grandi & Leibnitii ib. quo ſenſu Theologi dicunt ex nihilo aliquid fieri ib. nihil alterius non eſt ratio 87. nihil eſt ſine cauſa 96. nihil eſt ſine ratione efficiente 98. nihil & abſ. impoſſibile reciprocantur 132. differt ab indeterminato 190. Nihil privativum quid? 213. Nihili & non-entis reciprocatio 261. Nihili acceptiones ibid.
Non-Ens opponitur enti 258. ejus definitio ib. cum non-exiſtente an coincidit? ibid. ejus abſ. impoſſibilitas 259. quid exinde ſequitur? 260. non-entis & nihili reciprocatio 261.

ex

ex non-ente fieri nequit ens 262. non-entis ad ens an proportio? 263. de illo an prædicari poteſt aliquid? 264. non-entis & entis diſconvenientia 265. non-entis ſcientia 266. non-ens omne an ſit ens rationis? 276.
(ad) non eſſe a non poſſe an concludendum? 134.
Non-exiſtens quid? 210. ejus poſſibilitas 211. inter non-exiſtens & exiſtens an datur medium? 212. non-exiſtens an ſe ipſum præſtare poteſt exiſtens? 214. in non-exiſtente an ratio exiſtentis? 215. non-exiſtenti an accidentia competunt? 264.
Nominale ens quid? 227.
Nominaliſtæ quinam? ibid.
Notio ſpeciei completa unde conſtat? 25.

O.

Objectivus conceptus 74. objectiva ratio 82. objectiva ratio ſufficiens 101. hæc quando? 102. objectiva ratio quando datur? 115. objectiva identitas entis & eſſentiæ 332.
Objectum Metaphyſices 10. errores circa idem 11.
Officium Metaphyſices 22.
Ontologiam cur quidam nominavere Metaphyſicam? 21.
Ontoſophia cur appellata eſt Metaphyſica? ibid.
Originis peccatum an eſt privatio? 291. an privativo-poſitivum quid in ſenſu morali ſumtum infert? ib. adverſariorum objectiones proponuntur & confutantur ibid.
Oriri quid? 308. quod oritur an abſolute poſſibile? 309. quod oritur quale ante ortum fuit? 310. ortus ſine ſufficientia virium an datur? 311.
Oſtoredus nimis uſum Metaphyſicæ extollit 34.

P.

Participiale ens quid? 227.
Participialiſtæ notantur ibid.
Patens contradictio 51.
Peccatum originis male explicat Flacius Illyricus 36. non eſt privatio 291. ſed privativo-poſitivum quid in ſenſu morali ſumtum ibid. quocirca dubia proponuntur & ſolvuntur ib.
Philoſophi officium 17.
Philoſophia prima Ariſtotelis 3. prima cur audit Metaphyſica? 21.
Philoſophiæ diſciplinæ omnes principiis indigent Metaphyſicæ 8. 25.
Phyſicæ inſervit Metaphyſica 30. Phyſica quid? ib. Phyſico-Mechanica ratio 112. phyſicum ens potentionale quid? 299.

phyſici

Digitized by Google

phyſici entis potentionalis phyſica poſſibilitas 300. phyſice poſſibile quid? 165. eſt exiſtibile 166. phyſicum poſſibile eſt abſ. poſſibile & externum 167. ad phyſicam poſſibilitatem ab abſoluta an licet argumentari? 168. an a poſſe phyſico ad eſſe? 169. phyſicum poſſibile omne eſt ens, ſed non converſim 232. phyſicum ens quid? 233. phyſicum ens & poſſibile phyſicum an reciprocantur? 234. phyſice impoſſibile vid. Impoſſibile.

Picus Mirandulanus notatur - - 242.

Pitcarnius citatur - - - 57.

Placere quid? - - 236.

Plinius taxatur - - 62.

Plotinus notatur - - - 242.

Polanus taxatur - - - 244.

Polemicæ Theologiæ inſervit Metaphyſica - 36.

Poſitivum ens quid? 279. Poſitivi amplitudo 280. poſitivum ens, & ens reale pro ſynonymis haberi ſolent ib. poſitivi & negativi oppoſitio 283. poſitivum prædicatum non competit enti negativo & privativo 285. poſitivum eſt ens potentionale - - - 315.

(a) poſſe ad eſſe an argumentandum? - 147.

(ad) poſſe ab eſſe quæ conſequentia? - 143.

Poſſibile quid? 124. oſtendendi modus 126. hujus notiones falſæ notantur 127. poſſibile abſolutum & reſpectivum, ſeu intrinſecum & externum 135. extrinſecum an ſit intrinſecum? 136. abſ. poſſibile contradicit abſ. impoſſibili 137. poſſibile & aliquid reciprocantur 138. poſſibilitate intrinſeca gaudet cui hypothetica exiſtentia repugnat 140. poſſibilitatem exiſtendi includit abſ. poſſibile 141. poſſibile quando aſſumtum ſit? 142. Poſſibilitas abſ. ponitur, poſita rei exiſtentia 145. poſſibile omne an exiſtit? 146. 147. merum & nonmerum quid? 148. excludit medium 149. poſſibile merum non ſtatim exiſtit 151. meri ratio ſufficiens eſt in non-mero 152. merum quando exiſtere poteſt? 153. non-meri quotuplex conſideratio? 154. non-merum prioris claſſis quando exiſtit? 155. Poſſibile externum an exiſtibile? 159. abſ. poſſibile an exiſtibile? 160. poſſibile & exiſtibile an coëxtenſa? 162. poſſibilis vitioſæ definitiones 163. Poſſibilitas remota & proxima quid? ibid. poſſibilium ad exiſtentiam quæ vires? 164. poſſibile phyſicum quid? 165. corporum & ſpirituum ibid. poſſibile phyſicum an exiſtibile? 166. an abſ. & ex-

Digitized by Google

externe poſſibile? 167. poſſibilitas phyſica & exiſtentia an coëxtenſa? 169. poſſibile in mundo quid Wolfio? ib. moraliter quid? 174. poſſibilitatis moralis prærequiſitum 176. in agente phyſico 177. a poſſibilitate morali ad exiſtibilitatem & abſ. poſſibilitatem quomodo argumentandum? 178. moralis poſſibilitatis differentia ab exiſtibilitate & abſ. poſſibilitate 179. a poſſibilitate & phyſica & abſoluta ad moralem an argumentandum? 180. a morali poſſibilitate ad exiſtentiam an argumentandum? 181. poſſibilitas moralis impoſſibilitatis 182. poſſibile ethicum & juris quid? 185. ex nuda rei poſſibilitate non determinatur ejus exiſtentia 202. non ergo ſufficit ad exiſtentiam 203. poſſibile merum agere & pati an poteſt? 204. poſſibilitas exiſtentis & non-exiſtentis 211 mere poſſibilia comprehenduntur ſub nomine entis 227. poſſibilis & entis moralis reciprocatio 237. meri & non-meri entitas 239. 241. poſſibilitas entis actualis & potentionalis 293. poſſibilis meri & entis potentionalis identitas 294. poſſibilitas intrinſeca entis 324. phyſica entis potentionalis phyſici 300. abſ. poſſibile eſt, quod oritur 309. abſ. poſſibilitas intrinſeca cum eſſentia an reciprocanda? 328. poſſibilitatibus inſunt eſſentiæ 331. poſſibilitatis ratio ſufficiens 106. ejus definitio 107 qualis? - 110.

Potentionalis entis definitio 292. an idem cum ente nominali? ib. ejus poſſibilitas 293. & identitas cum poſſibili mero 294. eſt exiſtibile, ſed non converſim 297. ejus intimior natura 298. potentionale ens phyſicum quid? 299. inter potentionale ens in genere & phyſicum quid diſcriminis? ib. potentionalis entis phyſici phyſica poſſibilitas 300. potentionale ens dicitur vel in potentia proxima vel remota 301. hoc quando exſtire dicitur? 302. ejus gradus 303. potentionale ens eſt reale & poſitivum 305. an operari & pati poteſt? 307. an eſſentia ei competit? 330.

Practicis diſciplinis an inſervit Metaphyſica? 28.

Principium quid? 12. eſſendi, fiendi, cognoſcendi ib. principia eſſendi & fiendi non admittit Metaphyſica 13. ſed cognoſcendi 14. quod eſt duplex 12. complexum quid? ibid. incomplexum ib. complexi diviſio in primum & orta, eorum definitiones 41. principii primi affectiones 42. principiorum catholicorum numerus 122. ex his principiis dependet omnis intelligibilitas 123. principii excluſi medii fundamentum 63.

no-

Digitized by Google

nomen 64. dependet ex principio contradictionis 67. principii certitudinis ſeu identitatis fundamentum 68. nomen 69. evidentia & dependentia 70. an infert exiſtentiam rei? 72. Principium veritatis contingentis datur 92 officium 93. fundamentum 94. ipſum principium 95. Principium contradictionis vid. Contradictio. Principium rationis ſufficientis vid. Ratio.
Privativum ens quid? 281. pure privativum ens eſt non-ens 282. privativo enti nullum competit prædicatum poſitivum 285. privationes cur entium nomine veniant? 283. quod in uno ſubjecto eſt privatio, reſpectu alterius negatio eſt dicenda 284. hujus regulæ uſus Theologicus ib. privationis requiſita 286. ejus & realitatis idem ſubjectum 287. totalis & partialis definitiones 288. hujus diviſionis uſus in Theologia ib. a privatione ad habitum an datur regreſſus? 289. Privatio ſimplex & compoſita quid? 290. privatio an ſit peccatum originis? - - 291.
Proportio analogiæ quid? 249. proportionis analogum an ens? 251. nulla eſt non-entis ad ens - 263.
Propoſitio omnis in Metaphyſica demonſtranda excepto principio primo 17. propoſitionis univerſalis ſubjectum quid? 25.
πρῶτον ψεῦδος quid? - 315.
Providentia Dei circa mala quæ? 284.
Pſychologiæ inſervit Metaphyſica 27. Pſychologica ratio quid? 113.
Purgatorium eſt nihilum quid - 261.

R.

Ramei impietatis incuſant Metaphyſicam - 33.
Ratio determinans Leibnitii 198. ratio quid? 82. ſubjectiva & objectiva ib. ſufficiens & inſufficiens 83. proxima, intermedia & ultima 84. ſufficiens & inſufficiens in ſerie rationum 85. debet eſſe aliquid 86. non autem nihil 87. ſufficiens ponenda, ſi ponitur aliquid 88. ſufficientis univerſalitas 89. ratio ſufficiens neceſſariarum veritatum 90. contingentis non eſt eadem 91. ipſum principium 95. ejus nomen & hiſtoria 96. objectum 97. diſcrimen a propoſitione, nihil eſt ſine ratione ſufficiente 98. ejus univerſalitas 99. conformitas cum experientia 100. diviſio in ſubjectivam & objectivam 101. quando ſubjectiva & quando objectiva? 102. rationum in ſerie datur ratio ultima 103. rationum progreſſus in infinitum 104. an datur? 105. ratio ſufficiens poſſibilitatis 106. definitio 107. actualitatis definitio ib. harum connexio in uno 108. ratio

ſufficiens poſſibilitatis & actualitatis qualis? 110. rationum mutabilium diverſitas 111. diviſio in Phyſico-Mechanicam & Logico-Moralem 112. Ratio Pſychologica & Juris 113. objectiva quando? 115. ex rationis ſufficientis principio an demonſtratur diverſitas rerum? 117. hujus principii dependentia 119. affectiones 120. an mutat indolem contingentium? 121. determinantium cum ratione ſufficiente identitas 198. an ratione ſufficiente poſita ponitur id, quod per eam potius eſt, quam non eſt? 199. ratio exiſtentis non eſt in non-exiſtente 215 ſed in exiſtente - 216.

Reale ens quid? 269. quo ſenſu opponitur virtuali, verbali & ficto? 268. realis entis reciprocatio 270. diſcrimen ib. reali enti opponitur ens rationis 274. eſt ens potentionale 305.

Realitas quid? 271. dicitur etiam entitas 272. quomodo differt a re? ib. hujus vocis primi inventores qui? ib. realitatum pluralitas an infert rerum? 273. realitatis & privationis idem ſubjectum - - - 287.

Reformati confutantur, dicentes infantes baptizatos juſtificari & ſalvari per fidem potentionalem ſeu virtualem 307. alius error detegitur - - - 332.

Res quid? 268. unde derivatur? ib. plures ejus acceptiones ib. rei & realitatis diſcrimen 272. rerum pluralitatem an infert pluralitas realitatum? 273. rei eſſentiam quis tenet? 323.

Reſpective poſſibile - - - 135.

Reſtauratores Metaphyſicæ - - 7.

Rodericus de Arriaga notatur - 146. 256.

Rudrauffius taxatur - - - 283.

Rydelii (And.) ſententia de principio primo - 57.

Rôttenbeccius - - 57. 66. 252.

S.

Samoſatenus notatur - - 36.

Sapientia an proprie loquendo eſt genus Metaphyſicæ? 19.

Schillingius oſor Metaphyſicæ 33.

Scholaſticorum reverentia in ſcripta Ariſtotelis 5. aberratio a mente Ariſtotelis ib. vitii emendatio 6. termini obſcuri & omni notione deſtituti ib. error in applicanda Metaphyſica in phyſicis - - - 30.

Scientia quid? - - - 18.

Scientifica Methodus quid? - - 20.

Scotiſtæ primi inventores realitatis - 272.

Scotus notatur - - - 256.

Digitized by Google

Seleucianorum error confutatur - - 336.
Similia duo ex aſſe an dantur ? - 116.
Simplicis privationis definitio - - 290.
Smalzius uſum Metaphyſices extollit nimis 34.
Sociniani notantur 213. horum error circa S. S. Trinitatis myſterium 273. error circa Oeconomiam ſalutis in V. T. 306. confutantur negantes genus humanum in Adamo periiſſe 312. illorum error confutatur circa Trinitatis myſterium 333.
Solida cognitio quid? 24. ſoliditas an obtinetur ſine Metaphyſica? - - - 24.
Sonnerus - - - 66.
Soto - - - - 131.
Spinoza - - - 146.
Stahlius - - - 135.
Stræhlerus - 56.
Subjectum propoſitionis univerſalis 25. Subjectum capax quid? 281. incapax ib. ſubjectiva ratio 82. ſubjectiva ratio ſufficiens 101. hæc quando? - - 102.
Sufficiens demonſtratio 24. ſufficiens ratio vid. Ratio.
Svarezius eſſentiam entis quomodo definivit? 322.
Svicerus commendat uſum Metaphyſicæ in Theologia Exegetica - - - 36.
συνώνυμα quæ vocantur ? - - 246.

T.

Terminorum Lexicon an Metaphyſica? 38.
Theologiæ Naturali inſervit Metaphyſica 25. Revelatæ non eſt inimica in abſtracto ſpectata 33. in hac cautiones circa uſum Metaphyſicæ 35. Theologiæ Exegeticæ inſervit Metaphyſica 36. Dogmaticæ ib. Polemicæ ib. præſervatorium uſum ſubminiſtrat Metaphyſica - - ibid.
Theologo, qua ratione Metaphyſica eſt neceſſaria? 35.
Thomaſius notatur - - - 57.
Thomæ diſtinctio τȣ͂ poſſibilis - - 135.
Timplerus notatur. 238. entis & eſſentiæ objectivam identitatem defendit - - 332.
Tſchirnhauſen notatur 57.

U.

Unitarii taxantur - - - 44.
Univerſale eſt principium contradictionis 58. Univerſalia qui pri-

primi tradidere? 1. univerſalitas rationis ſufficientis 89. principii rationis ſufficientis 99. non læditur ex objectorum ſimilitudine - - - 118.

Univoca quæ? 246. univoca univocata differunt ab univoco univocante ib. Univocum an ens eſt? 256. univocum hoc loco, quo ſenſu accipitur? ib. pro univoco ſenſu qui pugnant, confutantur - - - ib.

V.

Veritas quæ demonſtratur ex principio contradictionis? 61. Veritatum neceſſariarum ſufficiens ratio 90. Veritatis contingentis an eadem ratio ſufficiens? 91. principium 92.

Virium infinitarum exiſtentia - - - 164.

Voëtius dignitatem principii contradictionis tuetur contra Carteſianos - - - 57.

Voluptas unde oritur? - - - 236.

Wolfius ontologiam ea ratione definit, qua veteres Philoſophi Metaphyſicam 7. huic poſſibile in mundo quid? 169. Wolfius & ejus aſſeclæ quomodo Metaphyſicam dividunt? 7. tuetur dignitatem principii contradictionis 66. erravit circa applicationem principii rationis ſufficientis - 96.

Digitized by Google

Candide Lector,

Mendas Typotheticas, quæ ob Auctoris abſentiam irrepſere, ita emenda.

	exſtat.	*lege.*
Pag. 4. lin. 19.	πρωθεωρία	προθεωρία.
8. lin. ult.	dependeat	dependeant.
18. lin. 9.	(§. 3.)	(§. 8.)
lin. 24.	§. 16.	§. 18.
24. lin. 17.	ſuppeditæ	ſuppeditatæ.
27. lin. 23.	perſpectum	perſpectam.
29. lin. 13.	cum Puffendorffio	Puffendorffius.
14.	Weiſius	& Weiſius.
91. lin. 24.	ſuperas	ſuperans.
144. lin. 2.	recentionibus	recentioribus.
146. lin. 3.	per	præ.
148. lin. 13.	erga	ergo.
190. lin. 26.	ab	ob.
215. lin. 27.	obſervandum	obſervandam.
236 lin. 4.	ſine hominem	ſive hominem.
244. lin. 12.	non exiſtere	non exiſtens.
261. lin. 16.	ὄν	ὤν.
277 lin. 14.	adhuc allegare	adhuc rationes allegare.
304. lin. 12.	hanc	hunc.
329. lin. 8.	nequeant	nequeat.
333. lin. 25.	ſed eſt	ſed &.

Præter hæc σφάλματα, quæ exſtantiora ſunt, alia etjam occurrunt, ſed levioris, ut puto, momenti, in quibus cenſendis ut ſis, B. L. facilis, Tua impetrabit humanitas.

✲ ✲ ✲ ✲ ✲ ✲
✲ ✲ ✲
✲ ✲
✲

A01 1453350

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1147

Digitized by Google

22. J. 17

Digitized by Google